BIBLIOTHECA REFORMATA.

VOLUMEN SEXTUM.

D. HIERON. ZANCHII

COMMENTARIUS IN EPISTOLAM SANCTI PAULI AD EPHESIOS.

PARS ALTERA.

EDIDIT ET PRAEFATUS EST

A. H. DE HARTOG

LITT. HUM. D^R^. HOSPITII ACADEMICI REGENS.

AMSTELODAMI, MDCCCLXXXIX.

Sumptibus Societatis pro edenda Bibliotheca Reformata.

Apud JOANNEM ADAMUM WORMSER.

PRAEFATIO.

L. S.

Cum in animo mihi esset, ut, quae animadvertenda haberem de Zanchii vita atque operibus, alteri hujusce in doctrina exegetica speciminis parti praemitterem, materies usque adeo sub manibus crescere coepit, ut inter terminos mihi propositos eam absolvere nequeam. Hanc ob causam, ut primum occasio datur, hujus notae disquisitionem separatim edere in votis mihi est. Et spero fore ut Deus optimus benigne hanc occasionem mihi suppeditet. Duas ergo tantum lineas, quae sint pro introitu, hoc loco praemittere libet, unam de vitae conditione, alteram de operibus Zanchii. Cum interim nihil est quod malim, quam ut altera hujus operis, quae in lucem emittitur, pars valde grata et accepta sit benevolis lectoribus.

Hieronymus Zanchius e nobili genere ortus[1]) *in regione Campaniae natus est a. 1516 die tertio ante idus Februar. A pueritiâ inde munus ecclesiasticum expetens in monasterio Luccensi nutritus atque educatus est. Ibi in legendis operibus eorum, qui dicuntur patres Ecclesiae, gratissima ipsi consuetudo cum Augustino intercedit, cujus scripta „nocturna versata manu versata diurna" animum pedetentim componebant ad inquirendum verbum divinum. Quod cum ei concederetur, ex mera Dei gratia mox prae manu data sunt opera Buceri, Bullingeri, Melanchtonis, Lutheri, Calvini, aliorumque reformatorum, quos quasi duces in exquirenda sacra scriptura sequeretur. Prae ceteris „loci communes" Melanchtonis multum autoritate apud eum valebant. Ita ex falsis ecclesiae catholicae doctrinis retractus amore et ardore veri magis magisque flagrare coepit. Usquedum percepit opus Calvini, quod inscribitur „institutio"* [2]) *cujus commentatione quasi per mediam manum Deus auxilium ei tulit, ut veram fidei confessionem amplecteretur. Mox in fugam se dedit, monasterium vehementi libertatis desiderio flagrans reliquit (idibus Octobr. a. 1551) et se contulit in Helvetiam, ubi fidum et affabile receptaculum invenit in urbe Geneva. Familiariter ibi usus est doctrina disciplinaque Calvini, Vireti, Bezae, aliorumque virorum egregiorum, ita ut mox primarium in scholis et concionibus locum occuparet. Medio anno 1553 Professor in facultate theologica designatus in urbem Argen-*

---

[1]) »Non ignotum Zanchianae arcis nomen est" Opp. 7. 2-408.

[2]) Ex isto Calvini opere excerptum composuit sub titulo »compendium praecipuorum capitum doctrinae christianae".

Argentinam se contulit, ubi partes interpretandi libros veteris testamenti suscepit. Quod munus adiit orationem dicens „de officio docentium et discentium tum in Ecclesiis tum in Scholis" [1]. *Primum auspicatus est interpretationem libri prophetiarum Jesajae. In ista disciplina exercenda ab initio secutus est rationem et viam, ad quam consectandam in posterum continuo calluit. Per brevem introitum adit totum librum, conspectum capitum intercludit, dein singulas pericopas pertractat, quae saepius unam alteramve quaestionem suppeditant sive theologicam sive moralem sive oeconomicam, sit in thesibus sit in continuata oratione.*

Quantopere jam istis temporibus doctrina et studiis praevaluerit inde apparet, quod simul vacabat lectionibus de philosophia, de eloquentia, nec non de physicis. Cum interim ipsi cum auditoribus, velut cum commilitonibus, commercium esset, imo familiariter cum iis viveret. Quodsi ita res prospere cedit, et peropportuna vitae conditione usus est [2]*, tamen dissidia pedetentim exorta est, per invidiam commota, nec non per odium theologicum exaucta. Collegae, qui Lutheri sententiam de coena Domini, ut et de praedestinatione amplectebantur, in diem magis magisque cum Zanchio, fido Calvini amico et assecla, in simultate esse coeperunt.*

Operae pretium esset in intimae vitae his temporibus peractae historiam inquirere, ni rem paucis absolvere mihi proposuerim. Cum assidue negotium ipsi facesserent, auctore prae ceteris Marbachio, et suspicionem moverent, imo quidem nomen ipsius ad concilium ecclesiae deferrent, semper paratus erat culpam dimovere, atque confessionis rationem probare ex auctoritate verbi divini.

Ita vero oleum camino addidit, et veluti materiem igni praebuit. Adversarii pedetentim nihil pensi ergo ipsum habebant; in concionibus publice suspicionem commovebant, dictata auditorum perscrutabantur, num forte haeresin ipsi affingere possent; undique petitiones, ut caverent ab haeretico, ad scholarchas mittebantur.

Attamen sub tutela et fide nonnullorum, quorum nomina magnae auctoritatis erant, prae ceteris Joh. Sturmii, a cathedra non recedit, confessor veritatis atque defensor indefessus, ἕτοιμος ἀεί πρός ἀπολογίαν πάντι τῷ αἰτοῦντι λόγον περί τῆς ἐν αὐτῷ ἐλπίδος *(1 Petr. 3 v. 15). Cum interim in salebris istis promulgavit quattuordecim theses, quas publice defendendas emisit, nominatim de praedestinatione, de ecclesia, de fide etc. Quas, ut saltem aliquantulum de Zanchii confessione cognitum habeamus, hoc loco inserere lubet.*

De fine seculi.

1. Quoto die, vel quoto mense, vel quoto anno, vel quoto seculo futurus sit

---

[1]) Opp. 8. 219.

[2]) Cff. i. a. Epistolae et tractatus cum reformationis tum ecclesiae Londino-batavae historiam illustrantes, edidit Joannes Henricus Hessels, Cantabrigiae 1889, pag. 633. — Quellen zur Geschichte des geistigen Lebens in Deutschland etc. von Dr. A. Reifferscheid, Heilbronn 1889, pag. 4.

sit finis mundi, & rediturus Dominus, neque ulla certa scientia, neque ullis certis conjecturis agnosci ab ullo mortalium potest.

De Antichristo.

2. Etsi revelatum est jam pridem regnum Antichristi, quique in illo primatum tenet & regnat verus est Antichristus, dicere tamen sub finem seculi insignem quendam & omni iniquitate excellentissimum verum & perfectum Antichristum, qui etiam miracula edat, venturum, non pugnat cum sacris literis.

De signis finis seculi.

3. Dicere pro conciliatione loci Luc. 18. *Putes cum veniet filius hominis num inueniet fidem in terra?* cum loco Pauli Rom. II. *Nolo vos ignorare mysterium hoc, quod caecitas etiam ex parte contigit in Israel, donec plenitudo gentium advenerit, & sic omnis Israel salvus fiet*; dicere, inquam, pro conciliatione horum duorum locorum, quod dum regnabit ille summus & ultimus Antichristus, propter ipsius Tyrannidem parum fidei reperietur in terra, sed post illum occisum Spiritu oris Christi copiosa Judaeorum multitudo ad Christum convertetur, id quod fit per fidem, & sic tunc erit multa fides in terra: non est contra verbum Dei.

De praedestinatione.

4. Certus est apud Deum tum electorum ad vitam aeternam, tum reprobatorum atque ad interitum praedestinatorum numerus.

5. Sicut Electi ad vitam perire non possunt ideoque salvantur necessario: ita quoque qui ad vitam aeternum praedestinati non sunt, salvari non possunt, ideoque necessario damnantur.

6. Qui semel electus est, non fit nec fieri potest reprobus.

De Vinculis quibus colligamur Christo & Ecclesiae.

7. Duo sunt vincula quae ad hoc, ut Christo & Ecclesiae verè colligemur, prorsus necessaria sunt: Vinculum aeternae Electionis in Christo, & vinculum Spiritus Christi, ideoque fidei in Christum. Atque haec duo primum interna sunt & invisibilia, deinde indissolubilia.

8. Duo vincula sunt quibus Ecclesiae (quod externam ejus faciem attinet) conjungimur, professio doctrinae Christi & participatio sacramentorum; atque haec primum externa sunt & visibilia, deinde dissolubilia: quatenus potest quis & ipsam doctrinam reicere, & ipsa sacramenta respuere.

De fide.

9. Electis in hoc seculo semel tantum vera fides à Deo datur: & qui ea

donatus est (praesertim de adultis loquor) & eam in seipso sentit, id est certo cognoscit, & sentit se verè credere.

10. Electi vera fide semel donati Christoque per Spiritum Sanctum verè insiti, fidem prorsus amittere, Spiritum Sanctum omnino excutere, & à Christo excidere penitus non possunt: idque tum propter promissionem Dei, tum propter Christi precationem: neque tamen inde sequitur vel poenitentiam negari, vel licentiam concedi.

11. In Electis regeneratis duo sunt homines: Interior & exterior. Si dum peccant, secundum tantum exteriorem, id est ea tantum parte, qua non sunt regeniti, peccant: secundum verò interiorem hominem nolunt peccatum, detestantur peccatum, & condelectantur lege Dei; quare non toto animo aut plena voluntate peccant.

12. Petrum, cum negavit Christum, defecit quidem fidei confessio in ore: sed non defecit fides in corde.

De promissionibus.

13. Promissiones de gratuita Dei misericordia deque certa & aeterna salute, etsi universaliter omnibus proponuntur & praedicanda sunt: ad ipsos tamen tantum Electos reipsa pertinent.

14. Quare cum Paulus ait, Deus vult omnes homines salvos fieri, si quis illam vocem, Omnes, restringat ad omnes electos, in quocunque hominum ordine sunt. Item si illud I Joh. 2. Christus est propitiatio pro peccatis totius mundi, interpretetur pro Electis universis per totum orbem dispersis aut dispergendis, non depravat Scripturas.

Ex omnium ferme consensu theses istas perlucide illustravit, et splendide contra adversarios defendit. Attamen obrutus laboribus et doloribus contritus aliquantulum quieti se dare cupiit, ad quam capessendam per aliquod temporis spatium urbem dereliquit (ad finem a. 1561). Quiete et abstinentia Deo favente mox vires deperditas recuperavit, et in patriam reversus munus iterum capessivit paratus ad deponendas offensiones, quas a parte adversariorum expertus erat. Cum autem frustra dextram reconciliatae pacis pignus offerre conatus esset, „ob malitiam temporum turbatus ac sollicitus'', [1]) *ad finem a. 1563 munere abdicavit, e patria secessit, et itinere facto per montes nivosos viasque clivosas venit in urbem Chiavennam (mense Decembr.) ibique statim munus ecclesiasticum, quod ipsi mandatum fuerat, suscepit, totumque se dicatum dedit verbi divini ministerio.*

Hìc autem ipsi evenit, qui vult evitare Charybdin ut incidat in Scyllam [2]). *Mirabiles dissidiarum et turbarum artifices omnimodo suspicionem contra eum movere studebant, et „Zankium haereticum'' de falsa doctrina accusabant. Cum interim foeda pestilentia incideret in urbem, et fugam ac vastitatem late faceret, pastor Zanchius inter omnes istas turbas atque tristitias fido et sincero animo munere*

[1]) Epistol 2 : 33.
[2]) Epist. 2 : 93.

munere suo functus est. Et simul inter tristes eas temporum conditiones „fidei confessionem" in manuscripto composuit, quae deinceps a. 1566 in lucem emissa est [1]. *Cum autem vexationes in dies crescerent, petiit interiores montanas regiones, permigravit in urbem Piuros, ubi mox itidem incidit in contumelias adversariorum, qui ipsi obstruere conabantur. Cum ita ratio rei expediendae haerere coeperit precibus amicorum commotus, in primis instante Zacharia Ursino, qui regens Collegii sapientiae nuncupatus erat, ipsius vices in praestandis officiis Universitati Heidelbergensi suscipere decrevit.*

Die nono ante calendas Februar. aⁱ 1568 Heidelbergam venit, et munus summam theologiae e sacris litteris et patribus in locos communes colligendi, eosque in schola studiosis explicandi, iniit. Quo munere, ut ipse testatur, [2]*, qua potuit diligentia ac fide, tum docendo tum scribendo, functus est. Quin etiam in collegiis, nec non in coetibus ecclesiasticis, fama tantopere crescere coepit, ut honoris causa titulo doctoris ornaretur; et in quaestionibus dijudicandis, sive in senaculo sive in curia, saepius arbiter constitueretur.*

In permultis rebus occupatus interim complures disquisitiones calamo mandavit, vel in lucem emittere decrevit. E. gr. „De tribus Elohim, sive de uno vero Deo aeterno, Patre, Filio et Spiritu Sancto", cui praefationem scripsit Cal. Septembr. a. 1577. „De natura Dei seu de divinis attributis" cui praefatus est Cal. Septembr. a. 1577. „De operibus Dei intra spatium sex dierum creatis," cum epistola dedicatoria ad Joh. Casimirum comitem Palatinum ad Rhenum, iterum edit. a filiis et generis Cal. Mart. a. 1591. „De primi hominis lapsu, de peccato et de lege Dei", itidem a filiis edit. Cal. Mart. a. 1597. Et inter omnes istas exercitationes, cum viva voce tum litteris scriptis, quotidiana familiaris consuetudo cum commilitonibus intercedit.

Sub faustis istis ominibus cum interim Comes Palatinus Fredericus III, fidus confessionis reformatae protector, diem supremum obierit (die sexto ante Cal. Octobr. a. 1576) gratia et auctoritas, qua Zanchius fructus erat, ut et collegarum, in odium venit Ludovico VI, qui in honoribus Comitatus successit Frederico. Iste enim Ludovicus, in factionem Lutheranam inclinatus, edictum perscripsit, ut Zanchius ceterique professores in facultate theologica ineuntibus feriis hiemalibus munere ut et urbe abirent. Cura autem Johannis Casimiri, Ludovici fratris natu minoris, qui confessionem reformatam amplectebatur, scholae theologicae apertae sunt in urbe Neustadtia, in quibus curandis Zanchio delatum est munus libros N. T. interpretandi. Quod munus suscepit ineunte vere a. 1578, oratione habita „de aperiendis in ecclesia scholis deque opera sacrarum litterarum studiis cunprimis danda". Ibi inter permultas curas atque labores auspicatus est interpretationem epistolae S. Pauli ad Ephesios, ad Philippenses, ad Colossenses, ut et epistolarum ad Thessalonicenses. Quae in tractandis istis epistolis in charta scripta habuit, ac calamo auditorum mandata dilatavit et explicavit, post mortem ipsius edita sunt

---

[1] Opp. tom 7. Post obitum Zanchii edita est historica relatio omnium eorum, quae olim Argentinae in controversia inter Zanchium et Marbachium dicta scripta et agitata fuerunt.

[2] In praefatione ad opus »de natura Dei."

sunt ab heredibus; „Commentarius in epistolam ad Ephesios" Cal. Septembr. 1594. „Commentarius in epistolas ad Philippenses, Colossenses et Thessalonicenses" Id. Mart. 1595.

Cum interim ipsius fama cresceret eundo nominatus est Professor ordinarius in facultate theologica in Universitate Lugdunensi (med. Decembr. a. 1578); et simul vocatus est in urbem Antverpiam, ut rebus ecclesiasticis curam voveret. Utramque autem vocationem comiter abnuit. Cum vero Johannes Casimirus, qui sub tutela habebat Fredericum IV patri in comitatu Palatino succedentem, eum permovere conaretur, ut Heidelbergam redux ibi cathedram, unde a patre ejectus fuerat, recuperaret, »ob aciem oculorum hebetatam, nec non ob debilitatas vires", ut ipse scripsit, „ut et provectiorem aetatem," se excusandi veniam petiit. Ubi autem Johannes Comes propositum urgeret, missionem causariam rogavit atque obtestatus est. Qua salvo honore exauctoratus (a. 1583) aliquantum temporis in urbem Chiavennam se contulit, unde „ex fratrum visitatione relaxatus" Neustadtiam redux reliquos vitae annos ibi peregit, neutiquam in otio cessans. Cujus rei luculentum hoc afferri potest documentum, quod per istud aetatis stadium multas etiam disquisitiones litteris mandavit. Donec tandem medio mense Novembr. a. 1590 ex difficili hujus curriculi peregrinatione discessit aetatis a. 74, lassitudine confectus, laetans vero" „ὅτι κατηξίωθη ὕπερ τοῦ ὀνομάτος ἀτιμασθῆναι" (Act. Apostol. 5 v. 41) optime meritus de schola nec non de ecclesia „vir doctissimus, linguarum peritus, in scriptoribus vetustis versatissimus, disputator acutus et exercitatus, eloquens et indefessus in ministerio Christi" [1].

Ex brevi enumeratione eorum, quae calamo mandavit, satis apparet quam fertili ingenio et quanta animi sagacitate praeditus fuerit. Zanchii omnia opera theologica, quibus suggestae sunt orationes et epistolae, cura filiorum [2] *et generorum* [3] *edita sunt octo tomis ex typographia Samuelis Crispini, Genevae a. 1619. Ex ordine nominatim recensentur:*

I. De tribus Elohim, aeterno Patre, Filio et Spiritu Sancto, uno eodemque Jehova, partes duae seu libri 13.

II. De natura Dei, seu de attributis, libri 5.

III. De operibus Dei intra spatium sex dierum creatis, libri 15.

IV. De primi hominis lapsu, de peccato et de lege cap. 28. Opus solidum primam tractatus de redemptione partem continens.

V. Commentarius in Hoseam prophetam.

VI. Commentarius in epistolas ad Ephesios, Philippenses, Colossenses, duas ad Thessalonicenses, et in primam Johannis.

VII. Miscellaneorum partes duae seu libri tres; quibus accesserunt orationes, sententiae et theses de reformandarum ecclesiarum ratione.

VIII.

[1]) De Porta, historia reformationis ecclesiarum Rhaeticarum, 1772 (1. 2. 418).

[2]) Inter quos Ludovicus, qui civis adscriptus fuerat in albo Universitatis Lugdunensis.

[3]) Henr. Conchardus, qui verbi divini minister in Eccles. Ultrajectina fuit, Joh. Rud. Boville, medicus itidem Ultrajecti, e. a.

VIII. De incarnatione Filii Dei libri II.
De sacra scriptura tractatus.
De religione christiana. Compendium doctrinae christianae.
Ad Ariani libellum responsio.
Ad W. Holderum responsio.
De divinatione.
Epistolarum libri II.
Orationes de materiis theologicis.
Adversus blasphemum Petri Gonedzii libellum responsio.
Admonitionis Neostadianae duo capita vindicata.
Variae theses theologicae.
De divortio novisque nuptiis libri II

De scriptis istis, quae in scriniis reliquit, et quae magna saltem pro parte post mortem typis descripta vel repetita sunt, non est quod multa disseram; quandoquidem mihi in votis est de iis summatim agere. Quod ad rationem duntaxat et viam, quam secutus est in variis atque gravissimis quaestionibus tractandis, satis habeo citare, quae ipse scripsit in praefatione ad opus, quod inscribitur „de tribus Elohim etc."

Haec ratio est, cur in duos Tomos distinguere totum opus constituerim: in quorum altero veritas & veritatis confirmatio, in altero quicquid opponitur veritati veritatisque demonstrationi, separatim collocaretur. Doctrinae porro summa haec est, unum tantùm esse verum & aeternum Deum, tribus Elohim, seu personis, verè distinctum, Patre, Filio, Spiritu Sancto: quorum quisque ita Deus est, Jehova, ut non multi tamen sint Jehovae, sed omnes simul unus tantùm Jehova. Quae summa explicata in quinque resolvitur propositiones: quarum prima de uno solo est Deo: Altera de numero deque vera ὑποστάσει τῶν Elohim seu personarum in Deo: Tertia de reali horum trium ὑφισταμένων distinctione: Quarta de vera & aeterna cujusque Deitate: Quinta ac postrema de una & eadem omnium οὐσίᾳ. In primo itaque libro continentur προλεγόμενα in totam hanc de Deo tractationem: ut quot hactenus & quaenam fuerint de Deo sententiae: ut nominibus οὐσίας, ὑποστάσεως & aliorum, quae in hac disputatione usurpantur, &c. Deinde prima thesi explicatur & confirmatur unum tantùm esse verum aeternumque Deum. Altera, Patrem, Filium & Spiritum Sanctum vera esse ὑφιστάμενα verasque personas. Et tertia, hos tres ita inter se esse verè & realiter distinctos, ut unus non sit alter. Quarta quoque ex parte explicatur & confirmatur: nimirum, proprium Christi Patrem verum esse Jehovam. Alter liber multa & varia continet Veteris Testamenti a Genesi usque ad Malachiam loca eorumque explicationes: quibus demonstratur Filium Dei Jesum Christum agnitum fuisse Mosi & Prophetis omnibus pro vero & aeterno Deo Jehova. Acceditur deinde ad Novum Testamentum: ac in tertio quidem libro, qui quasi προαύλιον quoddam est, variis modis & rationibus, partim necessariis partim probabilibus, ostenditur Christi dignitas atque majestas: eum videlicet non esse ψιλὸν ἄνθρωπον, ut Ebion dicebat & deinceps

ceps alii: puramve creaturam, puta, Angelum, ut Arius docuit. Quartus liber post explicatos modos, quibus aliquis dici potest alicujus, atque in primis Dei Filius: testimonia adfert è coelo, hoc est, Patris, Spiritus Sancti, Angelorum Filiique ipsius: quibus demonstratur Christum esse aeternum aeterni Patris Filium, ex Patris ipsius substantia genitum. Ita hîc praeter alia multa ex Evangelio Johannis capita explicantur. Eadem thesis confirmatur libro etiam quinto: sed testimoniis eorum, qui testificati sunt in terra, tum Sanctorum, Johannis Baptistae, Zachariae, Apostolorom aliorumque piorum: tum etiam impiorum, Judaeorum, Pilati adeoque etiam diabolorum: quibus omnibus accedunt tum argumenta quaedam, ex principiis per se notis desumta; tum testimonia antiquissimorum aliquot Patrum: ut totius Ecclesiae consensus appareat huc usque continuatus de aeterna generatione Filii ex Patris Dei substantia. In sexto libro primùm explicatis modis, quibus nomen Dei de aliquo praedicetur, demonstratur firmissimis rationibus, quum Christus in Scripturis vocatur Deus, nomen hoc de illo praedicari propriè & essentialiter: & doceri illum esse Deum natura, non minus quam Patrem. Deinde Apostolicis testimoniis, quibus vocatur Deus, diligenter examinatis idem abunde confirmatur. Ubi praeter alia initium primi capitis Evangelii Johannis ita examinatur, ut haereticorum omnium interpretationibus refutatis orthodoxa Ecclesiae confirmetur ac stabiliatur sententia. Septimus liber de Deitate est Spiritus Sancti: quae itidem testimoniis primum veteris deinde novi foederis confirmatur. Ita thesis quarta, nempe tam Filium & Spiritum Sanctum quam Patrem verum esse aeternumque Deum, certissima esse demonstratur. Postremo prioris Tomi libro, luculentissime eadem methodo defenditur Patrem, Filium & Spiritum Sanctum, quanquam distinctae sunt personae, unum tantum esse duntaxat Jehovam.

In altero Tomo liber primus continet προλεγόμενα, de causis haereseωn, de praecipuis paralogismis, qui ab Antichristis contra sanam hanc de Deo doctrinam admittuntur, deque eas refutandi ratione. Secundus habet responsiones ad exceptiones & sophismata Samosateni & Serveti & aliorum contra secundam & tertiam thesin, de vera personarum ὑποστάσει ac distinctione. Tertio, ea quae contra quartam, de naturali Filii aeternaque ex Patre generatione, deque vera ejus Deitate adferri solent argumenta ab Arianis & aliis, refelluntur. In quarto vindicatur a cavillis Macedonii omniumque πνευματομάχων Spiritus Sancti aeterna Deitas. In quinto respondetur ad strophas Tritheistarum, & magis ac magis confirmatur Patrem, Filium ac Spiritum Sanctum unum tantum esse Jehovam. Denique contra Ochinum defenditur doctrinae hujus de Trinitate cognitionem ad aeternam salutem esse necessariam: quatenus ea scilicet traditur in Sacris Literis & symbolo. Haec summa est atque analysis omnium horum librorum.

Ubi auspicatur interpretationem unius alteriusve libri sacrae scripturae, perpauca, quae animadvertenda habet, praemittit: dein singulas capitum pericopas explicat, et, quotiescunque occasio datur, materiem inde desumtam per locos theologicos fusius tractat. Doctrinae istae saepius fuse et copiose perscribuntur, ut e. gr. in epistolam ad Ephesios locus de ecclesia, de evangelio, de fide, de redemtione,

de

de justificatione, de regeneratione, de sacrificio Christi, de baptismo, de conjugio praesertim spirituali etc. Et id quidem thetice i. e. efferendo nitorem, qui dispersus est per nostram fidei confessionem; vel apologetice, i. e. vindicando veritatem, quae est secundum sacram scripturam, contra adversariorum erraticas doctrinas.

In textu explicando ipse textus excutitur, verba enodantur [1], *quaestiones quae occurrant tractantur, denique quae ad doctrinam elucidandam faciunt summa dexteritate atque perspicuitate explanantur. Ex postulato grammaticae nec non hermeneuticae doctrinae textus, si periodum et si vocabula separatim spectes, accurate pertractatur. Et quod prae ceteris commemorandum est, tota exegeticae artis ratio ex analogia sacrae scripturae vindicatur.*

Ne plura addam, nomen Zanchii diu obscuratum fama pedetentim innotescere incipit; atque opera ipsius, quorum permultae paginae proh dolor! ab iis, qui aromata vendunt, ad cucullos piperis persumtae sunt, magno imo maximo jam pretio aestimantur hodiernis temporibus. Quod ad eum finem ut conferant fasciculi nostra manu exhibiti Deus optimus maximus faveat! et faxit, ut ita hujus speciminis recognitio aliquantulum ecclesiae ac scholae prodesse existimetur.

A. H. DE HARTOG,

Litt. hum. Dr Hospitii academici Regens.

Scripsi idib. Decembr. MDCCCLXXXIX.

---

[1]) In quibus emendandis, quum ceteroquin exacte et uberrime versatus sit, hîc illîc tamen applicat Byzantinam interpretationem. E. gr. (ut unum stet pro pluribus exemplum) in adumbranda voce παραπτώμα (ad Eph. cap. 2 v. 1) eum ita ratiocinantem audimus: »παραπτώμα certe a verbo παραπτόμαι derivatur, quod significat temere aberranteque manu aliquid tangere''. (cf. ex hac editione pars prior pag. 140, cf. contrá pag. 227) Cum satis apparet ex analogia scripturae prorsus aliam notionem huic vocabulo comparatam esse (cf. e. g. Ezech. 14. 13. γῆ ἡ ἐάν ἁμάρτῃ μοι τοῦ παράπεσεῖν παράπτωμα,) Ezech 15 v. 18: ἀνθ᾽ ὧν παρέπεσεν παραπτώματα, Ezech. 18 v. 24: ἐν τῷ παραπτώματι αὐτοῦ ᾧ παρεπεσε κ.τ.λ.)

INDEX

CAPUT IV.

V. 1. Precor itaque vos ego vinctus in Domino, ut ambuletis sicut dignum est vocatione vestra.

Explicata huc usque fuit ab Apostolo Fidei doctrina, quae ad summam haec est: Qui vera fide in Christum credunt, sive Gentiles sint, sive Judaei, eos & ab aeterno fuisse à Patre ad hanc fidem, atque ad vitam aeternam per fidem consequendam in Christo ex mera gratia praedestinatos: & jam eadem gratia per Christum, cui insiti sunt per fidem, redemtos & servatos esse: & denique per Spiritum Sanctum obsignatos usque in diem perfectae redemtionis custodiri in fide ac corroborari in interiori homine, ne à Christo excidant, sed perpetuò in eorum cordibus inhabitet per fidem. Rogandum igitur esse Deum Patrem pro hoc dono perseverantiae, próque incremento in vera pietate favendo: nec quin hoc pro suo immenso erga nos amore, próque sua infinita potentia, qua jam operatur in nobis, facturus sit ullo modo dubitandum esse.

Explicata hac Fidei doctrina in tribus praecedentibus capitibus, transit nunc pro suo more ad doctrinam tum de charitate charitatisque officiis, tùm de nostri mortificatione ac vivificatione, seu de exuendo veteri homine ac induendo novo.

Ac sicut in praecedentibus hortatus est Ephesios ad perseverandum in fide, & ad incrementum in ea faciendum: sic his tribus sequentibus hortatur & rogat, ut idem faciant in studio etiam sanctae vitae, & Christianae charitatis bonorúmque operum, quibus testificentur se veros esse filios Dei, & quibus Pater coelestis glorificetur: & denique ut se ad pugnam contra Diabolum perpetuam fide, verbo Dei, studio justitiae, & precibus arment.

Interim dum ad haec officia bonáque opera hortatur Ephesios, quaedam Fidei mysteria miscet, de descensu Christi in infimas terrae partes, déque ejus ascensu supra omnes coelos: de ejusdem triumpho, expugnatis hostibus, de effusis ab eo donis Spiritus Sancti super Apostolos alióssque fideles: de instituto ministerio verbi, & ejus usu: de corpore Ecclesiae, quod continenter vivificetur à capite Christo & incrementum semper capiat, cap. 4. Denique de de connubio Christi cum Ecclesia, cap. 5.

Haec est summa eorum, quae in hac altera Epistolae parte tractat Apostolus.

Ad

Ad praesens caput quod attinet, si res, quas ex professo & principaliter tractat, spectemus, duae tantùm sunt hujus 4. capitis partes: quia in *prima*, post generalem propositionem de vita instituenda, quae nostrae vocationi ac professioni respondeat, ad concordiam animorúmque in Domino consensionem, eóque ad unitatem corporis Ecclesiae suae conservandam hortatur, à vers. 1. usque ad vers. 17. In *altera* parte de veteri homine cum actibus suis exuendo, déque novo induendo agit á vers. 17 usque ad finem. Quia tamen à vers. 7., ubi novum incipit argumentum ad unitatem illam persuadendam, digreditur, & de ministerio verbi agit, déque ejus usu & fine, usque ad vers. 17; idcircò placet & nobis, ut in tres partes secetur: quarum prima contineatur sex prioribus versibus: altera decem aliis, nempe à 7. usque ad 17. Tertia ad finem usque capitis.

Summa prioris partis haec est: *Primùm* generalem praemittit adhortationem, nimirum talem instituamus vitam, quae nostra vocatione Christianíque nominis professione digna sit (vers. 1) hoc est, vitam sanctam: sumus enim vocati ad Deum, ut simus sancti, sicut & Ipse sanctus est.

Secundò à genere ad species descendens ad speciales quasdam virtutes hortatur, quae ad concordiam atque ad consensionem tum in doctrina, tum in aliis rebus Christianis, de qua praecipuè hîc agit, conservandam pernecessariae sunt: quales sunt humilitas, ταπεινοφροσύνη: mansuetudo, πρᾳότης: lenitas animi, μακροθυμία: tolerantia, ἀνοχὴ, sed quae fit ex caritate versu 2.

Tertiò, id quod praecipuum caput est, hortatur ad concordiam consensionémque, cùm in aliis rebus bonis, tum maximè in doctrina, sicut liquet vers. 14. & 15, eóque ad unitatem Ecclesiae colendam: ad quam persuadendam septem firmissimis utitur argumentis, ab unitate earum rerum, quae in Ecclesia praecipuae sunt, ductis, vers. 3. 4. 5. 6. Haec est summa primae partis. Octavum postea argumentum ad eandem unitatem servandam ponit in vers. 7. sed antequam illud absolvat, digreditur, ut antè dixi, ad institutionem usúmque ministerii Ecclesiastici. Percurramus nunc Apostoli verba.

V. 1. *Precor itaque* (sic etiam Hieron. & Ambros.) *vos ego vinctus in Domino, ambuletis dignè* (id est) *ita ut dignum est, vocatione, qua vocati estis: vel* ἀξίως: *decenter*, id est, *ut convenit vocationi vestrae.*

Syr. *Peto igitur à vobis ego vinctus in Domino nostro, ut ambuletis quemadmodum convenit vocationi, qua vocati estis.* Benè explicavit dictionem ἀξίως: Scholia illud ἐν κυρίῳ, interpretantur διὰ τόν κύριον: eodem sensu, quo & cap. 3. dixerat, ὁ δεσμὸς τοῦ Χριστοῦ: *id est*, propter causam Christi, propter Christum. Est enim Hebraïsmus, *Baihova* idem quod *propter Jehovam.*

Posset etiam conjungi cum verbo παρακαλῶ ὑμας ἐν κυρίῳ: id est, propter Dominum precor, sed magis placet prior lectio: Ego, vinctus ἐν κυρίῳ, rogo vos; denuo enim repetit se quidem vinctum esse, verùm non propter scelus aliquod à se perpetratum aut propter falsam doctrinam praedicatam, sed propter Jesum ejúsque Evangelium. Neque enim dubium est, quin nomine κυρίου intelligat Christum.

Est autem in his verbis, *Ego vinctus in Domino*, duplex argumentum, quo tanquam duplici stimulo excitat Ephesios ad ambulandum prout decet illo-

illorum vocationem. *Unum est*, quia ego sum vinctus pro salute vestra: nisi ergò ita vivatis, ut decet filios Dei, vos haec mea vincula, quae alioqui propter vos libenter fero, reddetis mihi amarissima & intolerabilia. Nihil enim mihi acerbius vestra perditione. Rogo igitur ego vinctus propter salutem vestram, rationem habeatis vos etiam vinculorum meorum, ne me vestra mala vita, dissidiis nimirum & rixis vestris, extremo dolore afficiatis & enecetis.

Alterum argumentum est, quia sum vinctus in Domino: *id est*, propter Christum. Si igitur me vinctum in Domino vita filiis Dei indigna turbaveritis & contristaveritis, scitote vos multò magis contristaturos Dominum ipsum, cujus causa ego sum vinctus, *id est*, proinde tum propter me, tum verò maximè propter Dominum debetis ambulare, sicut vestram decet vocationem.

Ambulare, tum in peccatis tum in bonis operibus, quid sit, suprà abundè declaravimus. Certè ambulare ille in aliqua via non dicitur, qui post duos aut tres passus, inde pertaesus vitae discedit. Sic neque qui tantùm incepit aliquid boni operis dicitur ambulare in bonis operibus, sed qui continenter & hilari constantique animo in eorum studio perseverat. Sic neque dicitur ambulare in peccatis, qui aliquando labitur in peccata & mox surgit ac redit in viam: sed qui ex animo peccat & pertinaciter: sicut Psalm. 1. & in lib. Regum, qui pertinaciter secuti sunt idola Jeroboami. Ergo his verbis Apostolus ad constantiam in studio bonorum operum vitaeque sanctae nos hortatur. Via autem, in qua nobis est ambulandum, est illa ratio vitae, quam Deus sua lege praescripsit, de qua David, *viam mandatorum tuórum concurri.*

Omnis autem via ducit ad aliquem locum eos, qui in ea pergunt. Duas verò tantùm esse vias docuit Christus apud Matth. cap. 7. Viam mundi amplam, quae ducit ad perditionem, & viam Domini angustam, quae ducit ad vitam.

3. Latet igitur in hoc verbo ambulandi *tertium* argumentum, quo exstimulat Ephesios, ut constanter pergant in studio sanctae vitae: Quia, si deflectant à via hac, in quam adducti fuerunt à Paulo, peribunt. Ergo etiam propter suam ipsorum salutem debent ambulare decenter, sicut dignum est vocatione sua.

Quod hìc ait de vocatione, de utraque vocatione interpretor: communi scilicet & propria atque privata. *Communis* omnium Christianorum est, qua vocati sumus omnes ad Christum, ut omnes simus ejus membra & filii Dei. Vocatio haec tam ab uno quàm ab alio postulat, ut sanctè vivamus, & ut decet filios Dei membráque Christi; quo illud pertinet: *Sancti estote, quia & ego sanctus sum.* Privata *& cujusque propria* illa est, ad quam quisque peculiariter vocatus est, alius sicut pater, alius ut filius: alius ut minister verbi, alius ad aliud officium. Sicut etiam membra varia habent officia, praeter id quod habent commune, nempe ut maneant in corpore, & dignè persona illa, cujus sunt membra, se gerant.

Vult igitur Apostolus primùm quidem, ut omnes, spectata generali & communi vocatione, vitam illa dignam traducamus, *hoc est*, studeamus sanctitati vitae, sicut etiam Deus sanctus est, & ad sanctitatem nos vocavit. Deinde vult, ut pro sua quisque peculiari vocatione se dignè gerat: & suum quisque fideliter officium faciat: qui pater, suos corrigat liberos, & instituendos curet in

timore

timore Domini: qui doctor, fideliter doceat: qui studiosus, diligenter studeat. Atque hoc est *quartum* argumentum, cur debeamus ipsius adhortationem audire eíque obtemperare, quia scilicet hoc postulat vocatio nostra, tum communis tum propria.

Ac quae ad generalem vocationem pertinent, breviter explicavit Apostolus ad Titum 2. *Apparuit benignitas & humanitas salvatoris nostri Dei, ut abnegata impietate, & secularibus desideriis, sobrie, juste, & piè vivamus in hoc seculo:* & ad hanc pertinent, quae toto hoc capite tractantur, de humilitate, de tolerantia, de charitate, de concordia, de unitate servanda, de veteri homine exuendo, & quae cap. 5. per aliquot versus. Quae verò ad privatam cujusque vitam pertinent, de iis dicet in 5 cap. & 6. Est itaque perspicuus sensus Apostoli in hoc versu: Rogat Ephesios, & in eis etiam nos, ut memores nostrae vocationis, tum generalis tum particularis, unde & quonam & per quem & quamobrem & in quem finem simus vocati, ita vitam instituamus nostram, ut ea conveniat vocationi nostrae: & per eam glorificetur ille, qui nos ad tantam dignitatem vocavit, ut facti simus filii Dei & membra Christi. Atque hoc est primum & generale mandatum, nempe, ut simus sancti, quemadmodum Ipse sanctus est.

V. 2. Cum omni humilitate & mansuetudine, cum animi lenitate, tolerantes alii alios per charitatem.

Syriac. *Cum omni demissione mentis & mansuetudine & longanimitate: & sitis tolerantes alius alium in charitate.*

Hîc, post generalem admonitionem, de qua modo diximus, incipit Apostolus particulariùs explicare, quaenam virtutes deceant filios Dei & membra Christi: nempe quae etiam in Christo primogenito filio Dei & capite nostro fuerunt, & sunt. Christus autem inprimis fuit ταπεινὸς τῇ καρδίᾳ. Secundo, καὶ πρᾶος, Matth. 11, Tertiò, καὶ μακρόθυμος, *id est* mansuetus, 2. Pet. 3. Est enim & haec propria Dei virtus, Rom. 2. Quarto fuit item & ἀνεχόμενος, tolerans malorum & injuriarum; quae virtus ex μακροθυμίᾳ nascitur.

Unde & Apostolus utramque virtutem in Deo conjungit dicendo Rom. 2. *An divitias bonitatis ejus* καὶ τῆς ἀνοχῆς καὶ μακροθυμίας *contemnis?* Unde verò haec tolerantia? Ex caritate erga illos quos toleramus. Ideò addit Apostolus, ἐν ἀγάπῃ. Ubi autem major erga nos charitas quàm in Deo, cujus filii sumus facti, & in Christo, cujus sumus membra? de qua Ephes. 3 dixit, *quae omnem superat cogitationem.* Meritò igitur Apostolus, postquam in genere dixit, *Rogo ambuletis prout dignum est vocatione vestra, id est,* qua vocati & facti estis filii Dei & membra Christi, subjecit priori loco has virtutes, quae propriae sunt Christi: monens & rogans ut his virtutibus praediti vivamus & in iis nos exerceamus: tacitè innuens, inter Ephesios, sicut & inter nos, non defuisse, qui contrariis vitiis laborarent, eáque esse vitanda: quod inde oriantur dissensiones unitatem Ecclesiae abrumpentes.

Contrarium humilitati vitium est superbia, mansuetudini ferocia & morositas: μακροθυμίᾳ iracundia: tolerantiae vindicta: caritati erga proximum odium

&

& φιλαυτία: de quibus singulis virtutibus paulo post nonnihil dicam: nunc enim tantùm verba percurrimus, & quis sit Apostoli sensus breviter investigamus.

Notanda igitur est causa, cur post illam generalem adhortationem ad vitam decenter, & ut convenit vocationi Christianae transigendam, statim subjecerit has virtutes, dicendo: *Cum omni humilitate*, id est, Causa duplex est, *prima*, quia nihil magis decet filios Dei & fratres Christi, quàm post fidem ipsa modestia atque vera humilitas, qua semper & coram Deo hominibus sese demittant, aliis plus quàm sibi tribuentes; quàm ipsa etiam vera mansuetudo, qua animo placido christianus quisque comitem sese & affabilem omnibus praebeat: quàm ipsa μακροθυμία, qua non sinat se facilè quavis injuria ad iracundiam provocari: quam denique ipsa ἀνοχὴ, qua cujusque infirmitates ex charitate toleremus & omnia perferamus; atque his virtutibus Deo Patri & Jesu Christo similes nos exhibeamus. Certè, sunt hae virtutes ornamentum christiani hominis: & verò etiam quibus ingenium Spiritus Christi verè exprimitur. Sic Scholia interpretantur τοῦτο γάρ ἐστιν ἀξίως τῆς κλήσεως περιπατῆσαι.

Altera causa est, quia sine iis virtutibus vivere inter se pacificè homines non possunt: quando inter superbos, arrogantes, immodestos, & iracundos, jurgia semper sint & contentiones necesse est. Unde Salomon Prov. 13. Inter superbos, *inquit*, semper jurgia. Cum igitur Apostolus hortaturus esset cumprimis ad concordiam unitatémque Spiritus retinendam atque fovendam: praemisit has virtutes, quae sunt ceu fundamentum concordiae atque unitatis. Ideò verba possunt construi cum verbo ἀνεχομένοι in vers. 2. & cum verbo σπουδάζοντεσ servare unitatem Spiritus hoc modo, cum omni humilitate, μακροθυμίᾳ, tolerantes vos, &c.

Illud, μετά πάσης ταπεινοφροσύνης potest bifariam accipi: aut de omni modestia & humilitatis specie: aut de vera & perfecta humilitate atque modestia: haec altera interpretatio simplicior est & Apostolo familiaris. Fieri enim potest ut quis externè modestum se praebeat & humilem, intus tamen superbum & elatum animum gerat; idémque de aliis virtutibus dico. Paulus igitur adjecit πάσης: quia Spiritus Sanctus non probat simulatam humilitatem, simulatámve modestiam ac mansuetudinem, sed veram & perfectam requirit, hoc est, ut non tam externé quàm internè simus modesti.

Vocem ταπεινοφροσύνης vertunt alii modestiam, quod sit magis latina vox quàm humilitas: sed libenter ego retineo vocem humilitatis, quae est species modestiae: partim quia nomen modestiae frequentiùs ad externorum morum compositionem quàm ad animi demissionem exprimendam usurpatur; partim quia Christus quoque hoc sensu accipit, cùm dixit, se esse ταπεινὸν τῇ καρδίᾳ, & omnes ita vertunt, sum humilis corde, Matt. 11. Adde, quia ipse Syriacus habet, cum omni demissione mentis.

Illud ἀνεχόμενοι, tolerantes, alii alias: in Graeco contextu videtur non congruere cum pronomine accusativo ὑμᾶς, & debuisse dici ἀνεχομένους non ἀνεχομένοι. Et sic in vers. 3. σπουδάζοντας: sed hujuscemodi ἀντιπτώσεις non sunt inusitatae apud Graecos.

Quid sit ἀνέχειν, tolerare & sufferre, declarat vel ejus philosophi dictum, qui in his

his duobus humanae vitae felicitatem collocabat, ἀνέχου καὶ ἀπέχου, *sustine & abstine:* hoc est, *in non inferendis & ferendis injuriis.* Apostolus omnino intelligit hoc verbo, non debere nos ob quamvis fratrum imperfectionem, injuriam, morositatem alienare ab ipsis animum, & illorum amicitiae renunciare, ut propterea desistamus ab officio amici & fratris faciendo. Hoc significat ἀνέχειν, seu tolerare aequo animo, quae in fratribus displicent, ut non desinamus illos amare, illis benefacere, cum illis versari. Ille *(exempli causa)* dicetur tolerare uxorem, qui licet multa in ea videat sibi displicentia, morésque incommodiores, eam tamen non desinit amare, & boni mariti officium illi praestare; hic est sensus verbi ἀνέχειν & tolerandi.

Caeterùm, quia adjecit ἐν ἀγάπῃ, docuit tria. *Primum* modum, quo debemus alii alios in sui diversis moribus tolerare, nempe ἐν ἀγάπῃ, non contra charitatem: sicut ad Ephesios 6. dicitur: *Obedite parentibus in Domino*, non contra Dominum. Eatenus igitur jubemur tolerare fratrum infirmitates, morésque incommodos, & injurias: quatenus ad illorum facit salutem, & ad utilitatem, conservationémque Ecclesiae: hoc enim postulat charitas: & hic scopus est Apostoli in hac exhortatione. Non igitur jubet, dissimulemus vitia: quae charitas jubet corrigi, propter ipsorum fratrum salutem & Ecclesiae aedificationem; sed eatenus tantùm feramus, quatenus nobis incommoda & ingrata sunt. Neque enim paterfamilias benefaceret, si ita toleraret vitia in filiis & in sua familia, ut ad ea conniveret; cùm Apostolus mandet in hac Epistola, ut corrigamus liberos nostros; hoc enim pugnaret cum charitate, qua illos amare jubemur. Modum igitur praescribit tolerantiae: Ut, *scilicet*, in charitate, & ad charitatem toleremus.

Secundò, hinc sequitur alterum. Docuit causam impulsivam, cur debeamus alii alios tolerare: non propter nostrum commodum, non quia possumus aliter facere, non denique ex ullo affectu carnali: sed tantum ex charitate, *id est*, hoc etiam est tolerare in charitate, *id est*, ex charitate & per charitatem.

Tertiò, docet causam efficientem verae patientiae & tolerantiae esse charitatem. Docet enim sine humilitate, & quidem sine mansuetudine & sine μακροθυμίᾳ non posse nos invicem tolerare & pacificè inter nos vivere; & ideò dixit cum omni humilitate tolerantes nos invicem, sed tamen charitatem esse matrem verae & Christianae tolerantiae, imò superiorum etiam virtutum: sicut Apostolus 1. Cor. 13. explicat, dicendo: *Charitas patiens est, benigna est, Charitas omnia suffert.* Proinde dubium non est, quin hîc hortetur Ephesios, & nos, ad charitatem cum primis Christianam fovendam & conservandam; quia ex hac sequitur vera tolerantia aliaéque virtutes ad vitam cum proximo honestè christianè & feliciter transigendam necessariae; sed hoc jam obiter facit: peculiariter enim ad charitatem hortatur in cap. 5.

Haec porrò particula, ἀνεχόμενοι ἀλλήλων, docet, in quem finem mentionem fecerit humilitatis, mansuetudinis, μακροθυμίας: propter, *scilicet*, hanc tolerantiam: *hoc est*, ut doceret ad hanc mutuam tolerantiam illas virtutes esse necessarias: quando inter superbos, feroces seu furiosos, iracundos, nullum habere potest locum tolerantia. Tolerantiae ergo inservit humilitas; quorsum verò haec tolerantia & in quem usum ordinata est? ad unitatem corporis

Eccle-

Ecclesiae, in quod asciti & insiti sumus per Spiritum Sanctum, *scilicet*, retinendam, colendam, fovendam. Hoc jam est quod subdit.

V. 3. Studentes servare unitatem Spiritus in vinculo pacis.

Syriac. *Sitísque solliciti, ut servetis consensionem Spiritus in vinculo pacis.* Virtutes igitur illae tres, de quibus dixit, necessariae sunt ad tolerantiam: tolerantia ad concordiam inter fratres in Domino servandam: eóque ad unitatem Ecclesiae retinendam. Atque hîc habemus praecipuam propositionem hujus prioris partis capitis quarti, quam postea probat argumentis multis usque ad vers. 7. & ultrà. Quaenam verò haec est propositio? haec sane: *Studendum est pio cuique ut unitas Spiritus conservetur, per vinculum pacis.*

Hîc tria sunt explicanda. *Primùm*, quae sit ista unitas, de qua loquitur. *Alterum*, cur vocetur unitas Spiritus. *Tertium*, quomodo dicat conservari per vinculum pacis.

DE PRIMO.

Unitas haec est illa, de qua supra dixerat cap. 2. & 3.: Christum pacem nostram fecisse ex utrisque unum. Item nos factos esse concorpores. Item conditos esse Judaeos & Gentiles in unum novum hominem. Unitas est corporis Christi, quod est Ecclesiae, corporis, *inquam*, ex variis Electis populis & hominibus conflati, & uni capiti Christo copulati atque conjuncti.

DE SECUNDO.

Vocatur unitas Spiritus duabus de causis. Primò, quia non est unio corporalis, sed spiritualis; neque enim omnium fidelium corpora simul conjuncta sunt in uno loco: & tamen sunt omnes verè unum corpus cum Christo & inter se, Act. 2. erat *(inquit Lucas)* illis anima una & unum cor; loquitur de fidelibus. Unitas igitur est Spiritus, quia spiritualis. Secundò, quia per Spiritum Sanctum fit, nexu spirituali, conjunctis omnibus fidelibus inter se & cum Christo. Haec est illa unitas Spiritus nimirum Sancti, ad quam hortatur Apostolus Ephesios & nos omnes: Ut, *scilicet*, in hujus corporis unitate quisque se conservet. Et dicit:

Studentes, quia oportet omnem adhibere diligentiam, ut nos in hac unitate Ecclesiae conservemus.

DE TERTIO.

Sed quomodo conservatur? *In vinculo pacis, ait.* Pax enim est vinculum, quo multi & diversi in unum coëunt, & uniti servantur.

Concordia (dicebat ille profanus) parvae res crescunt, discordia res magnae dilabuntur; & Christus, *omne regnum in seipsum divisum desolabitur*, Matth. 12.

Ergo

Ergo unitum & in pace positum conservabitur & augebitur. Quare in pace unitas Ecclesiae conservatur; sicut dissidiis tollitur & totum corpus dissipatur. Dum itaque ait Apostolus,

Studentes servare unitatem Spiritus in vinculo pacis, hortatur nos ad pacem, ut hujus vinculo unitas Ecclesiae conservetur: hic est verus & simplex sensus hujus versus.

Sed pax servari non potest, ubi alii alios tolerare mutuásque infirmitates & ignorantias ferre non possunt: propterea immediatè praecessit adhortatio ad tolerantiam. Tolerantia autem locum non habet inter iracundos, feroces atque furiosos & superbos, sed tantum inter humiles, mansuetos, placidos & patienti animo homines. Proinde ante hortatus est ad has virtutes: à contrariis verò vitiis tacitè dehortatus est. Ita hoc versu manifestè docuit, in quemnam finem praecedenti versu ad illas virtutes hortatus sit Ephesios: nempe propter hanc unitatem Ecclesiae conservandam. Ad hunc igitur illa omnia referenda sunt: quia hic est scopus Apostoli in iis duobus versibus, & vero etiam in subsequentibus usque ad 7. In praecedentibus docuit modum, quo servari debeat haec unitas Ecclesiae: in sequentibus subdit argumenta & stimulos, quibus excitat ad studium conservandae hujus unionis & unitatis Ecclesiasticae. Ducuntur autem haec argumenta à vinculis, quibus Christiani inter se conjuncti sunt: ac proinde quibus constat unitas Ecclesiae.

V. 4. Unum (est) *corpus, & unus Spiritus, quemadmodum & vocati estis in unum Spiritum vocationis vestrae.*

Syriacus conjungit cum superiori versu, qui sic habet, *Sitísque solliciti ut servetis consensionem Spiritus in vinculo pacis:* & statim subdit, *Ut sitis in unum corpus & in unum Spiritum, quemadmodum vocati estis in unum Spiritum vocationis vestrae.*

Ad constructionem quod attinet, quia hîc desideratur verbum, Graeca Scholia hîc multum laborant. Primum volunt subintelligi καθ᾽ & construi cum verbo σπουδάζοντες τηρεῖν, *hoc sensu*, σπουδάζοντες τηρεῖν τήν ἑνότητα καθ᾽ ἓν σῶμα, καὶ καθ᾽ ἓν πνεῦμα, τοῦτο γάρ ἡ ἑνότης τοῦ πνεύματος. Juxta hanc interpretationem Apostolus his verbis declarat, quaenam sit illa ἑνότης τοῦ πνεύματος, quam servare jubemur: nempe ea, quâ in unum corpus & in unum spiritum conditi sumus, atque collecti per Spiritum Christi. Quanquam juxta hanc lectionem & constructionem duplex potest esse sensus, nempe καθ᾽ ἓν, *id est*, secundùm quod estis unum, vel, ut sitis unum corpus. Secundo, volunt sic construi posse per ὑπερβατὸν: σπουδάζοντεσ ἀλλήλους τηρεῖν καὶ Φυλάττειν ἓν σῶμα καὶ ἓν πνεῦμα, κατά τὴν ἑνότητα τοῦ πνεύματος, *id est*, quemadmodum Spiritus Sanctus nos univit, & vocavit: *id est*, Quemadmodum in unum corpus & in unum Spiritum per Christum univit; eodem tamen recidunt ambae interpretationes. Tertio, ut ἀπὸ τοῦ κοινοῦ repetatur verbum τηρεῖν σπουδάζοντες τὴν ἑνότητα καὶ τηρεῖν τὸ ἓν σῶμα, quod estis vos.

Camerarius vult sic construi posse: vos estis unum corpus: alii sic, unum corpus, *scilicet*, est tota Ecclesia. Nos hanc sequemur, ut simpliciorem. Proinde

ad

ad persuadendam illam unitatis conservationem, de qua loquitur in tertio versu, hoc erit *Primum* argumentum ductum ab unitate corporis Ecclesiae, seu ab unione omnium fidelium in unum corpus, hoc modo:

Ecclesia tota est unum tantum corpus, ex variis conflatum membris. Sicut ergo in humano corpore singula membra in hoc operam suam praestant, ut se invicem in corpore unita retineant, & in totius corporis unitatem servent: Sic vos, qui estis membra unius & ejusdem corporis, debetis in hoc studium incumbere, ut totius hujus corporis unitatem servetis. Quid enim magis prodigiosum, quàm si membra in humano corpore inter se dissideant, & adversus unitatem totius corporis insurgant?

Secundum argumentum ducitur ab unitate Spiritus, quo omnes fideles in unum corpus conjuncti sunt & vivunt & moventur; unus tantum est Spiritus totius Ecclesiae, quo omnes fideles in unum conjuncti sunt corpus, à quo vivificantur & reguntur, quemadmodum ab una anima totum humanum corpus & singula membra. Ergo sicut in humano corpore singula membra in hoc intenta sunt, ut quando vi unius & ejusdem animae colligata sunt simul, & ab uno eodémque spiritu vivificantur, simul etiam unita maneant, hancque unitatem conservent & animam in se retineant: sic vos debetis idem facere. *Quid enim portentosius, quàm si unus homo, uno corpore & una anima constans, à seipso dissideat, & adversus seipsum arma sumat, pellens à se animam & corpus perdens?* Omnes autem fideles, eóque tota Ecclesia, quid aliud sumus, quam unus homo? Sic supra cap. 2. ait, Christum duos populos condidisse in unum novum hominem. Debetis igitur esse conjunctissimi, sicut membra in corpore ab eodem animo vivificata & consociata conjunctissima sunt, & unitatem servant.

Tertium argumentum ab una & eadem salute & felicitate coelesti, ad quam vocati sumus, & quam simul speramus omnes: spem enim accepit hîc pro re sperata: una & eadem est spes vocationis omnium nostrûm, *id est*, una est & eadem salus aeterna coelestísque haereditas, ad quam vocati sumus omnes, & ad quam omnes speramus, *id est*, in qua non dubitamus, quin futuri simus omnes simul in summa pace & felicitate victuri. Quid igitur absurdius quam nos hîc in terris dissidere, qui futuri sumus omnes simul una & eadem felicitate, ídque in sempiternum, fruituri? Ut igitur, qui jam in coelo sunt, verè unum semper sunt & conjunctissimi inter se: sic debemus omnes nos esse conjunctissimi: quia licet simus jam in terris, sumus tamen futuri omnes in coelo unius & ejusdem felicitatis consortes.

Hic locus etiam facit ad confirmandum, non futuram diversam felicitatem unius à felicitate alterius. Unam enim & eandem esse dicit Apostolus rem, ad quam sperandam, *id est*, certò propter Christum expectandam vocati sumus.

V. 5. Unus Dominus, una fides, unum Baptisma.

Hîc tribus aliis utitur argumentis Apostolus ad exstimulandos Ephesios & nos simul, ut Ecclesiae unitati conservandae studeamus.

Quartum igitur argumentum sumit ab omnium fidelium domino, dicendo, *Unus*

Unus est dominus: intelligit autem Christum: nam postea de patre loquetur, vers. 6. Christum igitur hîc intelligit nomine Domini, non simpliciter tamen & quatenus est creator, eóque & Dominus rerum omnium, quo sensu Pater quoque dominus est, & Spiritus Sanctus dominus; sed quatenus redemptor est Ecclesiae, & gubernator ejus, ac servator, & quia ejus caput. Istis duobus praecipuis respectibus Christus dicitur Dominus Ecclesiae, eóque peculiaris est omnium electorum & Ecclesiae dominus: *sicut etiam idem unicus est mediator, unicus Ecclesiae sponsus, & peculiaris redemptor*: quo sensu Christus dicebat, *Vos vocatis me magistrum & dominum, & bene dicitis: sum etenim*, Joh. 13. & Stephanus Act. 7. *Domine Jesu suscipe Spiritum meum:* & Apocal. 22. *Veni Domine Jesu, veni.* Est enim Christus datus nobis à Patre, ut sit mediator, & dominus noster, cui immediatè sumus subjecti. Est igitur hoc sensu unus tantùm nobis dominus, qui est Jesus Christus. Argumentum verò tale est.

Unus est omnium nostrûm dominus Jesus Christus, unus, *inquam*, est dominus, qui nec vult, nec potest dividi: & talis dominus, cujus unius sanguine redempti sumus omnes, & à quo uno omnes regimur & gubernamur, ac proinde cui omnes inservire tenemur. Hinc hae sequelae.

Prima: quantum igitur ingrati animi crimen fuerit, si non ei unanimes & consentientes inserviamus, cujus unius sanguine redempti sumus? à quo uno regimur, vivificamur? sicut enim unus tantùm est dominus, sic uno & eodem animo, & in eundem finem, oportet famulos juxta ipsius voluntatem ei inservire: alioqui grata ei non sunt obsequia nostra, & unitatem Ecclesiae scindunt, quia alia ratione eum colere volunt, quàm ea, quam ipse Dominus nobis praescripsit.

Secunda: quantum etiam facinus est, si hunc unum Dominum nostrum laceremus in frusta? lacerant autem quantum in ipsis est, quicunque unitatem Ecclesiae quavis ratione scindunt. Ecclesia enim corpus est Christi Domini nostri: contentiones igitur & rixae, quibus Ecclesiae unitas turbatur, ipsum etiam Dominum lacerant & dilaniant, cùm Ecclesia sit corpus ipsius Domini nostri.

Tertia: Si unus tantùm est Dominus Ecclesiae, eóque unus tantùm servator, cui uni subjecta est Ecclesia: Illi igitur scindunt unitatem Ecclesiae, qui alios ei dominos & servatores obtrudunt: Ecclesiam enim avellunt à suo capite.

Quintum argumentum ab una & eadem fide totius Ecclesiae; hoc praesertim argumentum valet adversus eos, qui Ecclesiam turbant, variis doctrinis Ecclesiae Christi Catholicae incognitis. *Una* (inquit) *est Fides:* bifariam hoc nomen accipi potest: & uterque sensus ad propositum facit. I. Pro doctrina salutis quam credimus esse veram: juxta illud: haec est Fides Catholica, *id est*, doctrina quam Ecclesia Catholica credit & recipit, & sic etiam in sacris literis nonnunquam accipitur. Fuit autem semper una & eadem salutis doctrina, eóque una fides totius Ecclesiae. II. Pro dono Fidei, quo credimus; & haec significatio frequentissima est, quomodo verò una est? Non respectu subjectorum, quia hac ratione tot sunt numero fides, *id est*, dona fidei, quot sunt homi-

homines fideles: sed una est & semper fuit specie & respectu rei creditae atque objecti, in quo recumbit fides Ecclesiae: objectum enim hoc unum tantum est: & hoc est, gratia ac misericordia Dei in Christo proposita, jam inde à condito orbe: praedestinata autem & praeparata ante creationem mundi in eodem Christo. In hac enim recumbit fides Ecclesiae, seu in Christo cum hac gratia nobis oblata; & per eandem in Christo gratiam crediderunt Patres servatum se iri, per quam & nos credimus servatos esse. Ita unius & ejusdem doctrinae, unius & ejusdem fidei vinculo omnes electi semper fuerunt in unum conjuncti. Et in hoc quàm maximè unitas Ecclesiae consistit, in consensione nimirum ejusdem doctrinae, per Christum dominum nostrum revelatae, & in una eadémque fide, qua per eum solum ex gratia Dei, sine lege legísve operibus ac meritis nostris, nos servari credimus. Illi igitur unitatem Ecclesiae scindunt, qui aliam Ecclesiae doctrinam obtrudunt, quàm quae fuit revelata per Christum, & quae una eadémque semper fuit in Ecclesia Dei. Illi item, qui fiduciam salutis in aliis collocant, quàm in sola Dei gratia, & in solis Christi meritis, sanguine & morte. Una enim semper fuit & debet esse fides in Ecclesia. Quare Pseudoapostoli, qui docent, praeter fidem in Christum, per opera etiam legis homines servari, & hoc omnino ita credendum esse contendunt: ii lacerant unitatem corporis Ecclesiae.

Sextum argumentum à Baptismi unitate: *unum* (inquit) *est Baptisma:* Baptisma duo habet, sicut & Coena & omne sacramentum: signum externum, & rem internam seu signatam. Quo ad utrumque, unum tantùm est à Christo institutum, & semper erit in Ecclesia. Et in re quidem signata consistit unitas Ecclesiae: quia omnes in unum Dominum baptizamur *Patrem*, *Filium*, *Spiritum Sanctum:* & omnes in idem foedus recipimur, atque hujus novi & aeterni foederis vinculo omnes in unum corpus unimur, omnésque in morte Christi baptizamur atque consepelimur, morimúrque peccato. Symbolo autem externo unitas Ecclesiae significatur: quod sicut omnes eodem insigni obsignamur & notamur discernimúrque à non Christianis, sic etiam reipsa omnes ad Christum pertineamus, simúsque unum cum illo corpus. Quo ad rem solam, idem fuit Baptisma etiam patribus jam inde à condito orbe, sicut etiam eadem Coena Domini, ad rem ipsam quod attinet, & illis fuit & nobis est. Quanquam signa fuerunt diversa, Deo sic omnia dispensante.

Quid ita? voluit enim significare, diversitate signorum à se diversis temporibus institutorum non tolli unitatem Ecclesiae, sicut neque in ipsis unitas Ecclesiae per se consistit: multò minùs igitur consistere in iisdem caeremoniis ab hominibus inventis & additis. *Argumentum igitur tale est.* Unum semper fuit, ad rem ipsam quod attinet, Baptisma, etiam ante Christi adventum: nunc unum & idem est Baptisma, quod ad externum etiam Symbolum, ac proinde hoc jam vinculo conjuncta est Ecclesia cum Christo in unum corpus (*ut est*, 1. *Cor.* 12.) Quod autem dixit Apostolus de Baptismo, idem de Coena per Synecdochen intellexit. Illi igitur unitatem Ecclesiae scindunt, qui aut rem ac vim Baptismi & Coenae tollunt ab Ecclesia, nihílque ea esse quàm externas tesseras contendunt: aut qui aliud in illis statuunt, quàm Christus credi voluit: aut etiam qui alia Sacramenta instituunt: qui denique suis

suis opinionibus de Sacramentis turbant Ecclesiam, fratres excommunicant, violant charitatem & pacem. Sic faciebant Judaei qui in Ecclesia erant, cum urgebant circumcisionem, quasi Baptisma non fuerit sufficiens signum foederis. *Unum est Baptisma* (inquit Apostolus). Quare ad unitatem Ecclesiae servandam neque alia Sacramenta instituenda sunt, quàm quae Christus instituit: neque aliud in illis esse aut per ea nobis exhiberi credendum, quàm quod Christus docuit nobis dari: sed neque hoc negandum est dari, quod omnino Christus docuit praeberi, & quidem eodem modo accipi, quo Christus percipi docuit, per fidem, scilicet, veram.

v. 6. *Unus Deus & pater omnium, qui est super omnia, & per omnia, & in omnibus vobis.*

Septimum est argumentum ab uno Deo optimo, maximo, & patre maximo, qui est super omnia; optimo, quia per omnia meat, omniáque optimè regit: patre, quia elegit nos in filios, & in nobis omnibus inhabitat, ut pater per suum Spiritum. Ita illud εἷς θέος, etsi tres personae unus essentia sunt Deus, peculiariter tamen hîc de persona patris, κατ᾽ ἐξοχήν, intelligitur: cùm antea seorsim de Spiritu Sancto dixerit, ἓν πνεῦμα, & seorsum de Christo εἷς κύριος. Illud verò καὶ πατὴρ πάντων, quanquam de omnibus hominibus intelligi potest, quatenus est omnium creator, sicut etiam pater pluviae appellatur, Job. 38: Illis tamen potiùs subscribo, qui illum vocari hîc patrem, respectu fidelium electorum aiunt. Ratio est, quia hîc de Deo Patre sermo est, quatenus illi singulariter juncta est Ecclesia, & ipse in singulis nobis, ut mox subdet Apostolus, inhabitat: & ut Christus loqui solet, Pater vester.

Illud verò, ὁ ἐπί πάντων, ad essentiam, naturam & proprietates Dei refero: nimirum quòd Deus omnibus suis creaturis in infinitum excellat, τῇ οὐσίᾳ, τῇ φύσει, proprietatibus modísque omnibus. Hoc est, esse super omnia. Illud verò, καὶ διὰ πάντων, ad providentiam refero, qua θέει, currit, & permeat omnia, *id est*, sustentat regítque; omnia juxta illud Virg. *Eccl.* 3. Jovis omnia plena: & *Æneid* 6. Deum namque ire per omnes terrásque tractúsque maris coelúmque profundum. Hinc enim id est, quod ἀπὸ τοῦ θέειν, θεὸν vocari volunt Graeci. Ita Deum hunc unum celebrat: primùm ab essentia, natura, proprietatibus, totáque ejus majestate, qua omnibus eminet. Deinde à providentia, qua omnia praesens regit pérque omnia meat.

Illud verò, καὶ ἐν πᾶσιν ὑμῖν, ad inhabitationem, qua peculiariter per gratiam inhabitat in singulis Ecclesiae membris omnino referendum est. Hinc enim pendet vis argumenti: Studendum esse unitati Ecclesiae conservandae: quia unus est & idem pater, qui in omnibus nobis inhabitat, Deus, *scilicet*, ille unus, aeternus, immensus, omnium conditor ac gubernator. Quid igitur est aliud, rumpere unitatem corporis Ecclesiae, quam Deum ipsum unum, idémque patrem omnium, qui idem & unus in omnibus nobis inhabitat, in varias partes solvere, *id est*, ex Deo facere non Deum? & quid est, unum fidelem adversus alterum dimicare, quàm Deum unum & patrem unum in singulis filiis inhabitantem adversus seipsum committere? Haec igitur est vis hujus argu-

argumenti. In omnibus vobis inhabitat unus atque idem Deus & pater, per suam gratiam, hujúsque nexu tota Ecclesia copulata & constricta est, & una existit. Debetis igitur studere, ut haec unitas spiritualis conservetur, quia si quis unitatem Ecclesiae solvat, is, quantum in ipso est, nil aliud agit, nisi quòd Deum ipsum solvit, & qui unus est, hunc in multa scindit frusta.

Nunc tenemus propositum Apostoli, de studio conservandae unitatis Ecclesiae, summámque septem argumentorum, quibus ad studium hujus unitatis excitare voluit Apostolus suos Ephesios. Omnia autem ad hunc unum syllogismum resolvi possunt.

Quod Deus unum fecit unúmque esse voluit, multísque & gravissimis vinculis colligavit, illud non debet dissidiis ulláve ratione dissolvi. Confirmatio, quia praeterquam quod contra voluntatem Dei istud fit, non potest fieri etiam haec dissolutio, quin ipsa quoque singula, de quibus dictum est, vincula & à se invicem & in varias partes dissolvantur, desinántque esse vincula: sicut qui dissolvit corpus, nervos etiam & ligamina, quibus connexum erat, dissolvat oportet. Atqui Ecclesia una est, unúmque corpus, ex variis membris compactum & connexum vinculo unius ejusdémque Spiritus: vinculo unius ejusdémque vocationis, *id est*, aeternae vitae, ad quam vocati sumus: vinculo item unius ejusdémque Domini nostri Jesu Christi, cui ut capiti sumus connexi: vinculo unius ejusdémque fidei, qua cum Christo sumus conjuncti, eíque insiti: vinculo unius ejusdémque Baptismi, quo eidem Christo sumus obsignati & incorporati: vinculo denique unius ejusdémque Dei ac patris, qui in singulis fidelibus inhabitat. His enim vinculis omnibus colligata est ínque unum compacta ex variis electis Ecclesia Christi: & in his ipsius unitas consistit. Quomodo igitur potest unitas Ecclesiae solvi, quin omnia haec vincula dissolvantur? unitati igitur Ecclesiae studendum est.

Sed rursus hinc aliud etiam consequitur. Non posse aliquod horum vinculorum solvi, quin Ecclesiae unitas solvatur: usque adeò sunt omnia ad illam conservandam necessaria: quando etiam omnibus his constat & consistit. Summa verò est *(ut uno verbo dicam)* nihil esse portentosius, quam si dissidiis inter se dissideant, qui unius ejusdémque corporis membra sunt: qui uno & eodem Spiritu vivunt: qui ad unam & eandem spem vocati sunt: qui uni & eidem Domino inserviunt: qui unam & eandem fidem profitentur: qui uno & eodem signo obsignati sunt: qui denique unum & eundem Deum patrem in se inhabitantem habent. Vos ergo, qui de Ecclesia estis, quocunque respiciatis, habetis firmissima argumenta, cur debeatis unitatem Spiritus in vinculo pacis conservare eíque retinendae studere.

Hactenus habuimus explicationem, verúmque ac genuinum sensum totius hujus primae partis. Nunc praeter ea, quae dicta sunt, quid in singulis versibus veniat observandum, & quae doctrina inde colligenda, breviter videndum est.

V. 1. Precor itaque vos ego captivus (& vinctus) *in Domino, ambuletis ita ut dignum est vocatione, qua vocati estis.*

I. Primùm illa particula οὖν, igitur, docet, hanc esse optimam & verè Apostolicam sequelam: vos gratuita Dei bonitate, & propter Christum facti estis

ex

ex inimicis carissimi filii Dei, haeredésque vitae aeternae, quam etiam certè consecuturi estis non propter merita vestra, sed per gratiam, & propter Christum. Ergo debetis studio sanctae vitae bonorúmque operum diligenter incumbere, hoc est, ambulare, id est, semper vivere, prout convenit illis, qui ad tantam dignitatem vocati sunt. Sic c. 5. *Eratis tenebrae, nunc autem Lux in Domino. Ergo ut filii lucis ambulate.* Sic Rom. 7. & 11. & 12.

I. Hinc duo colligimus: *unum* tantùm abesse, ut quia grati facti sumus filii Dei & gratia servamur gratísque habituri sumus possessionem aeternae vitae, ideò liceat nobis pro nostra libidine vivere: ut contrà potiùs, quia gratuita est nostra salus, ideò diligentiùs nobis ambulandum sit in via mandatorum Dei, quo vicissim nos ei gratos exhibeamus. Hoc est primum, & quod ad omnes pertinet, facítque contra Libertinos. *Alterum* speciatim spectat ipsum docendi ministerium: hoc autem est: proponendum semper esse populis doctrinam fidei de gratuita salute per Christum. Tum verò demum ad studium bonorum operum stimulandos esse fideles, ídque nunquam allata hac ratione, quod propter illa mereri possimus vitam aeternam: pugnaret enim hoc cum doctrina jam tradita de gratuita salute: neque hac ratione usus est unquam Christus, vel Apostoli vel Prophetae: falsissima item est ea ratio. Denique inutilis est & perniciosa: facit enim homines mercenarios, cùm contrà Deus velit nos operari ut filios, non mercenarios: quibusnam igitur rationibus excitari debent fideles ad studium sanctae vitae bonorúmque operum? illis, quibus & Christus & Apostoli usi sunt: rationibus nimirum ductis cum primis à nostra vocatione; quâ vocati sumus è regno Satanae in regnum Dei, & è statu impiarum gentium in statum filiorum Dei, sicut hîc facit Apostolus, cùm ait, *Rogo ambuletis prout dignum est vocatione, quâ vocati estis.*

II. Quare diligenter observandae sunt secundo loco rationes Apostolicae, quibus soliti sunt uti, cùm fideles ad studium sanctae vitae adhortari volebant. Aliquot habemus in hoc primo versu: unde quisque discere debet, cur nobis ambulandum sit in via & obedientia mandatorum Dei.

1. *Ratio* ab illa dictione, igitur, sumenda est hoc modo. *Vos gratia servati estis per fidem, & hoc non ex vobis: Dei enim donum est, non ex operibus.* Ergo debetis dare operam studio sanctae vitae.

2. *Ratio* quia Apostoli & Prophetae, per quorum Ministerium tam magnum beneficium consecuti sumus, ut, *scilicet*, è statu perditionis in statum certissimae salutis efficaciter vocati simus, peramanter nos rogant, ut sanctam vitam degamus, dignam filiis Dei. *Obsecro igitur vos ego captivus*, &c. Est autem intolerabile ingrati animi crimen, non morem gerere in rebus honestis illis, qui de nobis bene meriti sunt. Quantò graviùs verò, si non illis, qui optimè? Quid? si etiam propter suam salutem sese variis exposuerunt periculis, ad mortem usque? Hoc certè praestiterunt Apostoli & Prophetae. Ideò subdit, *Ego Paulus vinctus ille servus Domini nostri Jesu Christi*, (scilicet vestra causa) *rogo vos ut studeatis servare unitatem Spiritus Sancti in vinculo pacis, prout dignum est vocatione vestrâ, quâ vocati estis ad vitam aeternam, &c.* Non ait impero, sed rogo: debet haec vox magis flectere animos nostros ad illi gratificandum.

Secunda

Secunda igitur ratio sumitur ad adhortationibus Apostolicis.

3. *Ratio* ab exemplo. Apostoli & sancti omnes non hortantur nos ad ea praestanda quae ipsi non praestiterint: sed ipsi suo exemplo nos praecesserunt, & quid facere nos deceat viam praemonstrarunt. Indicat hoc Apostolus, cùm ait, *Ego vinctus in Domino:* tacitè significans, se ambulasse sicut dignum erat suâ vocatione: atque ita ambulasse, ut propterea esset jam in catenis propter Christum, *scilicet*, cui fideliter inservierat, & constanter inservire pergebat. Hanc vim habet particula vinctus: quia significat constantiam Pauli in sua vocatione. Ergo tertia ratio sumenda est ab exemplis Sanctorum omnium. Hoc argumentum frequentissimum est in sacris literis, & in Epistolis Pauli. Speciatim verò in Epistola ad *Heb. cap.* II. *&* 12. ubi ita concludit: Proinde & nos, cum tanta nos circumstet nubes testium, abjecto omni pondere, &c. constanter curramus.

4. *Ratio*, quia non debemus nostra inobedientia contristare Spiritum Sanctum in sanctis, qui nos hortantur & rogant, inhabítantem, sicut etiam ait infrà in hoc capite, *nolite contristare, seu tristitia afficere Spiritum illum Sanctum, &c.* Valdè enim sancti viri veríque pastores dolent, & magna afficiuntur tristitia, cùm vident suas adhortationes contemni. Hanc rationem indicat Apostolus eadem dictione, vinctus, quasi dicat: Si audiero vos ambulare, *ut dignum est vocatione vestrâ*, vincula mea reddetis levissima: sin minus, ea verè reddetis mihi durissima. Sin igitur aliquam etiam mei rationem habetis & vinculorum meorum, ambulate, *ut dignum est vocatione vestra.*

5. *Ratio*, debemus id facere, quia Apostoli non tam suo quàm Christi nomine nos rogant, ut sicut decet filios Dei, studeamus sanctitati vitae. *Rogo* (inquam) *ego vinctus in Domino:* sive legas rogo in Domino, sive rogo vinctus in Domino, idem concludit, quod etiam. 2. Corinth. 5. *Rogamus pro Christo, reconciliemini Deo.* Quae verò ratio efficacior afferri potest ad permovendos nos, ut ambulemus, *sicut dignum est vocatione nostra,* quàm quod id rogamur facere nomine Christi, *qui pro nobis mortuus est, qui nos redemit suo sanguine, qui nos sibi incorporavit, qui nos fecit cohaeredes aeternae vitae: qui in summa caput nostrum est, nostra vita, salus, & quicquid sumus.*

6. *Ratio*, à re quae petitur: quid petitur? ait, *ut ambuletis sicut dignum est*, id est, non petitur ut feramus jugum legis, quòd neque Judaei ferre potuerunt. Hoc enim indignum est vocatione nostra, qui vocati sumus ad gratiam, non ad legem. *Non estis* (inquit Apostolus) *sub lege, sed sub gratia.* Rom. 6. Item, *Nolite fieri servi hominum: state ea libertate, qua Christus vos liberavit.* Gal. 5. Quid ergo petitur? Primò ait ambuletis, *id est*, in via igitur aliqua. Est autem ea duplex tantum (*Christo autore*), una quae ducit ad vitam, altera quae ad perditionem. Necesse verò est ut in alterutra ambulemus: in qua autem vult nos ambulare? in ea quae ducit ad vitam, *quia hoc dignum est vocatione nostra, qua vocati sumus ad vitam, non ad mortem.* Ab utili igitur ducitur haec ratio simul è facili, & ab honesto atque laudabili. Utilius est ambulare in via Dei, quàm in via mundi: honestius est & laudabilius etiam apud homines vivere ex virtute, quàm vitiosè: faciliùs quoque est vivere sobriè, quàm intemperanter: justè cum proximo atque pacificè, quàm iniquè & in

in perpetuis odiis & jurgiis; pie cum Deo, eum in Spiritu & veritate adorando, quàm impiè, & in idololatriis, variísque superstitiosis laboribus. Haec autem est vita, quam ut dignam vocatione nostra petit à nobis Apostolus, ut transigamus: cùm ait, *Ut ambuletis, sicut dignum est vocatione qua vocati estis.* Argumenta ergo etiam à genere vitae, quam à nobis requirit Dominus, ducenda sunt. Honestissima est atque laudabilis, dignáque filiis Dei: facilior est & tranquillior quàm vita impiorum, praesertim quia si inter ambulandum labimur, illud quoque condonatur. Utilior etiam est, non solùm respectu finis, sed etiam respectu praesentis seculi, qui pacatam cum primis retinet conscientiam. Totum hoc significatur verbo *ambulandi sicut dignum est.*

7. *Ratio*, adde quod etiam talis vitae studium necessarium est, non quidem ad promerendam salutem quae gratis donatur, & propter Christum, sed ad obtinendam possessionem aeternae vitae: & hoc significatur eodem verbo *ambulandi.* Cum enim duae sint viae, una ducens ad vitam, altera ad perditionem: si quis certè deflectat à via, quae ducit ad vitam, in viam, quae ducit ad mortem, deflectet oportet. Quomodo igitur ad vitam pervenire poterit, nisi redeat in viam salutis & constanter in ea ambulet? Pertinent huc dicta Spiritus Sancti in sacris literis. Scortatores, adulteri, ebriosi, non possidebunt regnum Dei, *prima Corinth.* 6. *Item*, iter impiorum peribit. *Psalm.* 1. *Item*, si secundùm carnem vixeritis, moriemini. *Galat.* 5. & similia dicta. Docent enim, licet operibus bonis non possimus mereri vitam aeternam, sed ea detur gratis propter Christum: in ipsius tamen possessionem perveniri non posse, nisi eam viam ingrediamur, & in ea ambulemus, per quam Deus suos ad illam deducit: haec autem via est studium sanctae vitae, & faciendae voluntatis divinae. *Verbum igitur ambulandi docet studium hoc necessarium esse, non ad promerendam, sed ad possidendam vitam aeternam.* Distinctio haec & ratio explicanda est populis & urgenda, sicut etiam faciunt scripturae, cum una ex parte urgent, *ut ambulemus secundùm Spiritum, si velimus vivere, & non secundùm carnem, quia sic moriemur:* altera verò ex parte passim docent, *nos servari sola fide, sola gratia, per solum Christum, non ex nobis, neque ex operibus, ne quis glorietur.*

8. *Ratio.* Sed praecipua ratio, cur debeamus sanctitati vitae studere, est, *quia studium hoc dignum est vocatione nostra*, seu quia ideò evocati sumus ex mundo, & ex statu impiorum, ut non ampliùs vivamus more impiorum & mundi hujus, nec secundùm carnem: vocati autem sumus ad statum filiorum Dei, ut secundùm Deum vivamus, Deúmque nostrum studio sanctitatis glorificemus: hoc est, quod ait Apostolus, *ut ambuletis, sicut dignum est vocatione, qua vocati estis.* Hanc rationem postea explicat vers. 17. dicendo: *Hoc itaque dico & obtestor per Dominum, ne ampliùs ita ambuletis, sicut reliquae Gentes, &c. Sed deponentes veterem hominem, induatis novum.* Haec est illa Apostolica consequentia seu sequela, de qua initio diximus. Atque hoc est quod etiam ait infrà. *Eratis aliquando tenebrae, nunc autem lux in Domino, ergo ut filii lucis ambulate:* & ad Rom. 13. *Nox praecessit, dies autem appropinquavit: abjiciamus ergo opera tenebrarum.* Et Deus cur invocavit è mundo populum Israeliticum, eúmque sibi sanctificavit? ut non amplius viveret sicut Gentes, sed

sed sicut decebat populum Dei: ideò dicebat, *Sancti estote, quia & Ego sanctus sum.* Et Zacharias ait, Luc. 1. *Deum ideò visitasse & redemisse populum suum: ut sine timore de manu inimicorum liberati serviamus illi in sanctitate & justitia coram ipso omnibus diebus nostris.* Sic ad Titum 3. *Apparuit gratia, ut sobriè, piè & justè vivamus in hoc seculo &c.* Ideo ait Apostolus, *rogo ambuletis.* Sic puellae, quae ex rusticis nata rusticanis etiam moribus erat & rusticè vivebat, si ex amore ducatur in matrimonium à filio Principis, non alia meliori ratione persuaderi posset, ut mutaret mores, quam si diceretur à consiliariis principis, *Rogamus te, ne ampliùs vivas, ut priùs: sed sicut dignum est vocatione & conditione, ad quam vocata es, te geras.* Quid ita? quia hoc gratum est Illust. Principi, marito tuo, qui honestis & civilibus moribus delectatur, & quia ad summum placent illi mores similes suis, dissimiles displicent. Quid efficacius dici posset? at si haec ratio illam non permoveat, quid poterit permovere? non sine causa igitur hanc unam rationem hîc apertè proponit Apostolus, eámque deinceps fusè explicat.

Haec enim una sufficit illis, qui verè & efficaciter evocati sunt è mundo ad Christum: quibus cor innovatum est: qui donati sunt υἱοθεσίᾳ per Spiritum Sanctum, quíque Spiritum Christi acceperunt. Haec est praecipua ratio qua ad studium sanctae vitae bonorúmque operum excitari possunt & debent fideles.

Ratio, *inquam,* ducta ab ipsorum vocatione, *qua ex statu diabolico ad statum divinum, è statu perditionis ad statum aeternae salutis vocati sunt.*

Ad hanc igitur reliquae omnes revocantur, quae anteà explicatae fuerunt: quia adhortationes Apostolicae, & Sanctorum exempla, & qualitas vitae, quae à nobis exigitur, eo tendunt, ut persuadeant hanc esse conditionem, vocationémque nostram, ut sanctè vivamus, non tanquam mercenarii, sed tanquam filii Dei.

9. Caeterum, quia vita haec sancta non caret suis usibus *(neque enim Deus frustra aliquid à nobis exigit)* idcirco nona ratio sumi debet ac potest ex multiplici usu, propter quem exigit à nobis Deus hoc sanctitatis studium.

Primus est, ut gloria patris nostri coelestis illustretur: Mat. 5 *Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, & glorificent patrem vestrum qui in coelis est.*

Quid autem magis dignum est vocatione nostra, quàm ut studio sanctitatis gloriam patris nostri, qui habitat in omnibus nobis, illustrandam curemus? ad hoc enim vocati sumus, ut pietati incumbamus: & hic usus respicit Deum.

Secundus est, ut hoc studio salutem proximi promoveamus: id quod bifariam fit, primùm, dum exemplo nostro illum ad fidem pietatis sanctaéque vitae studium excitamus, qua de re, 2. *Cor.* 9. Vester zelus provocavit plurimos ad eleemosynas, id est, faciendas liberaliter, sicut & vos fecistis, & *Hebr.* 10. 24. Consideremus nos invicem, ut provocemus ad charitatem & ad bona opera.

Deinde promovetur bonum proximi, dum nostris operibus illum juvamus, *afflictos consolando, pauperes alendo, nudos vestiendo, imperitos docendo, aegrotos curando, aliáque pietatis opera praestando. An non hoc quoque dignum*

est vocatione nostra? Ad hoc enim vocati sumus, ut omnibus pro nostra virili benefaciamus, *sicut & pater noster, qui in coelis est, benefacit omnibus, pluit super justos & injustos*, ut Christus ait Matt. 5. Hoc enim juvandi & benefaciendi studio ingenium patris nostri referimus, declaramúsque nos verè filios ejus esse. Atque hic usus respicit proximum.

Reliqui usus nos ipsos nostrámque salutem & nostrum bonum concernunt.

Tertius usus est ut hoc sanctitatis studio fiamus in dies magis ac magis similes Deo patri nostro. *Estote* (inquit) *sancti, sicut & Ego sanctus sum.* Et Christus, *Estote ergo perfecti, sicut & pater vester coelestis perfectus est,* Luc. 6.

Hoc verò maximè dignum est vocatione nostra, ut tanquam filii demus operam, quò patri nostro similes fiamus.

Quartus est, ut ex hoc studio reddamur in dies in conscientiis nostris certiores, nos verè efficaciter fuisse ad Christum vocatos, eóque in ipso electos: qua de re 2. Pet. 1. Postquam hortatus est ad studium sanctitatis bonorúmque operum, subjecit, *Quapropter, fratres, studete ut* (nempe hoc sanctitatis & virtutum studio) *firmam faciatis vocationem & electionem vestram.* Ab effectis enim certiores fimus de causis.

Hoc autem studium effectus est efficacis vocationis: & efficax vocatio effectus aeternae electionis.

Quintus est, ut hoc studio fidem in nobis exerceamus, nutriamus, corroboremus, firmiorémque in dies efficiamus. Sicut enim ex frequentatis actionibus *(ut loquuntur Philosophi)* comparantur habitus: sic comparati exercitio firmantur, augentur. Idem contingit fidei, quae est ceu habitus à Deo infusus in corda nostra per Spiritum Sanctum. Quò magis exercetur per sua effecta, eò fit firmior, & majus accipit incrementum. Qua de re 2. Timoth. 1. ubi monet Timotheum Paulus, ut donum, quod in ipso erat, quasi igniculum quendam excitet: nempe exercitio illius doni; hoc autem dignum est vocatione nostrâ.

Ad hoc enim sumus vocati, ut dona Dei in nobis exerceamus, & exercitio illa augeantur: non autem ut otiosi sinamus illa torpere, & tandem amittamus. Docuit hoc Christus parabola de talentis. Qui talentum non exercuit, illud tandem amisit: qui exercuerunt, alia quoque fuerunt illis addita: & ita conclusit: *Habenti dabitur: ei autem, qui non habet, etiam quod videtur habere, auferetur ab eo.*

His rationibus verè Apostolicis & nos ipsos & alios ad studium sanctae vitae, & ad exercitium bonorum operum excitare debemus: *ut ambulemus sicut dignum est vocatione, qua vocati sumus.*

Unde vocati? è mundo. Non igitur ampliùs vivendum secundùm mundi consuetudinem, ut supra capite 2. habuimus. Quò sumus vocati? In regnum Dei. Vivendum igitur sicut decet cives istius regni: ut πολίτευμα nostrum in coelis sit, & quae sursum sunt quaeramus, non quae super terram. Versum hunc primum sic expressit etiam ad *Coloss.* 1. Ut ambuletis dignè in Domino, ut per omnia placeatis ei in omni opere bono fructificantes: Et ut in charitate radicati & fundati valeatis comprehendere, quae sit illa latitudo, longitudo, profunditas & sublimitas hujus &c.

Praecipua igitur causa, cur debeamus ambulare in bonis operibus, est, ut placeamus Deo nostro, & is per nos glorificetur. Ubi

Ubi observandum est, nos primùm placere Deo in Christo, quia, *scilicet*, considerat nos in Christo tanquam membra capiti adglutinata: & deinde opera nostra ei placere, quia nos ei placemus: ut verum sit quod dicitur, *opera placere Deo propter personas, non autem personas propter opera.*

Rursus tamen quo magis nos bene operamur, eò magis etiam placemus Deo; ut docet Paulus cùm ait, *debere nos ita ambulare*, id est, *vivere, & in bonis operibus nos exercere, ut per omnia ei placeamus.* Placent igitur illi opera nostra bona, & quia ei placent, propterea studere debemus bonis operibus faciendis: quae causa est praecipua, cur in illorum studium incumbere debeamus, quia, *scilicet*, placent Deo. Cur verò placent? quia Deo placet sua ipsius voluntas: bona autem opera sunt ipsa Dei voluntas per nos executioni mandata. 2. Placent, quia ei placet Christus: bona autem opera fiunt in Christo, *id est*, ex fide in Christum. 3. Placent, quia placet ei suus Spiritus: bona autem opera sunt, quae fiunt per Spiritum Sanctum. 4. Placent etiam, quia nos ei placemus, quatenus sumus filii ejus in Christo, & justi: opera autem bona sunt, quae fiunt à justificatis. 5. Placent, quia conjuncta sunt cum perfecta obedientia & justitia Christi. 6. Placent propter finem, quia, *scilicet*, illa non operamur nisi in gloriam ipsius. Hic enim est verus finis bonorum operum, ut, *scilicet*, Deus per haec in nobis glorificetur. 7. Placent, quia amat veritatem & sinceritatem, cùm sit ipse etiam verax & sincerus, imò veritas & sinceritas ipsa: opera autem verè bona illa sunt, quae fiunt ex corde puro, conscientia bona, fide non ficta: sicut contra opera hypocritica odit & detestatur. 8. Placent denique, quia amat nos nostrámque salutem: per opera autem videt salutem nostram promoveri. Ergo haec esto semper nobis ante oculos causa praecipua, cur debeamus ambulare in studio sanctae vitae & bonorum operum: quia, *scilicet*, multis modis haec Deo placent. Nos autem vocati sumus, ut per omnia Deo placeamus, illúmque glorificemus. *Ambulemus ergò sicut dignum est vocatione qua vocati sumus.*

Atque haec de causis in genere, cur debeamus studere sanctitati & bonis operibus, *& in illis ambulare sicut dignum est vocatione qua vocati sumus ad Christum è mundo.*

Porrò Apostolus à generali adhortatione ad speciales quasdam virtutes transit, in quibus vult nos ambulare, quòd verè dignae sint vocatione, qua vocati sumus.

Ac primùm quatuor proponit virtutes in v. 2 dicendo,

V. 2. Cum omni humilitate & mansuetudine, cum animi lenitate (μακροθυμίᾳ) *tolerantes invicem in charitate.*

De constructione & sensu hujus versus antea dictum est. Haec igitur tantummodo observanda sunt.

1. Has virtutes, ad quas hortatur, dignas esse vocatione, qua vocati sumus, *id est*, Christianis hominibus: ac proinde, qui his non studet, eum declarare se nondum verè & efficaciter vocatum esse ad Christum. Non dico, qui has perfectè assecutus non est, sed qui his non studet assequendis. Hoc enim studium,

dium est proprium Christianorum, & hoc exigit Deus. Ideo hoc verbo utitur Paulus dicendo, *studete servare unitatem Spiritus.*

Quàm hae virtutes dignae sint vocatione nostra liquet à terminis ipsius vocationis: à termino à Quo, & à termino ad Quem. Primùm, unde sumus vocati, & quales tum eramus? Apostolus supra descripsit cap. 2. Tales autem sumus etiamnum nostra natura. Ergo ab hoc capite nihil habemus, cur insolescamus, efferamur supra alios, ferociamus, cito irascamur, & aliorum infirmitates non feramus. Quis es tu (inquit Apostolus, Rom. 14.) qui judicas alienum fratrem? *Gal.* 6. Fratres, etiamsi praeoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos qui spirituales estis instaurate hujuscemodi hominem, cum spiritu mansuetudinis considerans te ipsum, ne & tu tenteris. Alii aliorum onera portate & sic adimplebitis legem Christi. Ergo terminus unde vocati sumus, cum tales simus etiamnum nostrapte natura, docet nos nihil habere, cur non debeamus juxta Apostoli mandatum, cum summa humilitate, mansuetudine μακροθυμίᾳ ferre nos mutuo, ex caritate. Terminus etiam ad quem confirmat idem multis modis. Primùm, quod jam sumus alii quam antea, donati fide, cognitione Dei & aliis donis: id ex nobis non est, sed ex Deo. *Quid habes* (inquid Apostolus) *quod non acceperis? si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis?* Secundo, quod jam simus facti cives sanctorum, filii Dei, membra Christi, haeredes aeternae vitae: hoc non nobis solis, tibi uni, vel mihi concessum est, sed aliis quoque: & tam iste pauper, quam tu dives, tam ille indoctus, quàm tu, ô doctissime, sanctissime, filius Dei est, & haereditatis ejusdem tecum est particeps. Quid igitur habes cur insolescas adversus fratrem, cur immodestè & contumeliosis verbis illum lacessas? Idem ergo terminus vocationis omnium nostrum docet decere nos humilitatem, mansuetudinem, μακροθυμίαν & tolerantiam. Tertio vocati sumus omnes ad Christum, ut simus ejus membra: & filii Dei, sicut & ipse est. Annon verò decet, ut fiamus Patri coelesti & Christo nostro similes? Omnino, quia ad hoc vocati sumus. Talis autem est pater, quales nos esse jubet per Apostolum, id quod maxime in persona Christi relucet, qui dixit, *Ego sum humilis corde:* Ego sum πρᾶος: quemadmodum supra explicatum fuit. His tribus modis terminus ad quem vocationis nostrae liquido demonstrat dignum esse vocatione nostra, ut simus humiles, mansueti, μακροθύμοι, & toleremus nos invicem in charitate. Hoc est primum.

2. Deinde observandus est in hoc versu ordo harum virtutum, 1. ponit humilitatem, 2. mansuetudinem, 3. μακροθυμίαν, 4. tolerantiam ex caritate. Fundamentum & ceu mater aliarum omnium est humilitas: hujus ceu filia primogenita est πρᾳότης: πρᾳότητος filia est μακροθυμία: haec vero gignit tolerantiam, qua, *scilicet,* reipsa toleramus infirmitates fratrum, omnésque injurias. Resolvendo igitur sic dicamus: Qui non potest aliorum ferre infirmitates, is declarat se non esse μακροθυμον, sed iracundum & impatientem: qui non est μακροθυμος, is neque πρᾶος ἐστι: mites enim ac mansueti non facile irascuntur. Qui non est πρᾶος, is neque humilis est, sed superbus, animóque elato, & alto supercilio nimium de se praesumens, reliquos verò contemnens: ubi autem regnat superbia, ibi certè Spiritus Domini non habitat: *Super quem respiciam* (ait Dominus) *nisi super humilem & contritum corde? Jes.* 66. Ac proinde

proinde tales homines reipsa declarant, se nondum efficaciter ad Christum esse vocatos, nempe si pertinaciter in suis talibus moribus perseverent, nec studeant emendationi. Verum haec doctrina melius intelligetur ex descriptione cujusque virtutis.

3. Tertio igitur loco de singulis his virtutibus dicendum est, quatenus ad rem nostram pertinet: ac primum de humilitate. Quid est humilitas? Latina vox ab humo derivatur, & humile dicitur id quod humi declive est: hujus contrarium est excelsum & altum, ut in Tusc. 5. liquido docet Cicero, cum ait sidera inter se altitudine & humilitate distantia. Proinde humilis dicitur, qui sese non extollit nec effert in altum supra alios, sed humi potius sese aliis demittit: sese, *inquam*, demittit, non tam corpore, quam animo: ídque non ex vilitate animi, sed ex modestia, eóque ex reverentia erga alium. Est enim humilitas pars modestiae, eóque virtus est, & in animo potius consistit, quam in externa demissione. Unde & vocari solet animi demissio.

Graeca vox ταπεινοφροσύνη melius etiam explicat hanc humilitatem virtutem esse, & in animo consistere, quaeve sit ejus propria actio, nempe ut ne quis de se superbè & altè sentiat excelsáque sibi arroget, sed potius ex animo submittat se deprimat atque subjiciat aliis.

Sic ergo breviter definiri solet: *Humilitas est virtus, qua pius homo ita moderatur animum suum, ut nihil de se suísque donis arroganter sentiat: sed potius in timore Dei se omnibus subjiciat, omnem gloriam Deo semper tribuens.* Fusius vero sic describi potest, quod sit virtus per Spiritum Sanctum piorum mentibus indita, qua sua adversus Deum admissa peccata, quibus aeterna mors debetur, in animo recolentes, suámque naturalem indignitatem, impotentiam & quasi nullitatem agnoscentes, ac si quid habent boni se illud à Deo gratis, ídque non ad sui gloriationem, sed ad proximi commodum accepisse, serio cogitantes, & quod eo etiam bono, si insolescant & vel abutantur, privari facilè possint considerantes: primum se totos Deo subjiciunt, omnia ei bona accepta ferentes, omnémque ei gloriam tribuentes: & deinde, ex timore & reverentia hujus Dei, nihil de se suísque donis arroganter sentientes, aliis quoque hominibus sese subdere modestéque inservire non dedignantur. Haec est humilitas Christiana, de qua hîc loquitur Apostolus, & quae digna est vocatione nostra. Contrarium vitium est Superbia, qua nihil est odiosius humanae societati ac conversationi incommodius, aut in Ecclesia perniciosius. Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam. Superbire, aiunt quidam, est, super alios ire. Certum est, sicut humilis dicitur, qui se ad humum usque ex animo demittit: sic superbum illum dici, qui supra alios sese effert. Quid autem hoc vitio incommodius contingere potest humanae societati? Quis cum talibus hominibus possit diu versari, qui prae se reliquos omnes contemnunt, qui soli sapientes videri volunt, & semper imperari? Sicut ergo humilitas fundamentum est optimum ad concordiam atque pacem, eóque ad unitatem Ecclesiae conservandam: sic etiam superbia initium est omnis discordiae, dissidii, divisionis. Quare non sine causa Paulus, ad concordiam & ad unitatem Ecclesiae conservandam hortaturus, praemisit pro fundamento humilitatem, dicendo, *cum omni humilitate.* Neque verò hîc praetereundum est, quod de 4. gradibus superbiae scriptum

scriptum reliquit Gregorius primus, in moral. lib. 23. cap. 4. Inde enim melius etiam apparet à contrario, quibus in rebus consistat vera humilitas. Quatuor (*inquit*) sunt species, quibus omnis arrogantium tumor demonstratur. *Prima*, cum bonum à semetipsis se habere existimant. *Secunda*, si sibi datum desuper, credunt hoc pro suis se accepisse meritis. *Tertia*, cum jactant se habere, quod non habent. *Quarta*, cùm despectis caeteris singulariter videri appetunt habere quod habent. Contra igitur vir pius & humilis, 1. quod non habet bonum, illud etiam minimè jactat se habere 2. quod autem habet illud neque à se, sed à Deo neque ex suis meritis, sed ex gratia se habere novit atque fatetur. 3. propter bonum quod habet, non contemnit reliquos, neque sese aliis praefert, sed potius sese omnibus subjicit atque submittit in timore Domini.

Sequitur πρᾳότης, *mansuetudo:* πρᾷον deducunt ἀπὸ τοῦ ῥᾴου, quod significat facile, addito π, ut πρᾴος sit ῥᾷος: quod qui donati sunt hac virtute, omnibus se faciles ac placidos reddant, ita ut sine ulla difficultate ad morem gerendum flectantur, nec facilè sinant sibi animum turbari. Aristoteles in libello περὶ τῶν ἀυτῶν, sic eam definivit: πρᾳότης (*inquit*) ἐστὶν ἀρετὴ τοῦ θυμοειδοῦς καθ' ἣν ὑπ' ὀργῆς γίνονται δυσκίνητοι. Est virtus in irascibili, secundùm quam ab ira difficulter moventur, nempe homines hac virtute donati. Philosophica est definitio politicae & humanae mansuetudinis. Sed aliquid amplius habet illa, quam donat Spiritus Sanctus suis electis. Hac enim donati, non modò non sinunt facile sibi animum turbari ab ira: verum etiam comes, placidos & faciles ad gratificandum omnibus se exhibent. Et talis fuit πρᾳότης Domini nostri Jesu Christi, & Mosis, de quo legimus, quod fuerit omnium hominum mansuetissimus. Ac proinde, qui placidum semper habent animum, & minime turbatum: ii etiam perquam idonei sunt & accommodatissimi ad percipiendos afflatus divinos, sapientiámque coelestem. In animis enim non turbatis facilius imprimitur sapientia, veritas & scientia, quam in turbatis: & tales etiam aptiores sunt ad consultationes, & ad colloquia, quam quibus facilè turbatur mens ab ira. Ita enim impedit animum, ne possit cernere verum: eòque & suavior, & diuturnior cum istis potest haberi consuetudo, & coli amicitia, quam cum immansuetis, morosis, ferocibus hominibus. Sic igitur definiri potest, quod sit virtus per Spiritum Sanctum piorum mentibus indita, qua tranquillo sunt animo, ut sicut non facile sinunt se turbari ab ira, sic facile praebeant se omnibus affabiles, comes, & ad gratificandum promptos atque faciles. Haec est Christiana πρᾳότης, quae quàm deceat filios Dei, quamque digna sit vocatione, qua vocati simus in regnum Christi, nemo est qui non videat: sicut contra vitia huic virtuti opposita usque adeò indigna sunt Christianis hominibus, ut ea Gentiles etiam semper tanquam intolerabilia, & cum ipsa humanitate pugnantia, detestati fuerint: qualia sunt morositas, protervia, contumacia, furor & hujus generis alia, quae animi tranquillitatem perturbant. Quis autem cum iis versetur hominibus, à quibus semper turbetur animo? Quomodo cum iis coalescere potest amicitia, pax, concordia? Ergo merito Apostolus hanc à nobis exigit virtutem, *tum quia digna est vocatione nostra, quia facti sumus filii Dei & membra Christi*, qui fuit & est ipsa mansuetudo; tùm quia necessaria est ad mutuam tolerantiam, eóque & ad pacem & ad unitatem Ecclesiae retinendam.

Sequitur

Sequitur tertia, μακροθυμία, ad verbum *longanimitas*. Virtus est, qua ita frenamus partem irascibilem, ut non facilè à quovis vento, verbo aut injuria, sinamus nos ad iram accendi: neque tamen est stupiditas (alioqui non esset virtus) nec efficit nos stupidos: sed ut tardè & non nisi gravissimis de causis, & quidem etiam cum temperamento prudentiae irascamur praestat: qua de re infrà dicet Apostolus, *Irascamini* & *nolite peccare*. Deus quoque non dixit, se nunquam irasci, sed dumtaxat se tardum esse ad iram. Haec est μακροθυμία Christiana. Non minus enim vitium est, nunquam irasci, nempe vitiis, quàm quavis de causa ad iracundiam accendi. Virtutem hanc in irascibili etiam collocant Philosophi: quia virtus est, per quam moderamur hanc passionem, ut non sinamus nos facilè ad iracundiam impelli atque accendi, sed subitam & praesentem iram reprimit.

Apostolus hanc attribuit charitati, ad Cor. dicendo, ἡ ἀγάπη μακροθυμεῖ, I. Cor. 13. μακροθυμεῖν est in longum iram differre, & injuriis non facilè commoveri. Est igitur virtus, per Spiritum Sanctum in mentibus fidelium excitata, per quam ita leniuntur illorum animi, ut non facilè irascantur, sed injuriis cedentes, pacis ac tranquillitatis servandaeque amicitiae gratia, à suo etiam jure saepè discedunt.

Haec etiam virtus primum maximè decet filios Dei, *& digna est vocatione nostra*, cum etiam Deus sit μακρόθυμος: sicut contra indigna res est filiis Dei, quòd à quovis verborum vel injuriarum vento sinant se ad iracundiam inflammari.

Deinde virtus haec ad amicitiam, ad pacem, ad concordiam, ad unitatem Ecclesiae conservandam pernecessaria est, ut Apostolus hìc apertè docet. Hinc enim fit, ut alii alios ferre possimus, nempe si donamur virtute μακροθυμίας: alioqui iracundus iracundum ferre non potest, sed ad vindictam statim accenditur uterque. Sequitur ergò

Quarta, quae oritur ex μακροθυμία, nempe ἀνοχὴ, *tolerantia*. Virtus est, qua ad tolerandas injurias & cujusque infirmitates facilè inclinamur, ídque ex caritate. Differt aliquo modo à superiore, ut Rom. 2.; illa enim cohibet iracundiam irámque remittit: haec remittit injurias ipsas, & non ulciscitur propter charitatem. Ideò ait Apostolus: Sufferentes invicem in charitate. Haec enim est, quae efficit, ut illa tolerantia sit virtus Christiana: cùm, *scilicet*, non toleramus, aut quia stupidi sumus & ἀναίσθητοι, aut propter nostrum commodum, aut quia metuimus eos, qui nos injuria affecerunt: sed ex charitate, quia illos in Domino amamus, & illorum quaerimus salutem, & quia volumus pacem & concordiam conservare, & unitatem Ecclesiae solvere nolumus. Ideò I. Corinth. 13. ait, *Charitas omnia suffert*. Haec est vera tolerantia, & virtus verè Christiana, quae maximè convenit Christianis, ut sicut Deus tolerat nos, sic nos mutuò toleremus. Quomodo Deus tolerat? Ex charitate. Ergo ex charitate nos quoque mutuo toleremus. Quid autem sit sustinere seu sufferre & tolerare, declaravimus initio: est ad summam, quae in proximo sunt nobis molesta & gravia, sive ad animum ea pertineant sive ad corpus, ea ex charitate erga illum & Ecclesiam patienter ferre & sustinere: sicut verbum ἀνέχειν docet, sustinere, *scilicet*, onus: & Apostolus confirmat dicendo, *Alter alterius onera portate: & sic adimplebitis legem Christi*, Gal. 6. 2. Haec autem est lex chari-

charitatis. Objectum igitur tolerantiae, circa quod versatur, onera sunt, *id est*, mores proximi & fratrum nobis graves. In his oportet nostram exercere tolerantiam. Et quidem *(ut antè monui)* observanda est particula ἀλλήλων: qua docemur, neminem tam bonis moribus praeditum esse, quin se aliis ingratum & gravem ad ferendum aliqua in re praebeat. Nam sicut rustici mores ingrati sunt nobili: sic etiam contra nobilis mores graves sunt rustico. Mores Judaeorum erant admodum ingrati Gentibus: & rursus horum illis. Quid igitur hîc opus est? Apostolus docet, *Tolerantia: tolerantes invicem*, inquit. Mallem hanc doctrinam cordibus singulorum inscriptam esse, quam vel à me verbis exprimi, vel ab aliis audiri. O quàm consultum esset Ecclesiae, si haec Apostoli adhortatio locum habere posset in Ecclesia! Nunc tenemus quid & quàm necessariae dignaéque nostra vocatione sint hae quatuor virtutes, ταπεινοφροσύνη, πρᾳότης, μακροθυμία, ἀνοχὴ.

V. 3. *Studentes servare unitatem Spiritus in vinculo pacis.*

Observandum est quod ait, σπουδάζοντες. Vox est verè Evangelica. Legi non satisfiebat studio illius observandae, sed exigebatur ut tota omnino perficeretur. At Christus in Evangelio nihil aliud à nobis, qui jam salvi facti sumus per gratiam fide apprehensam, requirit quàm studium obedientiae, legis servandae, sanctaéque vitae traducendae. Ideo ait, σπουδάζιοντες. Ratio autem cur hoc studium satis nobis sit, est, quia, quicquid interim peccatur à nobis ex infirmitate, illud condonatur propter Christum, id quod à lege non habebatur. Ideo dixi verbum esse verè Evangelicum, verbum *Studendi*. Caeterùm notandum est, verbum hoc σπουδαζεῖν non significare operam perfunctioram, sed diligentem, attentam, accuratam. Nam σχεδιάζειν & σπουδάζειν opponuntur. Unum significat inconsideratè & perfunctoriè aliquid agere: alterum significat attentè, diligenter, & intenta cogitatione efficere, atque hoc est, quod in scripturis de multis legitur, quòd ambulaverint in lege Domini; & in justificatione efficere, atque hoc est, quod in scripturis de multis legitur, quòd ambulaverint in lege Domini & in justificationibus ejus toto corde, *id est*, quanta potuerunt diligentia. Hoc est studium quod exigit Apostolus.

2. Observandum est *Servandi* verbum, & quidnam exigat à nobis Deus per Apostolum, cùm ait, σπουδάζοντες τηρεῖν τὴν ἑνότητα. Non exigit, ut nos faciamus hanc unitatem, sed factam à Christo studeamus conservare. De unitate corporis Ecclesiae, seu de omnium fidelium in unum corpus conjunctione, quae ideo unitas Spiritus vocatur, quia spiritualis est, & per Spiritum Sanctum fit, loqui Apostolum suprà demonstratum est. De ea enim loquitur, de qua & primo capite dixit, Christum omnia in unum collegisse, & Ecclesiam esse unum corpus Christi, & de qua multa capite secundo & tertio disseruit, quod omnes facti simus concorpores. Hanc fecit Christus. Is enim est pax nostra, qui fecit utraque unum, & qui duos in unum novum hominem condidit per Spiritum Sanctum. Unitatis igitur hujus Ecclesiasticae autores non sunt homines, nec esse possunt, cùm ipsi potius collecti sint in hoc unum corpus, tanquam membra, non autem sunt collectores: sed autor est Christus caput totius

totius corporis, qui suo Spiritu collegit & colligit quotidie in unum Electos suos. Quid igitur à nobis requirit Paulus? ut hanc unitatem, tanquam membra ejusdem corporis, servare studeamus: id quod fit dum & quisque sese continet in corpore Ecclesiae, suum faciens officium: & dum charitatis officia praestando, pacémque cum omnibus colendo, alios quoque retinere studet. Vocati igitur sumus ad conservandam unitatem ejus corporis, cujus facti sumus membra: ad conservandam, inquam, hanc unitatem, pro sua quisque virili & conditione. Christus certè ille ipse est, qui etiam hanc unitatem servat: sed cujusque membri opera & officio utitur & uti vult: sicut & caput in humano corpore facit. Non sociat, sed etiam ad faciendum movet Christus quoque, dum nos externè monet per Apostolum, ut studeamus servare unitatem: internè movet per Spiritum suum ad studium hoc conservandae unitatis. Intelligamus ergo. Quando jam omnes in unum corpus coacti sumus, hoc cùm primis à nobis exigi, ut unitatem hujus corporis pro sua quisque virili & officio studeat conservare. Quomodo verò conservabit? Docet, dicendo:

In vinculo pacis: seu per vinculum pacis.

13. Suprà dixerat, *Christum duos populos in unum collegisse, facta pace, nempe tum inter ipsos & Deum, tum inter ipsos mutuò, diruta macerie. Ipse Christus* (inquit Apostolus) *est pax nostra, qui fecit utraque unum. Univit ergo duos populos in unum, vinculo pacis factae inter ipsos & cum Deo.* Nunc ait hanc corporis unitatem vinculo pacis, nempe ejusdem, qua etiam facta fuit haec unitas, servari: docens tum conservari unitatem Ecclesiae, cùm damus operam, ut & pacem, quam habemus cum Deo per Christum, & qua nos simul conjunxit Christus, servemus. Illa prior pax retinetur fide & studio obedientiae ac sanctitatis, id est, retinendo bonam conscientiam: haec altera retinetur ac fovetur charitate charitatísque officiis, & dum in sua quisque se continet vocatione, alterum neque verbis neque injuriis lacessendo, sed officiis potius & beneficiis sibi conciliando, & amicum conservando. Hoc modo servatur pax. Pacis autem vinculo sicut coacta fuit Ecclesia, sic etiam ejus unitas conservatur. Meritò igitur dixit: *Studentes servare unitatem Spiritus in vinculo pacis.* Non dixit vinculo concordiae, sed pacis. Aliquid enim ampliùs significat pax, quàm concordia: quia omnis pax est etiam concordia, sed non omnis concordia digna est nomine pacis: sicut omnis homo est animal, sed non contrà. Concordia enim propriè ad alterum, & inter diversos: quatenus scilicet multorum corda & voluntates ad aliquod unum tendunt: & inde vocatur concordia, à concursu cordium ad aliquid aliud. Sed vera pax praeter hoc habet etiam tranquillitatem mentis & quietem voluntatis atque appetitus. Unde non dicitur quis habere pacem cum aliquo, nisi habeat illum sibi pacatum & amicum: neque in seipso is habet pacem, qui non habet pacatum cor, pacatámque mentem & conscientiam: proinde dicit Scriptura, *non est pax impiis.* Jes. 57. Concordia autem potest esse etiam inter inimicos & dissidentes, quatenus concordes sunt aliqua in re, & ad aliquid simul faciendum: cùm tamen aliis in rebus sint discordes. Meritò etiam pacem appellat Vinculum.

1. Quia vox Graeca εἰρήνη hoc significat. Est enim ab εἴρω, quod significat etiam necto: nexus autem & vinculum idem sunt. 2. Deinde reipsa pax multos

tos simul connectit. Pax per Christum facta conjunxit coelestia cum terrestribus, Angelos cum hominibus: conjunxit duos populos longè diversos inter se in unum corpus, imò in unum novum hominem. Paces etiam, quae fiunt & coeunt inter homines & inter hostes, conjungunt eos, qui dissidebant & erant inimici. Ad summam proprium pacis est connectere & copulare, atque in unum vincire quae disjuncta erant, & conjuncta conservare. Ideò meritò vocavit pacem vinculum: alludens ad vocem Graecam εἰρήνης, & ad proprium ejus officium respiciens. Et hoc vinculo dixit servari unitatem Spiritus, *id est*, Ecclesiae spiritualem: quia (*ut dictum est*) non solum unit diversa & dissidentia, sed etiam unita conservat. Quare locus iste exigit, ut aliquid de pace dicamus.

DE PACE.

Quid nominis sit Hebraïca vox *Schalom*, à perfectione & integritate ducta, natura pacis explicat atque effectus. Illa dicuntur esse in pace, quae in ea permanent perfectione, in qua fuerunt à Deo condita. Sic Adamus ante peccatum. Sic Regna & urbes in pace sunt, si salva. Sicut bellum omnia vastat, corrumpit, perdit: sic contrà pax in integrum restituit & perficit. Hoc maximè apparet in pace per Christum facta: quia omnia sunt instaurata, & tandem ad summam perfectionem deducentur: cùm & caro subjecta fuerit spiritui, & spiritus Deo, & Deus erit omnia in omnibus. Ideo pax apud Hebraeos significat plenitudinem perfectionémque bonorum omnium, & felicem rerum successum.

Graeca vox εἰρήνη, ab εἴρειν, duo significat. Primum, *Dico*: Ut tempore belli *jus est in armis, silent leges, & lites dirimuntur non verbis, sed gladiis:* sic contra tempore pacis, *verbis & legibus juréque dicundo omnia pacifice definiuntur*. Ab hoc igitur effectu sic vocatur, juxta primam significationem: quia tum est pax, cum idem dicitur ab omnibus.

2. Εἴρειν *nectere* est, connectit enim dissidentes in unum, ut supra explicatum est tum de pace inter nos & Deum, tum de pace politica & humana. Ergò ab hoc altero effectu pax vocatur εἰρήνη: & huc respexit Paulus, dicendo, *studentes servare unitatem in vinculo pacis.*

Latina vox, *Pax*, à paciscendo seu pangendo, & à pactis faciendis ac servandis deducitur. 1. Pax omnis fit certis pactis & foederibus interjectis. 2. Servatur & custoditur, cùm statur pactis, pactaque servantur. Exemplum est in pace cum Deo. A nobis exigit fidem in Christum, & studium obedientiae. Exempla è S. Literis petantur. Pertinet huc, quod Poëtae pacem dixerunt esse filiam justitiae, alii sororem. Justitia dat cuique quod suum est. Ergo tunc pax est, cùm pacta servantur, & cuique datur quod suum est.

2. Pax est donum Dei, quo omnia inter se connexa, in suo quoque ordine, quieta & tranquilla conservantur. Ideò multi dixerunt esse tranquillitatem ordinis. Alii, pax est perfecta & omnimoda felicitas, bona non tam corporis quàm animi respiciens, quà à Deo promissa, per Christum verò parta, per Spiritum Sanctum reipsa fidelibus, partim in hoc Mundo partim in Coelo perfecta, & consummata reddetur. Sed haec pax non fuerit nisi piorum. Non est autem una tantùm species. Triplex est pax.

1. Cum Deo. Is enim peccatis nostris offensus per Christum nobis placatus est. Col. 1. *Pace per sanguinem ejus facta.* Et Ephes. 2. Haec nobis reipsa communicatur, cùm per fidem credimus nos esse reconciliatos Deo per Christum: de qua Rom. 5. *Justificati ex fide pacem habemus cum Deo.* Deus fuit nobis pacificatus per Christum: nos ei reconciliamur per fidem in Christum 2. Corinth. 5. *Obsecro pro Christo, reconciliemini Deo.*

2. Est pax conscientiae & mentis, quam quisque fidelis in seipso habet & sentit. *Et pax Christi exultet in cordibus vestris*, inquit Apost. Philip. 4. Fluit haec ex priore. Ex eo enim quod credimus nos reconciliatos esse Deo, sentimus pacatam conscientiam: item, mentis tranquillitatem: hinc regeneratio, qua etiam caro subjicitur spiritui. Imperfecta tamen est, quia pugna quaedam manet inter carnem & spiritum Gal. 5.; perfecta erit in Coelo.

3. Fluit ex hac secunda & à prima, & est caritas cum proximo, quatenus quisque studet pacifice & quiete vivere cum proximo. Matt. 8 *Beati pacifici*, Rom. 12. *Si fieri potest, quod in vobis est, pacem cum omnibus hominibus habentes.* Et ad Hebr. 13. *Pacem sectemini cum omnibus.* Ephes. 4. Fluit ut dictum est ex. 1 & 2. De prima, *quia quò quis magis sentit Caritatem Dei erga se, eò etiam magis accenditur ad Deum & ad fratres etiam amandos.* Item, ex secunda, *quia quo magis in nobis mortificatur peccatum & φιλαυτία, eò minus rixamur cum proximo.* Gal. 5. *fructus Spiritus gaudium & pax, &c. pugnae autem opera carnis*: Ad hanc verò pertinet. 1. Comprecatio pacis, Pax vobis; 2 εὐτυχία, prosperitas vitae. Súntne omnia in pace, *id est*, fortunata & prospera?

Effecta hujus tertiae pacis multiplicia sunt, sed praecipuum est conservatio unitatis Ecclesiasticae.

V. 4. Unum corpus, unus spiritus, sicut vocati estis in una spe vocationis vestrae.

*V. 5. Unus Dominus, una fides, unum Baptisma (*eadem regeneratio & insitio in Christum).

V. 6. Unus Deus & pater omnium, qui omnibus vobis est.

Bifariam haec considerari debent. 1. Quatenus sunt argumenta, quibus ad servandam unitatem Ecclesiae exstimulat nos Apostolus Omnia sunt interna, & ab iis, quae sunt in ipsa Ecclesia, singulísque membris petuntur. Quomodo autem intelligenda sint, diximus.

2. Considerari possunt haec omnia ut ea, in quibus consistit unitas Ecclesiae: nempe in hoc, ut omnes, tanquam varia membra, in unum corpus conjuncti simus per eundem Spiritum Sanctum; ut omnes ad eandem felicitatem aspiremus, non alia ratione, quàm sicut vocati sumus per Evangelium. Vocati autem sumus ad eam non operibus promerendam, sed gratis propter Christum possidendam. Contraria igitur doctrina evertit unitatem. Item, consistit in hoc, ut habeamus eundem Christum. Qui igitur alium volunt, ii non sunt in unitate Ecclesiae. Item in hoc, ut sit una & eadem omnium doctrina & fides. Qui igitur variam adferunt doctrinam & fidem, ii rumpunt unitatem. Item in hoc,

ut

ut eadem sint Sacramenta ad substantiam quod attinet. Ideò ait, *Unum Baptisma:* qua voce significatur in primis interior Baptismus. Is enim verè unus omnium fuit & est. Ergo, qui aliter docet & facit, unitatem Ecclesiae scindit. Atque haec de prima capitis parte v. 6 comprehensa.

PARS SECUNDA.

Haec altera pars continetur à vers. 7. usque ad 17. Summa autem haec est.

1. Novo argumento confirmat studendum esse, ut unitatem corporis Ecclesiae conservemus. Ita fuerit octavum argumentum. Novum autem voco, quia hactenus argumentatus est ab iis, quae in singulis fidelibus, è quibus totum corpus Ecclesiae constat, unum & idem sunt: nunc autem argumentatur ab iis, quae in singulis diversa sunt: docens ea esse ab uno & eodem autore Christo; & ad unum eundémque finem, nempe ad totius corporis utilitatem, ad conservationem, fidelibus donari. Ita hîc tacita quaedam occupatio continetur: nempe licet non omnia, quae in Ecclesia sunt, unum omnibus & idem sint, sicut & superius commemorata, sed in multis multa sint & diversa & inaequalia: hac tamen diversitate non impediri, quin unitati Ecclesiae conservandae studendum sit: imò ad idem unitatis studium hac diversitate & inaequalitate donorum nos promoveri debere. Ratio: quia ab eodem autore, & ad eundem finem donantur. Argumentum hoc explicat ab una specie donorum Christi, nempe à donis quae ad ministerium verbi pertinent. Docet enim, etsi non omnes Christus voluerit esse Apostolos, aut omnes Prophetas, sed alios Apostolos, alios Prophetas, alios doctores & pastores dederit: finem tamen eundem fuisse, ejusdem scilicet corporis Ecclesiae, ad cujus unitatem conservandam hortatur, aedificationem. Hoc est primum ac praecipuum quod hîc tractat à vers. 7. usque ad 17.

2. Sed secundo loco obiter de Christi humiliatione, ascensione, triumpho ac glorificatione disserit. Ita tria praecipua capita hîc habemus. 1. Confirmationem superioris doctrinae, studendum scilicet esse, ut unitatem Ecclesiae vinculo pacis conservemus. 2. Alterum de Christi humiliatione & glorificatione. 3. De ministerio Ecclesiastico, à quo sit, quotuplex sit, & in quem finem sit institutum. Haec est summa hujus partis. Nunc textum percurramus.

v. 7. Verùm unicuique nostrum data est gratia, juxta mensuram doni Christi.

Illud δωρεᾶς multi vertunt donationis. Et sic Syriacus. *Unicuique autem ex nobis data est gratia, juxta mensuram donationis Christi*, id est, prout Christus vult multum aut parum donorum suorum cuique nostrum donare. Hic est sensus. Itaque non displicet vetus versio, *juxta mensuram donationis.* Non enim eadem mensura fit haec donatio, seu donorum & charismatum distributio.

Illud nomen χάρις non significat gratiam, qua servamur: hanc enim Scriptura facit aequalem, quatenus ex aequo Deus omnium suorum Electorum in Christo miseretur, & peccata ex aequo omnibus condonat, & ex aequo omnibus donat

donat vitam aeternam: id quod conclusit Apostolus superioribus argumentis, quia unus & idem Spiritus in omnibus, una & eadem haereditas, ad quam gratis possidendam vocati sumus omnes; in quem locum ita scribunt etiam Scholia; ὁ Θεός ἡμας ἐπὶ τοῖς ἀυτοῖς ἐκάλεσεν, οὐδενὶ πλεῖον ἀπονείμας, πᾶσιν ἀθανασίαν, πᾶσι ζωὴν αἰώνιον ἐπηγγείλατο, πᾶσι δόξαν ἀθάνατον, πᾶσιν ἀδελφότητα, πᾶσιν κληρονομίαν: Κοινὴ πάντων ἐγενέτο κεφαλή: πάντας συνηγείρε καὶ συνεκαθίσεν. Elegans locus est ad confirmandam unitatem Ecclesiae, & ne quis invideat alteri, cùm una & eadem sit omnium salus & gratia, etiam si aliqua dona non sint paria.

Χάρις igitur accipitur pro charismate: & sic Scholia: χάρις (inquiunt) τοῦτ᾽ ἔστι χάρισμα. Loquitur enim Apostolus de varietate donorum Spiritus Sancti, quibus ornat singula membra hujus corporis, quod est Ecclesia, ad aedificationem ipsius corporis: de quibus donis Roman. 12 & 1. Cor. 12. Hactenus enim argumenta ad servandam unitatem Ecclesiae ex iis adduxit, quae ex aequo communia sunt omnium fidelium: nunc de donis subjicit, quae non omnibus eadem & paria, sed aliis alia, & impari mensura distribuuntur: quae, licet imperitis videantur praebere potiùs materiam dissidiorum quàm unitatis, tamen sunt & ipsa ad unitatem servandam necessaria.

Illa particula δέ, ἑνὶ δέ, docet immediatè quidem Apostolum excipere sibi adversus praedicta argumenta ab unitate ducta. Non enim omnia in Ecclesia esse omnibus unum & idem. Sed tamen invertit argumentum Apostolus, & probat haec varia dona ad eundem spectare finem, eóque non pugnare cum praecedentibus. Scholia sic explicant, Εἰ πάντα ἐστιν ὡς λέγεις κοινὰ, πόθεν ὁ μὲν μεῖζον, ὁ δὲ ἔλαττον ἔχει χάρισμα; Τοῦτό γὰρ ἀυτοὺς εἰς φθόνον μάλιστα ἦγε. Haec est objectio. Respondet Apostolus, Ἑκάστῳ ἐδόθη ἡ χαρις, τοῦτ᾽ ἔστι, τὸ χάρισμα: non simpliciter, sed κατὰ τὸ μέτρον τῆς δωρεᾶς τοῦ Χριστοῦ: quasi dicat, primum εἰς ἀυτοὺς (Christus) ἐμέτρησε: Ergo καλῶς ἐμέτρησε καὶ συμφερόντως. 2. Εἰ δωρεᾶς ἐστὶ τὸ πᾶν, ὑπερ μὲν οὗ ἔλαβες ευχαρίστει, ὑπερ δὲ οὗ οὐκ ἔλαβες μὴ φθόνει, δωρεὰ γὰρ ἐστὶν: τὰ μὲν γὰρ ἄλλα κοινὰ πρόκειται: τὰ δὲ χαρίσματα δέδοται κατὰ τὴν ἀναλογίαν τῆς ἑκαστου καθαρότητος. Sensus igitur Apostoli est is, & quidem perspicuus. Haec quidem quae recensui, sunt communia nobis ex aequo: verum ad dona Dei quod attinet, quae in corpore Christi distribuuntur, singularis cuique nostrum concessa est gratia, à Christo ipso, qui omnia sapientissimè, & prout cuique expedit, distribuit, ad publicam & communem totius corporis utilitatem.

Respicit enim ad similitudinem corporis humani, in quo unicuique membro singularis gratia datur, qua corporis necessitatibus subveniatur: cùm tamen vita, sensus & motus sit omnibus communis. Argumentum ergo Apostoli est; sicut in humano corpore tantùm abest, ut propter officiorum & actionum diversitatem membra à se invicem dissideant, ut potiùs ideo unita consistant cum toto corpore, quia diversa sunt ipsorum munia, quibus sibi mutuò serviunt; sic etiam tantùm abest, ut varia χαρίσματα in Ecclesia ad dissolvendam unitatem corporis pertineant, ut potiùs ad ejus conservationem necessaria sint, Christo omnia sapientissimè & ad communem Ecclesiae salutem distribuente & ordinante. Est enim ipse caput totius corporis, nos singula membra. Ut igitur caput non influit in membra, nec ea movet, nisi quatenus conducit ad salutem totius corporis: sic Christus, &c. Diversitas igitur donorum esto vobis stimuli

stimuli instar, quo ad servandam unitatem corporis Ecclesiae excitemini pro sua quisque virili parte ac vocatione.

V. 8. Quapropter dicit, cum Ascendisset in altum, captivam duxit captivitatem, & dedit dona hominibus.

Syr. sic habet. *Propterea dictum est, quòd ascendit in altum, & captivam duxit captivitatem, & dedit dona filiis hominis.*

Dixi, argumentum ad unitatem servandam duci in hac diversitate donorum à duobus capitibus: quorum prima est, quia unus tantum est autor omnium horum diversorum donorum in Ecclesia, nempe Jesus Christus: alterum, quia omnia ad eundem finem ordinata sunt & distribuuntur à Christo. De fine dicet postea. Nunc confirmat Christum hunc esse unicum autorem, nempe unà cum Patre & suo Spiritu, qui sunt unus & idem Deus, ut explicatur 1. Cor. 12; sed quatenus Mediator est, per quem omnia Pater agit, & quatenus est caput Ecclesiae, is solus autor est. Confirmat autem testimonio sumto ex Psal. 68, ubi in secunda persona sic alloquitur David Christum, quem vocat *Jehovam, & Elohim. Ascendisti in altum, captivasti captivitatem, accepisti dona Beadam, id est*, propter homines, *hoc est*, accepisti dona à Patre hominibus distribuenda. Ideò licet Apostolus loquatur in tertia persona, David in secunda, Apostolus dicat, *dedit*, Propheta autem, *accepit*: & ibi dicat *Beadam*, hîc autem legas, *hominibus*: idem tamen est sensus: quia Christus non accepit à Patre ea dona, nisi propter homines, & distribueret hominibus. Apostoli autem soliti sunt sacras Scripturas Veteris Testamenti ita citare, ut contenti fuerint, si genuinum sensum adferrent, sicut notum est.

Duo autem continet iste versiculus è Psalmo citatus. 1. Vaticinium de Christi ascensione in Coelum. 2. geminum ejus ascensionis fructum, quorum *primus* est triumphus, quo triumphavit de Satana, morte, peccato, & in summa de regno diaboli. Et hoc dicendo, *captivam duxit captivitatem. Alter* est distributio donorum, de qua hîc loquitur Paulus. Ideo enim ascendit Christus in altum, *id est*, in Coelum, ut inde dona Spiritus Sancti primum visibiliter, sicut contigit in die Pentecostes, deinde quotidie invisibiliter Ecclesiae suae communicaret, quibus aedificari & conservari in hoc Mundo possit.

De ascensione ait, *Cum ascendisset in altum*. Quid est hoc altum? Infrà explicat, dicendo, *supra omnes Coelos*. Locus hic refellit dogma de Coelo Ubiquitario. Item dogma de evanescentia corporis Christi per aërem, seu in aëre. Ait enim illum ascendisse in altum, *id est*, supra Coelos.

De primo fructu ait, *Captivam duxit captivitatem*. Nomen captivitatis & passivè & activè accipi potest. *Passivè* pro iis, qui tenebantur captivi à diabolo. Christus enim hos liberavit & redemit de potestate & manu Satanae. *Activè* autem pro diabolis, qui captivos tenebant homines. Hos enim omnes superavit, captivos fecit, & in triumpho adduxit: qua de re ad Col. 2. *Expoliatósque principatus & potestates ostentavit palam triumphans de illis per semetipsum*. Sic enim solent victores suos populos captivos liberare à captivitate: tyrannos autem, hostes praesertim primores, vinctos à tergo, &

& caput ac pedes nudos in triumpho ducere: atque ad hoc allusit Psalmus & Apostolus.

At quomodo captivus factus est Satan cum suis & vinctus, cum Apostolus infrà dicat, nobis colluctandum esse cum Satana. Ephes. 6. Et Petrus ait, illum circumire instar leonis, & quaerere quem devoret? 1 Petr. 5. Respondeo, Christus destruxit illorum potentiam in Mundo, regnúmque illorum evertit: & haec est victoria, quam retulit Christus ascendens in altum. Interim nunc circumeunt, non ut dominium ullum in nobis habentes, sed per insidias agentes, ut nos ad se pertrahant. Nos igitur Spiritus Sanctus per Apostolos monet, simus cauti & vigilemus, nec sinamus nos circumveniri. Simile. Etiamsi à peccato sumus liberati: interim manet in corpore nostro: non regnans, sed ad sui obedientiam sollicitans. Mundus quoque victus est, ait Christus, *Ego vici Mundum.* Johan. 16. interim nos persequitur. Ergò sic liberati sumus è manibus Satanae, ut nihil in nos habeat imperii: sic à peccato, ut non possit nos condemnare, & in sui obsequium vi trahere. Interim non desinunt hostes esse. Fac leones multos esse vinctos catenis: nisi tu ipse sponte ad illos accedas, nihil nocere possunt. Cavendum igitur ab illis. Ita nos non sumus ampliùs captivi Satanae & Diabolorum: sed ipsi captivi sunt Christi.

2. De altero fructu Ascensionis ait, *Et dedit dona hominibus.* Solent Principes post victoriam, dum triumphant, magna munera & pecunias in populum sibi triumphanti gratulantem & jubilantem spargere: sic fecit Christus. Ergò rectè primò dixit, *Captivam duxit captivitatem:* post *dedit dona, &c.*

V. 9. Illud autem Ascendit, quid est, nisi quòd etiam descenderat priùs in inferiores partes terrae?

Sic Syriacus. *Quòd autem Ascendit quidnam est, nisi quòd etiam descendit priùs in inferiora terrae?*

Sensus est perspicuus hoc modo. Illud verò, quod Propheta de Christo dixit, quòd ascendit in altum, quid innuit, quid significat, quidve concludit, nisi quòd idem Christus priùs descenderat ex illo alto loco in partes terrae inferiores? Sic Scholia, quasi dicat: οὐκ ἄν δὲ ἐδεήθη ὁ προφήτης τοῦ εἰπεῖν ἀνέβη, εἰ μὴ ᾔδει ὅτι κατέβη πρῶτον.

V. 10. Qui descendit, ipse est etiam qui ascendit longè supra omnes Coelos, ut impleret omnia, (vel, ut habet Syriacus,) *ut compleret omnia.*

Isti duo versus per parenthesin leguntur. Nam mox vers. .11 redit ad superiora, *hoc est,* ad explicanda dona aliquot, de quibus dixerat in genere, *Dedit dona hominibus.* Summa autem horum duorum versuum haec est. Ex verbo Prophetae, Ascendit in altum (*nempe Christus*) tum humiliationem Christi, tum ejusdem exaltationem colligit. Humiliatio in duabus potissimum rebus consistit, sicut ad Phil. 2. clarius explicat Apostolus: quarum prima est, quia cùm esset in forma Dei, *exinanivit semetipsum, fòrma servi sumta, & factus est homo:* altera quia homo jam factus, *factus est etiam obediens*

obediens usque ad mortem, mortem autem crucis, & sepultus est, descenditque ad inferos. Hanc humiliationem tradit vers. 9. ex verbo Ascendit. Quia qui ascendit, inquit Apostolus, ipse est qui antè descenderat in has partes inferiores terrae, *id est,* factus est homo in utero Virginis, inter homines versatus, omnibusque iis affectus calamitatibus, quibus obnoxii sumus quicunque in terra hac versamur, tandem passus, mortuus & sepultus ad inferos usque descendit. Atque haec de humiliatione.

Glorificatio verò, quam ex eodem verbo Ascendendi colligit, haec omnia complectitur: resurrectionem Christi, ascensionem in Coelum, sessionem ad dexteram, missionem Spiritus Sancti, publicationem Evangelii per totum terrarum orbem, collectionem Ecclesiae, salutem omnium Electorum per fidem in ipsum, & quae ex iis omnibus secuta est divinae Christi naturae patefactio; quòd scilicet omnes noverint, hunc Jesum, qui humiliatus fuerat usque ad mortem, esse verum ac naturalem Dei filium, Regem Regum & Dominum Dominantium, pérque hunc condita esse & constare omnia, per hunc denique solum è Coelo salutem & omnia dona ac bona haberi posse. Glorificationem hanc tradit Apostolus vers. 12, ubi duo praecipua de Christo docet: quorum primum ad personam, secundum ad officium pertinet. De persona docet, licet sit Deus & homo: unam tamen duntaxat esse, eandemque personam, unúmque Christum. Et hoc dicendo, *Qui descendit, ipse etiam est, qui ascendit.*

De Officio, docet illud fuisse duplex: unum, quod perficiendum erat in terra, de quo praecedenti versu, ex verbo, Descendit in inferiores partes terrae, diximus: alterum, quod illi perficiendum erat in Coelo, & è Coelo: hoc explicat, finalem causam tradens, cur ascenderit supra omnes coelos, ut scilicet omnia impleret, quae ei complenda erant in coelo, atque è coelo. Haec est summa horum duorum versuum: in quibus, quicquid de persona Christi deque ejus officio dici potest, eóque tota salutis nostrae dispensatio breviter continetur. Neque verò haec à causa, quam tractat, aliena sunt: sed hujus doctrinae usus ad rem maximè facit. Hortabatur Apostolus Ephesios, & nos in illis, ad humilitatem, qui est primus gradus ad concordiam, eóque ad unitatem Ecclesiae, per vinculum pacis conservandam. Ad hanc nunc nos exstimulat exemplo Christi, qui cùm esset Deus, regnans in Coelo cum Patre, seipsum humiliavit, indè descendendo in inferiores partes terrae. Quorsum verò? Ut primum suo sanguine & morte omnes electos, *id est,* nos reconciliaret Patri: & deinde ut evectus in Coelum, misso Spiritu Sancto, Ecclesiam hanc in unum corpus colligeret, foveret, conservaret, instituto Ministerio, cujus finis est exaedificatio Ecclesiae. Quid igitur magis nos decet, nostráque vocatione dignum est, quam ut humilitatem sectando, in idem conservandae unitatis Ecclesiastici corporis studium incumbamus? Hac enim re futurum, ut cum Christo omnes conglorificemur. *Nunc percurramus verba Apostoli.*

V. 9. Caeterùm illud Ascendit, quid est, nisi quod etiam descenderat priùs in inferiores partes terrae?

Verba haec bifariam exponi possunt: primùm ita, ut Paulus voluerit ex verbo

verbo

verbo illo Prophetae, Ascendit (*nempe Christus*) in altum, *id est*, in Coelum, concludere Christum igitur priùs fuisse in Coelo, indéque descendisse: aut ita, ut Apostolus velit interpretari dictum Prophetae, & ostendere illum, cùm dixit Christum ascendisse in Coelum, sensisse, illum priùs inde descendisse. Si primo modo exponas, non videtur haec sequela bona esse, Ascendit in Coelum. Ergò priùs ibi erat, & inde descendit. Multi enim possunt in altum aliquem locum ascendere, unde priùs non descenderunt, & ubi priùs non fuerunt. Moses ascendit in montem, & cum Domino loquebatur, *Exod.* 19. ubi tamen anteà non fuerat. Elias quoque ascendit per turbinem in Coelum: 2. Reg. 2.; num inferes Eliam ergò priùs in illo monte fuisse & inde post descendisse? Nos quoque ascendemus in Coelum, in quo tamen nondum fuimus & ex quo non descendimus. Neque tamen improbari potest, si quis dicat, Apostolum ex illo verbo, Ascendit, concludere voluisse, Ergò priùs descenderat. Necessitas enim hujus consequentiae Apostolicae non pendet ex natura rei secundùm quam ascendit, *id est*, secundùm humanam naturam: sed pendet ex qualitate personae, quae ascendit, quae non solùm homo sed etiam Deus est. Noverat autem David hunc Christum esse Deum aeternum, fuisséque semper cum Patre in Coelesti gloria ac majestate: noverat hoc idem & Paulus & omnes Apostoli omnésque fideles. Unde & Christus dicebat se esse de supernis, nos autem è terra: Et Johannes ait de Christo, *Qui de Coelo est, supra omnes est;* & Paulus eum vocat hominem Coelestem. Certè si Christus esset è terra, sicut & nos, consequentia Apostoli nulla esset: sed si supponas Christum verum esse Deum, & è supernis esse, necessariò consequetur, Ascendit Christus in altum è terra. Ergò priùs ex alto in terram venerat. Ergò si quis supponat Christum esse natura sua è supernis, sequela Apostoli necessaria fuerit, Ascendit Christus ex inferioribus terrae partibus in Coelum. Ergo prius è Coelo in inferiores terrae partes descenderat. Et sic Christus locutus est, cùm dixit, *Nemo ascendit in Coelum, nisi qui descendit de Coelo, filius hominis qui est in Coelo.* Hic est primus modus exponendi hunc locum.

Alter est, ut dicamus Apostolum verbum Prophetae interpretari voluisse & concludere Davidem, cum in eo Psalmo praedixit Christum ascensurum in Coelum, praevidisse eum etiam priùs descensurum è Coelo, futurúmque hominem verum: *hoc est*, cùm praedixit de ejus glorificatione, simul etiam de ejusdem humiliatione vaticinatum fuisse. Atque haec Scholiastae est interpretatio: οὐκ αρα δὲ, φησὶν, ἐδεήθη ὁ προφήτης τόδε εἰπεῖν ἀνέβη, εἰ μὴ ᾔδει ὅτι κατέβη πρῶτον. Haec mihi videtur simplicior: praesertim cum David in eo Psalm. hunc Christum vocavit *Jehovam*. Vult autem Apostolus Prophetam omnino de Christo locutum fuisse. Optima igitur fuit consequentia, Christus filius Jehovae Jehova ascendit in altum, captivam duxit captivitatem, dedit dona hominibus: Ergò priùs descenderat, id est, factus homo, & mortuus sepultúsque fuerat. Ita Apostolus interpretans verba Prophetae, docet Prophetam praenovisse Filium Dei descensurum è Coelo, futurum hominem, redemturum humanum genus, & denuò rediturum cum triumpho in Coelum. Difficilior est illa particula *in inferiores partes terrae*, propter diversitatem interpretationum, quae adferuntur in hunc locum, illaeque probabiles. Nam illa de limbo, in quo Patres fuerint à

 condito

condito orbe, usque ad Christi adventum, qui eos inde liberarit, & tunc primùm secum in coelum duxerit, cum ipse ascendit in coelum: haec, inquam, interpretatio de limbo, quam adhuc Pontificii tuentur, pridem refutata à nostris fuit: cùm nulla firma ratione nitatur. Dicam igitur de reliquis.

1. Quidam nomine inferiorum partium terrae, quae Hebraïcè vocantur *Bethahetioth haarets*, intelligunt uterum Virginis, in quo Filius Dei conceptus est & factus homo. Confirmant primum, quia eadem phrasi usus est idem Propheta in alio Psalm 139. vers. 15. ubi sic alloquitur Deum dicendo. *Te, ô Deus, virtus mea non latuit, cùm fingerer in abdito,* seu (ut habet alia versio) *Non est occultatum os meum à te, cùm factus sum in occulto:* & subdit, cùm formatus sum *Bethahetioth haarets,* in inferioribus terrae, id est, in utero matris. Deinde confirmant etiam hac ratione, quia descensus Filii Dei de Coelis in inferiores partes terrae non fuit factus mutatione loci, sed assumptione humanae naturae: assumptio autem haec facta fuit in utero matris: non est igitur absurdum dicere, Christum tum demum descendisse in inferiora terrae, cùm in utero Virginis carnem suscepit, & homo factus est.

2. Alii interpretantur terram ipsam, quae, quatenus est infima pars Mundi, vocetur inferiora terrae: ut sit comparatio non inter partes terrae, sed inter partes Mundi: ut sit sensus, descendit in terram, hoc est, subjecit se infimae & miserae hujus praesentis & terrenae vitae conditioni. Est enim antithesis inter descensum & ascensum. Ascensus significat reditum ad Coelestem felicitatem, gloriosámque vitam: Ergo descensus significat contrarium, nempe τὸν λόγον, cùm esset in forma Dei, se ipsum exinanivisse, & forma servi sumpta, se miserae hujus terrenae vitae conditioni subjecisse.

3. Alii intelligunt mortem & sepulturam, statúmque & conditionem mortuorum; ut idem sint inferiores partes terrae, quod sepulchrum & inferi, statúsque mortuorum. Et hunc locum exponunt per illum in symbolo, *Descendit ad inferos.* Nomine autem inferorum intelligunt non solum sepulchrum, in quo jacuit corpus, sed totum illum statum & conditionem mortuorum. Hoc pacto comparatio erit inter partes terrae: quia una est superior, ubi viventes habitamus: altera inferior, & subtus hanc partem, ubi corpora sunt demortuorum, mortui ipsi. Et sic de Christo est illud Jes. 53. *Succisus est de terra viventium:* quasi dicat, & in terram statúmque mortuorum dejectus. Locum hunc & statum mortuorum Graeci vocare solent Ἅδην: ab ἀ privativa particula, & εἴδειν videre: quòd ibi omnia sint tenebricosa, ut nihil videri possit.

4. Denique alii volunt hoc nomine intelligi inferos ea significatione, qua & Matt. 16, *Portae inferorum non praevalebunt adversus eam:* hoc est locum certum subtus terram, qui Diabolo & Angelis ejus & omnibus impiis destinatus est. Volunt igitur Christum, sicut corpore erat in sepulchro, sic anima ad hos inferos penetrasse. Sed quorsum? Num ut ibi dolores inferni pateretur? Quidem audent affirmare: sed horum sententiam reprobamus, cùm fundamentum nullum habeat in scripturis, imo cum illis pugnet; finis enim dolorum fuit in cruce. Patres ferè in hac sunt sententia, Christum sua anima venisse ad locum damnatorum, ut non verbis, sed sua praesentia significaret, esse

justi-

justitiae Dei sua morte & sanguine satisfactum, Satanam nil amplius habere potestatis in electos, quos ipse captivos tenebat: se factum esse omnium dominum: datam sibi esse omnem potestatem in Coelo & in terra, datúmque nomen supra omne nomen, ut in nomine Jesu omne genu flectatur, coelestium, terrestrium & inferorum: nec solum venisse eo, ut haec illis significaret eo modo quo dictum est, verum etiam, ut omnes Diabolos secum duceret in triumpho: quo referunt illud Col. 2. *Et expolians principatus & potestates traduxit palam, triumphatis illis per eam, scilicet crucem*, id est, virtute crucis, qua expiaverat peccata, & justitiae Dei satisfecerat.

At nonne poterat hoc facere sine hoc Animae descensu? poterat, sed voluit eousque humiliari, ut etiam Anima in illam tenebricosissimam & infelicissimam regionem descenderet, quanquam nihil passura, sed initium sui de Diabolicis potestatibus triumphi inde factura.

Ego hanc Patrum sententiam non audeo damnare, quando non pugnat cum Sanctis literis, sed probabilia habet argumenta. Consensus Patrum, quando non pugnat manifestè cum Sacris Literis, apud me multum habet ponderis.

Caeterum ad praesentem hunc locum Apostoli quod attinet, omnes hasce quatuor interpretationes complector: quia omnes veras esse intelligo, & cum Apostoli verbis convenire. Sicut enim verbo Ascendendi continentur omnia quae ad glorificationem Christi pertinent, inter quae etiam est triumphus de Diabolis ex inferno: sic etiam verbo Descendendi omnia, quae ad ejus humiliationem referuntur, intelligenda sunt. Atqui haec omnia, quae dicta sunt in iis quatuor interpretationibus, vera sunt ex symbolo ipso: primum quod incarnatus sit & natus ex Maria Virgine: 2. quod in terris versatus & passus sit: 3. quod mortuus & sepultus: 4. quod descenderit ad inferos: id quod fuit ultimum humiliationis opus. Ergo nihil alienum ab Apostoli mente dixerimus, si dicamus Christum omnibus istis praedictis modis descendisse in inferiora terrae. Ac quia de tribus prioribus interpretationibus non tam est controversia, quam de quarta: placet duas afferre conjecturas ex contextu Apostoli, quibus confirmari videtur Christum sua Anima penetrasse in infernum damnatorum.

I. Aperta est ἀντίθεσις inter *supra omnes Coelos* & inter *inferiora terrae*. Atque illud accipitur ad literam, & concluditur ascendisse in sublimiorem Coelorum partem: nihil enim sublimius illa parte, quae est supra hosce coelos: Ergo etiam hoc alterum ad literam intelligendum erit: nihil autem est magis infimum in terra loco damnatorum, qui dicitur infernus & inferi, &c.

II. Apostolus non simpliciter ait Christum descendisse ad inferos, sed expresse nominat terram, in inferiores terrae partes. Est autem locus iste Apostoli consentaneus cum illo Symboli, Descendit ad inferos. Igitur nomen inferorum in Symbolo significat locum infimum terrae. Sed de hoc alias.

V. 10. Qui descendit ipse etiam est, qui ascendit supra omnes Coelos, ut impleret omnia.

Duo sunt membra hujus versus, unum de eo qui ascendit in Coelum: alterum de fine ascensionis. Primum facile est & Nestorii dogma refellit. Ille

ipse

ipse (inquit) qui descenderat, *id est, qui factus fuerat homo, qui mortuus, qui sepultus, qui expoliavit principatus & potestates:* is etiam & non alius ascendit supra omnes Coelos. Quis autem descenderat? Ipse Christus exprimit dicendo, *Exivi à Patre, & veni in Mundum, iterum relinquo Mundum & vado ad Patrem.* Joh. 16. Filius igitur Dei, natus ex Patre Deo, descenderat in Mundum. & Joan. 3. *Qui de Coelo venit, supra omnes est.* Deus igitur qui venerat, *id est*, qui factus fuerat homo, idem etiam Deus ascendit. Apostolus 1. Tim. 3. explicat dicendo, *Deus manifestatus est in carne.* Ecce descensum: de ascensu addit ad extremum, *assumptus est in gloriam*, idem nimirum Deus, qui manifestatus est in carne. Idem ergo Filius Dei Deus, & non alius, tum descendit de Coelis, tum etiam ascendit supra omnes Coelos.

Et non sine causa Apostolus non dixit, *Qui ascendit idem est, qui descendit.* Probavit quidem ex ascensu illius descensum, sed ex ascensu noluit probare eundem esse, qui descenderat; ideò non dixit, *Qui ascendit ille est, qui etiam descendit*, quod tamen verissimum est; cur ergo non dixit, Qui ascendit ipse est etiam, qui descendit, sed contrà, Qui *descendit ipse est, qui etiam ascendit?* Ratio est, quoniam cùm Christus ascendit in coelum. ascendit Deus & homo; cùm verò descendit, descendit Deus tantùm & non homo, sed descensu factus est homo. Ut ergo occurreret haeresi eorum, qui dicturi erant Christum attulisse corpus è Coelo, non dixit, *Qui ascendit is etiam est, qui descendit:* Sed contrà, *Qui descendit ipse etiam est, qui ascendit.* Qua locutione manifestè docuit Apostolus, Filium Dei descensu suo, *id est*, assumptione humanae naturae, non esse factum alium, *id est,* aliam personam: neque humanam illam assumptam naturam aliquid ad personam Filii Dei vel constituendam vel perficiendam addidisse; alioqui alius ascendisset, quàm qui descenderat: *descendisset enim persona simplex, ascendisset composita: descendisset imperfecta, ascendisset perfecta,* quod absit ut dicamus vel sentiamus. Atque haec causa est, cur dicamus personam Filii Dei (propriè loquendo) non posse dici esse compositam ex duabus naturis, tanquam ex partibus, id quod & Aquinas oppugnat: sed sicut erat ante assumptam carmen, sic etiam post ejus assumptionem mansit simplicissima & perfectissima. Humanam autem naturam dicimus portari & gestari à Verbo, seu à Persona Filii Dei. Simile Patrum libenter usurpamus: Sicut qui assumit sibi vestem, eámque induit, non fit alius homo assumptione vestis: sic neque persona Filii Dei facta est alia persona assumptione humanae naturae. Hanc enim ceu vestimentum induit, nunquam tamen depositurus, quia licet non assumpta sit ad personam vel constituendam vel perficiendam, assumpta tamen est in unitatem personae. Hanc vim habet φράσις Apostoli, *Qui descendit ipse etiam est, qui ascendit.* Augustinus ait, Christum, cùm descendit, fuisse ceu hominem nudum de monte descendentem; cùm ascendit, cum carne ascendisse ut eundem hominem, sed vestitum. Si verò assumpta natura non mutavit nec perfecit nec composuit personam Filii Dei (propriè loquendo) quia qui descendit is etiam est, qui ascendit, & non alius: eadem ratione dici non potest, Christum assumpsisse hominem, *id est*, humanam personam, ita ut jam constet ex duabus personis, sicut Nestorius docebat. Qui enim descendit ipse etiam est, qui ascendit, *hoc*

est

est, qui erat Deus in coelis habitans ille ipse est, *qui factus est homo, qui passus, qui mortuus, qui sepultùs, qui descendit ad inferos, qui denique ascendit supra coelos omnes.* Sed hoc ideò non percipiebat Nestorius, quia una ex parte tenebat hoc principium Philosophicum, & illud quidem verissimum, Actiones esse τῶν ὑφισταμένων, non autem Naturarum: ex altera verò parte tenebat etiam hoc principium, illúdque, si bene intelligatur, verum, Diversorum & Contrariorum effectuum diversas esse & contrarias causas efficientes. Cùm verò videret in Christo fuisse diversissimas contrariásque actiones, indè concludebat, oportere igitur in Christo diversa esse ὑφιστάμενα, quorum unum passum fuerit alterum non passum, unum sepultum alterum non sepultum. Ita faciebat, ut qui descendit non esset ille ipse qui ascendit. Sed non consideravit vir superbus idem ὑφιστάμενον posse diversa & pugnantia operari, secundùm diversas in eo naturas: quemadmodum homo secundum mentem intelligit, secundùm corpus non intelligit, sed sentit: secundùm animam manet immortalis sempérque vivit, & secundùm corpus moritur. Ita principiis Philosophicis abusus est ex imperitia, ad negandam veritatem scripturarum. Sed ex Philosophicis tamen principiis bené explicatis refutatus fuit etiam illius error, & veritas sacrarum literarum asserta à Patribus, à quibus regula haec tradita est: Communicatione Idiomatum contradictoria de eodem Christo verè & realiter praedicari, sed non de naturis à Christo diversis: ut Christus Deus passus est, Christus homo non est passus: non autem Deitas passa est, vel humanitas expers fuit passionis. Ergo stat sententia Apostoli, *Qui descendit eum ipsum esse, qui etiam ascendit.* Atque haec de persona, quae descendit & ascendit.

Explicatio haec de una persona déque diversis naturis in Christo manifestè concludit, verbum Descendendi & Ascendendi non eodem modo esse accipiendum. Verbum enim Descendit dicitur de eo, qui nondum erat homo, sed Deus tantùm, antequam descenderet; Deus autem omnia replet, nec mutat locum: non potest igitur verbum Descendendi intelligi Physicè pro descensu, qui fit mutatione loci. Verbum autem Ascendendi de eo praedicatur, qui non solum Deus, sed etiam homo erat. Oportet igitur respectu Humanitatis illud accipere propiè & Physicè, quod scilicet Christus suo corpore verè ascenderit è terra in Coelum, sicut etiam verè & Physicè ascenderat è sepulchro in terram viventium. Totus tamen & idem Christus dicitur realiter ascendisse propter communicationem idiomatum, quae realis est in persona ipsa, quatenus reapse illis participat idem Christus verus Deus verúsque homo. Cùm igitur Apostolus dicit, *Qui descendit ipse est etiam qui ascendit*, duo concludit: Unum, eandem esse personam, de qua ista duo verè praedicentur, *descendit & ascendit:* Alterum diverso modo eandem personam descendisse & ascendisse: quia descendit sine mutatione loci cùm esset tantùm Deus: Ascendit autem mutatione loci respectu humanae naturae, cùm esset homo.

Quò verò ascendit? Ait, *supra omnes Coelos.* Hoc est illud altum τὸ ὕψος, de quo Psal. 60. *Ascendisti in Altum.* Et Christus ad Apostolos, Act. 1. *Induemini virtute ex alto:* & Apostolus, Col. 3. *Si consurrexistis cum Christo, quae sursum sunt quaerite.* Et Paulus hac praesenti locutione id manifestè evincit, nempe locum, in quem ascendit Christùs, esse sursum & altum ac sublimem.

Quid

Quid enim altius est eo loco, qui est supra omnes Coelos? Christus autem *(ait Apostolus)* ascendit supra omnes coelos.

At inquies, Si supra omnes coelos ascendit: Ergo corpus Christi non est in loco, quia supra coelos omnes nullus est locus. Respondeo: Imò, si in nullo est loco, multò minùs erit in terra, & ubique locorum. Augustinus verò ait, Tolle spatia locorum corporibus, & nusquam erunt: & quia nusquam erunt, non erunt, scilicet, corpora. Oportet enim omne corpus in aliquo esse loco, id est, spatio. Etsi enim non omnis locus ejusdem rationis est, & qualis describitur in Physicis ab Aristotele: ubi tamen est corpus, aliquod ibi spatium sit, quo contineatur corpus, necesse est: & hoc spatium vocamus locum. Proinde, ubi jam Christus est, ibi futura sunt etiam nostra corpora; sacrae literae talibus nominibus exprimunt, quibus declarant spatium esse corporibus capiendis accommodatum: Christus vocat domum Patris, in qua sunt multae mansiones. Apostolus ad Hebraeos vocat civitatem: Et item Petrus, in Actis, vocat coelum, quo capitur corpus Christi. Sed, omissa hac disputatione, videamus de sensu verborum.

Ascendit supra omnes coelos. Hieronymus ait Apostolum sic locutum esse, ut significaret Christum è Mundo visibili ad invisibilia transivisse. Alii, ut nostram curiositatem reprimeret, ne investigemus, ubi sit Christus, cùm ne coelos quidem penetrare possimus. Scriptura tamen alibi dicit Christum ascendisse in coelum, & sic confitemur in symbolo, & Act. 3. *Quem oportet coelo capi.* Quomodo in coelo est, si supra omnes coelos?

Breviter Respectu personae Filii Dei simpliciter interpretamur esse supra omnes coelos in gloria, *scilicet*, Patris, quando ea persona immensa est, & omnia implet, sicut & Pater: sed respectu naturae assumtae in unitatem personae, Christum dicimus suo corpore non esse simpliciter supra omnes coelos, sed in certo coelo, sicut confitemur in Symbolo: in coelo, *inquam*, illo, in quo & nostra futura sunt corpora. At ait, supra omnes coelos; verum: sed idem Apostolus alibi ait, Christum ingressum esse in ipsum coelum. Heb. 9. 24. Et Col. 3. *Habetis in coelo Dominum.* Ne igitur pugnent inter se scripturae, dicendum est Christum ascendisse supra omnes coelos, nempe hosce spectabiles, suo corpore: ascendisse autem in Coelum, quod supra hosce visibiles & mobiles coelos positum est, quod vocare solemus coelum beatorum, plenum gloria & majestate. Qua de re aliàs. Atque haec de primo membro hujus 10. versus.

De altero ait, *ut impleret omnia* ἵνα πληρώσῃ τὰ πάντα. Interpretes non eodem modo exponunt vel verbum πληρώσῃ vel nomen πάντα.

Scholia πληρῶσαι pro implere & occupare accipiunt, & τὰ πάντα pro omni locorum genere. Sunt autem tria locorum genera, juxta Apostoli partitionem, coelestia, terrestria, & inferna. 1. Aiunt ergo, cùm Christus fuerit praesentia suae humilitatis in terrestribus locis, & deinde in locis infernis, nimirum in sepulchro suo corpore, in inferno autem sua Anima: voluisse ascendere etiam supra coelos, ut etiam illa loca praesentia suae humanitatis impleret: atque ita omnia loca simul, sed unum post alterum occuparet.

2. Alii verbum πληρῶσαι accipiunt pro complere & perficere, quo sensu etiam

Matth.

Matt. 5. *Non veni solvere legem,* sed πληρῶσαι adimplere, id est, servare & perficere. Illud τὰ πάντα accipiunt pro omnibus, quae de ipso scripta erant: fuerat autem etiam hoc praedictum, ut ascenderet in altum, sicut ex Psalmo citavit locum.

3. Alii τὰ πάντα accipiunt pro omnibus Electis, in omnibus terrae locis, & non solùm in Judaea de gentibus; & loqui Apostolum de repletione donorum & Spiritus Sancti, de quibus sermo est: ut sit sensus, Ascendit supra omnes coelos, ut inde omnia Electorum corda, ubicunque locorum sint, impleret Spiritu suo Sancto, & donis ejus. Quo pertinet quod Joh. 7. ait, *Spiritus nondum erat datus, quia Christus nondum fuerat glorificatus:* significans fuisse necessariam hanc Christi ascensionem & glorificationem, ut è coelo mitteretur Spiritus Sanctus super omnes fideles. Quò etiam illud Christi ad Apostolos, *Nisi Ego abiero paracletus non veniet ad vos.* Atque hunc esse genuinum sensum inde apparet, quia versatur Apostolus in explicatione dicti Prophetici, qui primo dixit, Christum ascensurum in Altum, deinde dona daturum hominibus. Ait igitur Apostolus, Ascendisse supra omnes coelos, id est, in hoc Altum, ut inde omnia, *id est,* omnes Electos & homines pios impleret iis, *scilicet*, donis, quae acceperat à Patre in Adam, *id est*, própter homines, ut ea illis distribuat. Quò pertinet, quod statim pòst incipit explicare, haec disserens de Ministerio, & dicens, *Dedit igitur alios Apostolos, &c.*

Caeterum mihi non displicet illa quoque interpretatio, quae τὰ πάντα interpretatur omnia Christi officia: & πληρῶσαι, pro perficere. Duo enim (ut suprà dixi) officiorum genera injuncta fuerunt à Patre Christo perficienda: primum continebat omnia, quae in terris pro nostra redemtione perficienda erant, ut pati, mori, sepeliri. Ubi haec perfecit, ait Apostolus, eum ascendisse, ut (reliqua etiam) omnia impleret, in coelo, *scilicet*, & è coelo: inter quae etiam erat hoc de quo immediatè loquitur. Apostolus, de donis, *scilicet*, è coelo dandis & distribuendis hominibus in Ecclesia. Et eò magis jam haec interpretatio placet, quia complectitur etiam superiorem, de effundendo suo Spiritu, donísque Spiritus Sancti super omnem carnem: sed illa superior non complectitur hanc: certè erant etiam multa alia Christo implenda in coelo, & è coelo, ut supra declaratum est. Ergo, quia latius patet haec postrema, eam amplector.

REPETITIO PERBREVIS EORUM QUAE

dicta sunt ab initio cap. 4. huc usque, hoc est usque ad vers. 11.

Summa eorum omnium, quae hactenus dicta sunt, haec est. Tradita summa doctrinae de fide tribus prioribus capitibus: Apostolus his aliis tribus posterioribus explicat doctrinam de moribus, praesertim de caritate in proximum, & nostri mortificatione. At caput hoc quartum in tres partes secuimus: quarum prima continetur sex prioribus versibus. Secunda decem aliis, nempe á 7. usque ad 17. Tertia reliquis ad finem usque capitis. In prima priori loco generalem praemittit adhortationem de vita tali instituenda, quae veros Dei filios deceat, vers. 1. Secundo loco, à genere ad species descendens, ad varias

virtutes

virtutes hortatur, filiis Dei ad colendam inter se concordiam & caritatem & ad conservandam unitatem Ecclesiastici corporis cumprimis necessarias: quae sunt ταπεινοφροσύνη, humilitas: πραότης, mansuetudo: μακροθυμία, tarditas ad iram, seu animi lenitas: & ἀνοχὴ, tolerantia, sed quae fit ex caritate, v. 2. Tertio loco, id quod praecipuum caput est, hortatur ad concordiam consensionémque, cùm in aliis rebus, tum maximè in doctrina, sicut liquet vers. 14. 15. eóque ad unitatem Ecclesiastici corporis colendam & conservandam, id quod fit vinculo pacis atque concordiae, vers. 3. Quarto loco argumenta subjicit septem ab unitate earum rerum, quae in Ecclesia praecipuae sunt deductae, quibus tum exstimulat nos ad unitatem hanc conservandam, tum etiam docet, quibusnam potissimùm in rebus unitas Ecclesiastica consistat, & hoc vers. 4. 5. 6. dicendo, *unum est corpus*, *unus spiritus*. Haec est summa prioris partis, in qua praeter alias doctrinas primùm disseruimus de studio sanctae vitae bonorùmque operum: atque ex contextu Apostoli octo rationes collegimus, quibus ad hoc studium excitari debemus & exstimulari: quibus adjecimus nonam à quintuplici usu bonorum operum ex variis locis sacrarum literarum collecto. Adjecimus & decimam rationem petitam ex Epistola ad Coloss. cap. 1., ubi ad idem studium hortans hanc addit rationem, ut per omnia placeatis ei (Deo) in omni opere bono fructificantes. Ubi octo attulimus causas, cur bona opera nostra placeant Deo. Ergo si nulla alia esset causa, cur incumbendum sit in studium bonorum operum, haec una deberet satis esse: quia, *scilicet*, placent Deo, ideò studendum ut in illis ambulemus. Haec fuit prima doctrina, ex 1. vers. collecta.

Deinde diximus ex vers. 2. de illis quatuor Virtutibus, déque illarum contrariis vitiis: primùm, quàm illae deceant filios Dei, eóque dignae sint vocatione nostra. Secundò, de illarum ordine, prout recitantur ab Apostolo: & quomodo humilitas fundamentum sit aliarum insequentium. Tertiò, de singulis diximus quid sint, quae illarum causae, quae proprietates, & quae effecta, & opposita vitia.

Praeterea ex vers. 3. doctrinas has collegimus. Primam, de studio servandae unitatis Ecclesiasticae: hoc propriè convenire sanctis: quippe qui sunt de eodem corpore, in illud insiti per gratiam, virtute Spiritus Sancti: Quando igitur facti sumus omnes concorpores sub eodem capite Christo, studendum, ut unitas haec conservetur.

Altera doctrina fuit de modo, quo unitas haec conservetur: per vinculum *(inquit Apostolus)* pacis. De qua pace diximus, 1. de ejus Etymo apud Hebraeos, Graecos & Latinos, & quàm meritò vocata sit vinculum ab Apostolo, quia ab εἴρω est εἰρήνη. 2. Quid sit, 3. Quotuplex: Prima fidei cum Deo: secunda conscientiae nobiscum: tertia caritatis cum proximo. 4. de ejus effectis. Haec omnia in prima parte.

Nunc versamur in secunda parte: à ver. 7. usque ad 17. Novum argumentum ab Apostolo afferri diximus & explicari, quo fideles excitet ad studium conservandae unitatis Ecclesiasticae per vinculum pacis: & est octavum. Est autem argumentum ab iis, quae in singulis fidelibus diversa sunt dona: qúod licet sint diversa, ab uno tamen & eodem sunt autore: & ad unum eundémque finem tendunt. Autor est Christus: finis est corporis Christi coagmentatio &

ex

exaedificatio. Diversitate igitur donorum non impediri, quin studendum sit unitati Ecclesiasticae: imò potiùs hinc magis ac magis ad istud studium nos exstimulari debere, quemadmodum & varia membra in corpore magis ad conservandam unitatem corporis faciunt, quàm ad ejus dissolutionem. Argumentum hoc primo proposuit in genere, dicendo unicuique nostrum datam esse gratiam seu varia dona *(à Christo)* secundum mensuram donationis ipsius Christi: quibus verbis significavit diversa quidem esse dona, sed tamen autorem esse eundem, Christum, *scilicet*, & eundem etiam finem, quia dat cuiqne secundum mensuram, ac prout cujusque officio in eodem corpore convenit, ad conservationem totius corporis. Et quidem de autore multa dixit, de ipsius, *scilicet*, humiliatione, & rursus de ejusdem exaltatione, quibus in summa docere voluit, Christum ideò & descendisse de coelo, & rursus in coelum ascendisse, indéque dona hominibus diversa dedisse & dare, ut hoc Ecclesiae corpus colligeret in unum, & ejus collecti unitatem conservaret atque conservet. Quò spectant ver. 8. 9. 10. Haec est summa praecedentis contextus.

CONTINUATIO CONTEXTUS

Apostolici.

V. II. *Et idem dedit hos quidem Apostolos. &c.*

Quod in genere dixerat de uno eodémque diversorum donorum autore Christo, qui, sicut in unum eundémque finem, salutem, *scilicet*, Ecclesiae, varia praestitit officia, sic etiam in eundem finem varia dedit dátque hominibus dona; illud nunc in donis ad ministerium verbi pertinentibus explicat. Docet enim Christum varios quidem Ministrorum ordines in Ecclesia constituisse, eósque variis donis secundùm cujusque vocationem ornasse: sed ad unum tamen eundémque finem, *hoc est*, ad Ecclesiae exaedificationem, omnes ordinasse. Atque sicut supra amplificavit circumstantiam de uno eodémque autore diversorum donorum, sic nunc amplificat alteram, quae est de uno eodémque fine, ad quem diversa illa dona fuerunt ordinata. Quorsum verò haec? Ut tandem inde concludat, cùm simus varia membra ejusdem corporis, variísque donata officiis & charismatibus propter salutem totius corporis: debere nos in studium hujus unius corporis Ecclesiastici conservandi incumbere. Haec est summa, & hic est scopus Apostoli in hoc contextu. Jam ἀνάλυσις consideretur.

Primò, Varios ordines Ecclesiastici Ministerii, partim temporarios partim perpetuos, à Christo institutos commemorat: & hoc vers. 11.

Deinde, harum omnium diversarum functionum Ecclesiasticarum unum & eundem finem esse ostendit, nempe ut omnes sancti, *id est*, Electi ita per opus Ministerii Ecclesiastici Christo capiti adglutinentur & in unum coalescant, ut ex omnibus una exaedificetur Ecclesia, *id est*, unum constituatur corpus mysticum Christi, quod est Ecclesia: Et id vers. 12. *Tertiò*, docet quamdiu velit Christus usum hujus Ministerii in Ecclesia perdurare, nempe in finem usque Mundi, donec omnes evadamus in unitatem fidei, *hoc est,* usque ad illud tem-

pus, quo omnes carne exuti, & plenè inter nos consentientes, plenáque filii Dei cognitione donati, perfecti fiemus viri spiritualiter, sicut & Christus ad perfectam pervenit aetatem & staturam corporaliter. Et hoc tradit vers. 13. *Quartò*, rationem affert, cur usque ad finem Mundi necessarius nobis sit perpetuus Ministerii verbi usus: ne, *scilicet*, maneamus pueri in cognitione doctrinae coelestis, & ita facilè ab impostoribus & haereticis seducamur: sed potius, ut per Evangelii Ministerium, ab imperfecta cognitione ad perfectam, ceu a pueritia ad adolescentiam pervenientes, adolescamus per veritatem, *id est*, per veram doctrinam ac fidem, pérque caritatem mutuam, in Christum, qui est caput totius hujus corporis: *id est*, ut magis ac magis incorporemur Christo, & ipse suo Spiritu adolescat in nobis, donec perfectus in nobis sit vir: & hoc vers. 14. & 15. *Quintò* simili corporis & capitis illustrat, quod dixit de usu Ministerii; nempe, quòd per veram veritatis cognitionem ac fidem, pérque veram caritatem, quam ex continua Evangelii praedicatione comparamus, adolescamus in Christum paulatim, donec in perfectum virum quisque evadat, v. 16.

Ex quo simili concludit quod proposuerat initio, fovendam, *scilicet*, esse unitatem corporis Ecclesiae per vinculum pacis; pacis, inquam, sicut cum Deo & Christo per fidem, sic cum proximo per caritatem. Ratio, quia, sicut nisi quis maneat in Christo per fidem vivificari ab ipso non potest & incrementum capere: sic nisi quis unitatem colat cum aliis membris, sed se ab illis separet, in Christo adolescere non poterit, imò neque consistere. Ita enim se habet hoc corpus, ut nisi omnia membra maneant inter se suo capiti congruenter coagmentata, neque etiam à Christo capite vitam & incrementum capere queant, neque alterum alteri prodesse possit. Unitas igitur corporis Ecclesiastici colenda. Haec est summa & ἀνάλυσις horum reliquorum versuum 11. 12. 13. 14. 15. 16.

V. II. Et idem dedit hos quidem Apostolos, hos autem Prophetas, hos autem Evangelistas, hos verò Pastores & Doctores.

Syriacus. *Et ipse dedit: sunt quos Apostolos, & sunt quos Prophetas, & sunt quos Evangelistas, & sunt quos Doctores*, scilicet, *dedit*, nempe Ecclesiae.

Continuatio hujus contextus cum superioribus manifesta est. Dixerat Apostolus vers. 7 varia quidem esse charismata in Ecclesia, sed unum esse eundémque distributorem Christum, & unum eundémque esse omnium horum charismatum finem: Ecclesiae, *videlicet*, id est, totius corporis Christi salutem & conservationem. Ergo tantùm abesse, ut haec dona debeamus usurpare ad dissolutionem unitatis Ecclesiasticae, ut potiùs iis utendum sit ad eandem unitatem conservandam. Ratio, quia in hunc finem idem autor ea distribuit. Ad id, quod de donorum autore dixerat, confirmandum, adduxit dictum ex Psal. 68. *Ascendisti in altum, captivam duxisti captivitatem, accepisti dona* (scilicet distribuenda) *in homines*. Hoc idem confirmavit ab officio ipsius Christi, & à fine ascensionis ipsius in coelum, dicendo, *Qui descendit ille ipse est, qui ascendit supra omnes coelos*. Sicut enim descendit in inferiores partes terrae *(ut nostra scilicet peccata sua morte expiaret, mortem destrueret, regnum Dia-*

Diaboli everteret, & nos ex ejus manibus liberaret) sic contrà ascendit supra omnes coelos, ut omnia impleret, *id est*, ut inde, quaecunque ad salutem Ecclesiae necessaria erant, hominibus communicaret, atque ita omnia sua impleret, quae acceperat à Patre, officia. Impletis enim, quae perficienda erant, in terris, restabat ut impleret ea, quae perficienda erant in coelis & è coelis. Hanc igitur ob causam ascendit in coelum idem ille qui descenderat, ut impleret omnia sua, *scilicet*, officia, inter quae erat hoc etiam non postremum, nempe ut misso Spiritu Sancto impleret omnia Electorum ubique terrarum corda, & omnia terrarum loca impleret amplitudine Regni sui per Ministerium Apostolorum. Hoc igitur est, quod nunc explicat Apostolus. Enumerat enim quaedam praecipua dona, quae ad colligendam servandámque Ecclesiam necessaria prorsus erant: & simul explicat finem, propter quem dona haec singularia tradita sunt Ecclesiae à Christo è coelis. Dona haec fuerunt, Apostoli, Prophetae, Evangelistae, Pastores, Doctores: non simpliciter quatenus sunt electi in Apostolos & Pastores, sed quatenus illos è coelis replevit Spiritu Sancto & variis Spiritus Sancti donis ad Ministerium feliciter obeundum necessariis: & ita illos non solum elegit & vocavit, & constituit Apostolos, sed reipsa fecit tales, quales esse oportebat, Apostolos, Prophetas, &c. Hoc explicat versu hoc II.

Finem postea explicabit versu insequenti. Ait igitur, *Et ipse dedit &c.* Verba sunt perspicua, si quaedam explicentur dubitationes in contextu.

I. Prima proponitur à Scholiis, cur Apostolus hìc dicat, καὶ αὐτός *(Christus)* dedit, cum alibi 1. Cor. 12 Spiritui Sancto hoc attribuat, dicendo: *Omnia autem haec operatur unus atque idem Spiritus:* alibi verò hoc adscribat Deo Patri, 1. Cor. 12. dicendo: *Et alios quidem constituit Deus in Ecclesia primùm Apostolos, deinde Prophetas.* Respondeo 1. Significare voluit Christum esse verum Deum. Dei enim est solius dona haec è coelo communicare, & dare Apostolos, ut ait 1. Cor. 12. ver. 18. Quò pertinet, quod etiam suprà citavit ex Ps. 68. & de Christo interpretatus est, quod de Jehova ibi praedicatur, *Ascendisti in altum &c.* 2. Voluit etiam indicare opera haec externa communia esse tribus illis personis: & hanc afferunt causam Scholia, dicendo, Κοινὰ γάρ τὰ πάντα τῇ ἁγίᾳ καὶ μακαρίᾳ τριάδι. Et certum est Patrem omnia agere in nobis per Filium, communicato suo Spiritu, sicut Sol etiam per radios, communicato suo calore, omnia inferiora vivificat. Hinc ad alterum liquet responsio.

Quaest. II. Cur 1. Cor. 12. v. 18. loquens de eadem re det Patri verbum: ἔθετο, dicendo, καὶ μὲν ἔθετο ὁ θεὸς ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ alios Apostolos, &c. Hìc autem det verbum ἔδωκε, dicendo, Dedit alios, &c. Respondeo: Significat Patrem fontem & primum autorem esse omnium horum donorum: ideò dicitur ipse constituisse: Filium autem esse distributorem: Ideò ait hunc dedisse haec, *scilicet*, dona: De Filio n. loquitur tanquam de Mediatore. Quaecunque igitur Christus donat, ex Patris constitutione donat.

Quaest. III. Cur Christo attribuit, quòd, cum ascendisset in coelum, dederit Ecclesiae Apostolos? Annon, antequam pateretur, Apostolos vocarat ad hoc officium, constitueråtque Apostolos, & post resurrectionem dedit eis Spiritum & jussit ire in orbem terrarum, & dixit, *sicut misit me Pater, & Ego mitto vos?*

vos? Item, *Euntes igitur in universum terrarum orbem praedicate &c.* Respondeo: Vera sunt haec: sed tribus de causis dicitur Christus Apostolos è coelis dedisse Ecclesiae. *Prima*, respectu perfectionis & plenitudinis donorum ad Apostolatum necessariorum, quae tum primum acceperunt à Christo, cum sederet ad dexteram Patris. Licet enim ante passionem Electi fuerint & vocati ad Apostolatum, licet etiam fuerint in doctrina instituti, donáque multa acceperint, licet etiam post resurrectionem aucti fuerint & cognitione veritatis & donis Spiritus Sancti; plenitudinem tamen Spiritus & virtutis coelestis, ad functionem Apostolatus feliciter obeundam necessariae, nondum acceperant, cùm Christus nondum ad Patrem ascendisset: qua de re Johan. 7. *Spiritus Sanctus nondum erat* (datus) *quia Jesus nondum fuerat glorificatus*: Et Joan. 16. *Nisi ego abiero*, *Paracletus non veniet ad vos.* Item Actor. 1. *Jussit eos exspectare Hierosolymis, donec acciperent virtutem Spiritus Sancti, & induerentur virtute ex alto.* Quia igitur tunc primum perfectionem Apostolatus sui acceperunt, donati plenitudine donorum Spiritus Sancti: idcircò ait Apostolus Christum è coelo dedisse Apostolos, perfectos, *scilicet*, Apostolos. Nos quoque jam sumus regeniti per Spiritum Sanctum; quia tamen nondum est perfecta regeneratio, sed perficietur in fine seculi: Ideò dies ille ultimus vocatur dies regenerationis.

2. Altera causa est, quia tunc primùm fuerunt illa visibili Spiritus Sancti è coelis acceptione, ceu solenni quadam inauguratione coram toto populo Israël, in Apostolatu confirmati & publicati Apostoli Christi. Respectu igitur hujus solennis & publicae inaugurationis è coelo dicuntur tunc fuisse dati à Christo Apostoli. David etiam fuerat unctus in Regem populi Israëlis, primum domi suae in medio fratrum suorum, 1. Sam. 16. Deinde in Hebron à tribu Juda, 2. Sam. 2.; quia tamen nondum coram toto Israële fuerat unctus, idcircò tunc primum appellatus fuit Rex Israël, cum à toto populo solenni inauguratione fuit coram omnibus tribubus unctus in Regem, 2. Sam. 5. Ergo licet Apostoli & ante passionem fuerint creati Apostoli, & post resurrectionem confirmati, tum primum tamen dicitur Christus dedisse Apostolos Ecclesiae suae, cum eos communicata è coelis Spiritus Sancti virtute, visibili signo toti populo Israël declaravit suos esse Apostolos, Ecclesiae ad salutem destinatos.

3. Accedit *tertia*, quae haec est: Antea quidem fuerant vocati & creati Apostoli, sed ante passionem in sola Ecclesia Israël officio Apostolatus functi sunt: post resurrectionem etiam acceperunt quidem mandatum eundi etiam ad Gentes, & per totum orbem terrarum Evangelium omni creaturae praedicandi, Matth. 28. Sed interim non nisi post acceptum è coelo à Christo Spiritum Sanctum re ipsa iverunt ad Gentes, & Ecclesiam collegerunt. Ecclesia autem Christi constare debebat cum ex Judaeis, tum maximè ex Gentibus. Hoc igitur est, quod ait, Dedit (*scilicet re ipsa*) Apostolos (*nempe toti Ecclesiae suae*, ut postea explicatur & liquet 1. *Cor.* 12.)

Jusserat enim Christus illos exspectare Hierosolymis, donec virtute induerentur ex alto. Nunc tenemus sensum hujus loci, quomodo, *scilicet*, tum primùm dicatur Christus dedisse Apostolos, cum eos è coelo replevit Spiritu Sancto, & solenni inauguratione publicatos ac confirmatos re ipsa, tum ad Judaeos tum ad Gentes, ablegavit, ut Evangelii praedicatione ex utroque populo Ecclesiam

sibi

sibi colligerent. De Matthia & Paulo constat à Christo è coelo vocatos fuisse ad Apostolatum. Atque haec ad quaestionem de Apostolis. De aliis, Prophetis *scilicet*, & Evangelistis, quaestio haec non proponitur, quia in illis non habet locum.

Quaest. IV. Cur Christus distulit hanc donorum communicationem usque ad illud tempus, quo esset suò etiam corpore in coelo, cum etiam antea hoc potuerit facere? Jam enim ex parte Spiritum suum communicaverat Apostolis. Respondeo: Responsio quidem immediata est, hoc ideo illum fecisse, quia sic praedictum fuerat per Prophetas, ut Paulus etiam supra indicavit ex Psalm. 68. Ascendisti in altum &c.; oportuit autem impleri scripturas. Sed quia hoc Patris decretum non caruit sapientia, ideò alia quoque ratio adferri potest & debet. Dico igitur voluisse Christum hac ratione declarare, se in coelum verè ascendisse sederéque ad dexteram Patris, & inde se Ecclesiam regere. Quomodo hoc ex illo consequitur? Quia, sicut promiserat se facturum, è coelo misit Spiritum Sanctum visibilibus signis, & toti Israëli conspicuis. Quomodo potuit clariùs declarare totíque Israëli patefacere se verè resurrexisse & ascendisse in coelum, quam illa visibili donorum Spiritus Sancti è coelo distributione? Atque hoc est, quod Petrus Actor. 2. à Spiritu Sancto visibiliter effuso è coelis à Christo super Apostolos & alios fideles probat Christi resurrectionem & sessionem ad dexteram Patris. Accedit alia causa: voluit hac ratione declarare absentia sui corporis carnali minimè vel κοινωνίαν cum ipso, vel communicationem sui Spiritus aliorumque bonorum impediri, imò magis promoveri: proinde copiosiorem Spiritum acceperunt Apostoli à Christo absente in coelis, quam ante acceperant ab eodem praesente in terris. Quò spectat illud Christi *Joan.* 17. Expedit vobis, ut ego vadam. Et ratio est, quia quò magis distat à nobis Christus suo corpore in sua coelesti majestate: eo altiùs & efficacius in eum sublevantur corda nostra, & capaciora fiunt spiritualis cum illo unionis donorúmque illius. Quò pertinet, quod jussit Apostolos exspectare Hierosolymis in precibus & officiis dilectionis, donec induerentur virtute ex alto. Hae sunt praecipuae cuasae, quamobrem Deus voluerit Filium suum Jesum Christum prius ascendere in coelum, quam tanta Spiritus Sancti & donorum ejus copia replere Apostolos & alios fideles. Itaque meritò dicit Apostolus Christum è coelo dedisse dona hominibus: inter quae inprimis enumerat verbi praecipua ministeria, dicendo, eum dedisse Apostolos, Prophetas. Ita tenemus plenam horum verborum intelligentiam: Et ipse dedit (scilicet è coelo ipsi Ecclesiae) alios Apostolos, &c.

Restat ut videamus de iis Ministrorum ordinibus, quos tanquam praecipua dona Christus dedit Ecclesiae.

De Ministrorum Ecclesiae Christianae ordinibus: nempe Apostolis, Prophetis, Evangelistis, Pastoribus, Doctoribus.

De *Apostolis* non est cur multa dicamus, cum de iis initio hujus Epistolae satis dixerimus: neque etiam de Prophetis, quandoquidem aliàs de iis, & à nobis & ab aliis, copiosè scriptum fuit. Breviter ergo perstringam omnia.

Primùm, cum duplex sit vocatio, una immediata a Deo, altera per homines: *Apostoli* homines fuerunt immediatè à Christo ad hanc functionem à Mun-

Mundo electi & vocati, non autem per homines. Liquet de Matthia, Actor. 1. De Paulo, Act. 9 & 22. Galat. 1 & alibi. De reliquis testantur Evangelistae. 2. Fuerunt etiam immediatè ab ipso Christo Evangelium coelestémque doctrinam edocti, & ad illud praedicandum missi. Liquet hoc ex superioribus locis, ubi de illorum vocatione agitur. Ideò etiam Paulus ait, se Evangelium suum non accepisse ab hominibus, sed à Christo per revelationem, Galat. 13. Fuerunt virtute edendi miracula immediatè à Christo donati, quibus miraculis tum suam confirmarent doctrinam, tum declararent, se fuisse à Christo missos ad hoc faciendum officium, quod faciebant. Matth. 10. Luc. 9. 4. Prima ac praecipua fuit illorum in Ecclesia autoritas non temporalis aut politica, sed Spiritualis & Ecclesiastica: ideò primò etiam loco fuerunt à Christo electi, & ab Apostolo in hoc capite omnibus aliis praeponuntur. 5. Fuit autem illorum officium, primum Ecclesias ubiqne terrarum erigere & aedificare verbo, sacramentis, disciplina. Ideò Paulus 1. Cor. 3. *Ego* (inquit) *plantavi:* & Christus Matth. 16, ait, *Et super hanc Petram* (id est, confessionem de me factam) *aedificabo Ecclesiam meam:* nempe per tuum, ô Petre, & per aliorum Apostolorum ministerium. Deinde eorum fuit, in Ecclesiis jam aedificatis instituere Episcopos, Presbyteros, Diaconos, cum approbatione tamen & consensu Ecclesiarum: qua de re Actor. 6 & 14. Tit. 1. Fuere autem vocati Apostoli à missione: quia ii soli à Christo immediatè fuerunt cum omni autoritate in totum terrarum orbem ad praedicandum Evangelium missi. Haec est brevis descriptio Apostolatus & Apostolorum, quorum primus locus fuit in Ecclesia.

Prophetae duplicis fuerunt generis: alii ad Vetus, alii ad Novum Testamentum pertinuerunt. De illis prioribus non loquitur hîc Apostolus, sed de secundi generis. Fuerunt igitur Prophetae homines, quos *primo* Deus immediatè per suum Spiritum, non autem per homines, in Ecclesia excitabat & ad officium vocabat. Et qui *secundo* non humana opera, sed per Spiritus Sancti afflatum, singulari sapientia, rerum divinarum cognitione praediti erant, quemadmodum & de Apostolis dictum est. Ita & illorum vocatio & illorum doctrina ac sapientia non erat ab hominibus, sed immediatè à Deo per Spiritus Sancti afflatum. *Tertiò*, Hos praeterea per eundem suum Spiritum docebat Deus de arcanis suis consiliis atque judiciis, tum praesentibus tum futuris, quae volebat per horum ministerium tam ad confirmandam Electorum fidem, quàm ad reddendos impios inexcusabiles in Ecclesia praedici ac revelari; quemadmodum legimus de Agabo, qui & famem praedixit illam totius Palestinae Actor. II. & vincula Pauli, Actor. 21. *Quartò* Hos praeterea donabat Deus mira interpretandi scripturas & vaticinia veterum Prophetarum explicandi & ad sua tempora accommodandi facultate & dexteritate. Unde & verbum Prophetizandi apud Paulum pro interpretari scripturas, & nomen Prophetae pro interprete scripturaram nonnunquam accipitur, ut 1. Cor. 14. Atque his 4 conditionibus similes fuerunt Apostolis Prophetae. Nam Apostoli & Spiritu Prophetico & dono interpretandi scripturas maximè praediti fuerunt: sed autoritate fuerunt inferiores Apostolis: non enim habebant Apostolatum, sicut Apostoli praeter Apostolatum habebant etiam Prophetiam. *Quinto,* Horum officium fuit, non solum futura praedicere & scripturas interpretari: sed

Ecclesias

Ecclesias etiam ab Apostolis plantatas rigare, & institutas administrare: ídque non uno tantum in loco, sed modo hìc modo illic, prout Apostoli illis mandabant. Erant enim Apostolis subjecti & coadjutores. Denominatio tamen facta fuit à peculiari illorum dono, quod fuit futura praevidere & praedicere. De his Prophetis legimus Actor. 13. qui erant Antiochiae, & Rom. 12. 1. Corinth. 12. 13. 14. Et Christus dixit Judaeis, *Ecce Ego mitto ad vos Prophetas &c.* Matt. 23.

Evangelistae ab Evangelio fuerunt appellati, nempe vel praedicando, vel etiam scribendo. Duo igitur fuerunt genera Evangelistarum: quidam voce tantum praedicabant, non in aliquo certo semper loco, sicut Pastores & Doctores, sed modo in uno modo in alio, quemadmodum & Apostoli: comites enim erant Apostolorum, ut illos labore sublevarent. Talis fuit Timotheus, de quo 2. Tim. 4. *Opus fac Evangelistae*, inquit Paulus. Talis fuit & Titus, Sylvanus, Apollos, & alii; &c. alii erant, qui non solum voce praedicabant Evangelium, sed etiam historias & doctrinam Evangelicam literis committebant: quales fuerunt Marcus & Lucas, comites Apostolici; Matthaeus & Johannes fuerunt non solùm Apostoli, sed etiam Evangelistae. Unde apparet, Apostolis convenire nomen non solùm Apostolorum, quia immediatè à Christo ipsi soli missi fuerunt ad praedicandum Evangelium ubique terrarum: sed etiam nomen Prophetarum & Evangelistarum.

Caeterum Evangelistae non administrabant Ecclesias nunc has nunc illas, sicut Prophetae, sed tantùm fuerunt Apostolorum comites. Ita in hoc etiam differebant à Prophetis. Sed neque fuerunt immediatè à Christo missi in totum terrarum orbem, sicut Apostoli; sed assumebantur ab Apostolis. Ideò hac etiam in parte differebant ab Apostolis.

Horum igitur omnium Evangelistarum officium fuit praedicare Evangelium unà cum Apostolis: quorundam etiam fuit conscribere historias Evangelicas & Apostolicas.

Hi tres ordines ita temporarii fuerunt, ut nulli alii Apostoli exspectandi sint: Prophetas verò & Evangelistas dederit Dominus etiam post prima illa tempora, cum ei placuit.

Restant ordinarii ac perpetui, Pastores, *scilicet*, & Doctores. Sunt qui velint utroque nomine eosdem significari, ut Scholia & Hieronymus, quibus non subscribo. Quorsum enim in tam paucis verbis Apostolus duobus nominibus ad eandem rem explicandam usus est?

Pastores igitur cum Ambrosio & aliis distinguo à Doctoribus. Omnis pastor est Doctor: sed non contra. Pastores itaque sunt, qui alicujus certi gregis Dominici curam gerunt: quos 1. Thess. 5. vocat Paulus προϊσταμένους, & ad Hebr. 13. ἡγουμένους: Et in Actis Episcopi vocantur Actor. 20, Philip. 1. & alibi. Nam sic etiam apud prophanos scriptores vocati fuerunt Reges & omnes populorum gubernatores ποιμένες λαῶν, pastores populorum, *id est*, rectores. Pastorum igitur officium est non solùm docere, sed etiam arguere vitia, consolari afflictas conscientias, administrare sacramenta & disciplinam, denique totius Ecclesiae curam suscipere.

Doctores autem fuerunt & sunt illi, qui vocati tantùm sunt ad docendum

quae

quae sit vera Christianae religionis doctrina, & ad refellendum haereticos. Hos alibi vocat Paulus κατεχίστας. Et talis fuit in veteri Ecclesia Origenes in Schola Alexandrina, & Clemens, & alii. Horum officium erat & est vera fidei fundamenta tradere, sacras literas simpliciter explicare, doctrinas ex illis eruere, & ad summam quid credendum quomodóve fidendum sit docere, & Scholas christianas regere. Haec est vera & simplex horum quinque ministerii Ecclesiastici generum explicatio. Ita tenemus hujus versus genuinum sensum: quomodo & quaenam dona dederit Christus è coelo hominibus, *hoc est*, Apostolos, Prophetas, Evangelistas, &c.

Sequitur jam de fine & usu, in quem dederit.

12. *Ad instaurationem sanctorum* (πρὸς τὸν καταρτισμὸν) *in opus ministerii, in aedificationem corporis Christi.*

Syriac. *Ad perfectionem sanctorum, ad opus Ministerii, ad aedificium Christi.*

Illud πρὸς τὸν καταρτισμὸν variè vertunt Interpretes. Alii, *ad comsummationem seu perfectionem*, ut etiam Syriacus. Alii, *ad instaurationem*. Alii, *ad coagmentationem*. Ac variam quidem habet significationem hoc nomen: illa tamen mihi probatur, qua significatur membrorum luxatorum in suum locum restitutio; de qua re Medici scribunt τὸν καταρτισμὸν esse μεταγώγην reductionem τῶν ἰστῶν ἐκ τοῦ παρὰ φύσιν τόπου εἰς τὸν κατὰ φύσιν. Loquitur enim hîc de corpore Ecclesiae, ut mox sequitur, quod constat ex electis, tanquam membris: qui cùm per peccatum essent ceu membra luxata à capite Christo & à se invicem, per Ministerium Evangelii restituuntur in suum locum. Coagmentantur enim cum Christo per fidem, & inter se per caritatem, quorum utrumque habetur per Ministerium verbi. Et Ministri sunt ceu Medici & Chirurgi ad hoc destinati. Hîc igitur Apostolus finem & usum Ministerii explicat: & simul etiam officium, ad quod vocantur Ministri, indicat. Ad quidnam vocantur, & ad quid faciendum dati à Christo sunt Apostoli, Prophetae, Evangelistae, &c.

1. Non ad otiandum, sed ad operandum II. Non ad dominandum, nec ad imperandum in Ecclesia, sed ad serviendum, opúsque Ministri, *id est*, servi faciendum. Hoc significat cùm ait, εἰς ἔργον διακονίας. Nomen τοῦ ἔργου excludit otium: διακονίας autem dominium. Sic 1. Tim 3. vocat Episcopatum ἔργον, opus, dicendo: Si quis Episcopatum desiderat, καλοῦ ἔργου ἐπιθυμεῖ. Ad Corinth. verò vocat se & alios Apostolos διακόνους modò Christi, modo Novi Testamenti. Dati igitur sunt Apostoli, Prophetae, Pastores, εἰς τὸ ἔργον τῆς διακονίας, ut sint Diaconi & serviant Ecclesiae.

Sed quis est *finis* totius hujus διακονίας? *Primus*, instauratio, eóque salus sanctorum, *id est*, Electorum: & *secundus*, totius corporis Ecclesiae exaedificatio. De primo ait, πρὸς τὸν καταρτίσμον τῶν ἁγιῶν. De altero ait τὴν οἰκοδομὴν τοῦ σῶματος τοῦ Χριστοῦ. In medio ponitur officium ministrorum, quod vocat ἔργον τῆς διακονίας, quia per hoc tum instauratio sanctorum tum aedificatio totius corporis Christi promovetur. Sic ergo dicere possumus, triplicem hîc usum à Paulo explicari, ad quem Christus vocavit, dedit dátque Ministros, Pastores, Doctores. Primus respicit singulos electos & sanctos, hoc est illorum instauratio. Dedit igitur Apostolus, &c. non ad perdendos aut luxandos sanctos, sed ad instaurandos Christo capiti, & inter se adglutinandos atque servandos.

Alter

Alter usus respicit ipsos Ministros, Pastores, Doctores; is est τὸ ἔργον διακονίας. Dedit igitur Apostolos & caeteros, non ad otiandum, sed ad laborandum opusque faciendum: non ad dominandum, sed ad serviendum, nempe tum singulis sanctis, tum toti Ecclesiae. Sed excluduntúrne ipsi è numero sanctorum, qui opus habent καταρτισμῷ; Nequaquam: sed sese mutuò instaurant, & alios servandò se quoque servant, 1. Tim. 4. *Tertius* usus totum corpus Ecclesiae concernit, *id est*, totius hujus corporis exaedificatio. Dedit igitur Apostolos, non ad evertendam, sed ad aedificandam Ecclesiam. Ita, respectu primi, docet Apostolos & reliquos Ministerii Ecclesiastici ordines esse medicos & chirurgos, quia illorum est luxata membra in suum reponere locum, & curare ut maneant tum cum capite conjuncta, unde vitam accipiant, tum inter se coagmentata, ut mutuò sibi inserviant, ad totius corporis conservationem. Respectu secundi usus docet eos esse operarios & servos, non autem vel otiosos ventres vel dominos esse debere. Respectu tertii usus docet eos esse architectos, quorum est aedificare: sicut etiam alibi Paulus vocat se architectum. Ad summam, nomine τοῦ ἔργου τῆς διακονίας Apostolus (*meo quidem judicio*) intellexit officium Ministrorum, complexúsque est omnes Ecclesiasticarum functionum actiones, quas Christus tribus verbis expressit, seu ad tria genera restrinxit, nempe ad praedicationem Evangelii, *Euntes praedicate Evangelium*: ad sacramentorum administrationem, dicendo, *Baptizantes eos*: & ad curandum, ut mandata Dei serventur, dicendo, *Docentes servate quaecunque mandavi vobis:* hoc autem fit docendo, praecepta explicando, peccantes arguendo, monendo, afflictos consolando, dejectos animos erigendo, & aliis actionibus multis. Omnium autem actionum Ministerii Ecclesiastici finis unus est proximus, singulorum sanctorum instauratio ac salus: alter est totius corporis Ecclesiae exaedificatio: atque hic finis pendet ex priore: quia sicut ex membris constat corpus, sic ex singulorum sanctorum instauratione perficitur totius Ecclesiae aedificatio. Semper igitur aedificatur Ecclesia, & non absolvetur hoc aedificium, nisi in fine Mundi, postquam omnes electi fuerint in unum collecti, ut sequitur in vers. 13. Accommodari ad haec Pauli verba possunt ea, quae traduntur in 1. Ethic. Aristotelis περὶ πράξεων καὶ ἔργων, seu de differentia finium, quòd alii sint tantum πράξεις, alii, praeter has, etiam τὰ ἔργα. Finis Ministerii Ecclesiastici non consistit in sola actione, *hoc est*, in docendo, praedicando, sacramenta administrando; sed hae actiones referuntur ad τὸ ἔργον, quod est tum singulorum sanctorum καταρτισμὸς, tum totius corporis Christi οἰκοδομή. Ad hos fines ordinatum est totum Ministerium Ecclesiasticum, & omnia dona atque charismata Spiritus Sancti, quae cuique dantur secundum mensuram donationis Christi. Omnia verò sunt perspicua, quae hîc tradidit Paulus: tantùm aliquid dicendum est de isto καταρτισμῷ sanctorum, ad quem ordinatum est Ministerium.

Hic καταρτισμὸς fit bifariam. *Primùm*, cùm Electi, qui avulsi erant à capite Christo, per fidem, qua donantur ad praedicationem Evangelii, denuò inseruntur Christo, & illi adglutinantur, eóque & per fidei confessionem in corpus Ecclesiae admittuntur, in vinculo caritatis & pacis coagmentantur cum aliis membris, *id est,* cum fratribus. *Secundo*, fit iste καταρτισμὸς, cum illi sancti, qui jam sunt in Ecclesia & cum Christo copulati, quotidianis Ministerii

 acti-

actionibus magis ac magis instaurantur, & tam cum Christo, quam cum fratribus perfectiùs coagmentantur: ac si peccent vel in fide, vel in caritate, atque ita vel à Christo aliquid deflectant haec membra, vel inter se laedantur, statim corriguntur & conciliantur, ac ceu manu chirurgi, *hoc est*, ministri in suum reponuntur locum, & ibi confirmantur & constabiliuntur. Hoc autem fit quotidie, quia quotidie peccamus, sempérque vel multum vel parum luxamur. Proinde quotidie etiam opus habemus instauratione, ut quisque tum cum capite Christo, tum cum singulis membris coagmentatus conservetur & incrementum in hac coagmentatione accipiat. Habet enim sua incrementa iste καταρτισμὸς in finem usque vitae in sanctis. Hoc est ergo quod subdit Apostolus:

V. 13. Μέχρι καταντήσωμεν, *Donec* (vel usque dum) *occurramus* (perveniamus) *omnes in unitatem fidei, & agnitionis Filii Dei, in virum perfectum, in mensuram plenitudinis Christi, id est, plenè adulti Christi.*

Syriac. *Donec fiamus omnes nos una res per fidem, & per agnitionem Filii Dei.* Et (fiamus) *unus homo perfectus in mensura staturae plenitudinis illius.*

Hoc versu explicat Apostolus, primum, quo usque Christus velit Ministerium verbi esse in Ecclesia? nempe usque dum omnes Electi simul in unum perfectè coalescant, totúmque corpus Christi mysticum perficiatur: id quod fieri non potest, nisi post consummationem seculi. Deinde simul etiam docet modum, quo omnes electi in unum coagmentantur: nempe per veram fidem, verámque cognitionem Filii Dei, à qua fide & cognitione dilectio separari non potest. Continenter igitur proficiendum & pergendum esse in fide & cognitione Christi, inque vera dilectione: donec tandem simul cum Christo perfectissimo unionis vinculo conjungamur in coelesti patria. Haec est summa. Ita clariùs explicat finem Ministerii, & quomodo ac quamdiu Ecclesia aedificetur.

Illud μέχρι καταντήσωμεν εἰς τὴν ἑνότητα Scholia sic interpretantur, ἕως ἂν οἱ πάντες μίαν πίστιν ἔχῶμεν, ἕκαστος καμνεῖ καὶ ἕκαστος διακονεῖ, ἑνότης γάρ πίστεως τὸ μὴ διαφωνεῖν περὶ τὰ δόγματα. τοῦτὸ γάρ ἐστι γνῶσις τοῦ υἱοῦ τοῦ Θεοῦ τὸ μὴ διαφωνεῖν περὶ αὐτοῦ Sed cum fide semper conjunctam fiduciam & dilectionem intellige.

Illud quoque, quod ait de Viro perfecto & de mensura aetatis plenitudinis Christi, referunt ad perfectam Christi cognitionem, quae certè non nisi post hanc vitam contingere nobis potest Ἄνδρα δέ τέλειον, inquiunt, καὶ μέτρον ἡλικίας, λέγει τὴν τελείαν τοῦ Χριστοῦ εὔνοιαν καὶ εἴδησιν. Item πλήρωμα Χριστοῦ φησὶ τὴν περὶ Χριστοῦ ὁλοτελῆ γνῶσιν καὶ πίστιν. Et apertè refellunt eorum interpretationem, qui haec Apostoli verba de corporali hominis mensura & carnali aetate intelligunt. Non defuerunt enim, qui haec Apostoli verba interpretati sint de resurrectione corporum, & duo inde collegerint dogmata. *Primum:* omnes resurrecturos in sexu masculino, etiam quae mortuae fuerunt foeminae: quia Apostolus ait, donec occurramus, non εἰς ἄνθρωπον, quod est communis generis, sed εἰς τὸν ἄνδρα in virum. Deinde resurrecturos omnes in eadem corporis magnitudine & aetate, in qua & Christus resurrexit. Quid ita? Quia ait Apostolus, *donec occurramus in virum perfectum.* Item, *in mensuram staturae plenitudinis Christi.* Quibus de rebus legatur Augustinus Tom 5. de Civitate Dei, lib. 22. cap. 15. 16. 17. 18.

18. Dogma primum de sexu vanum est. De altero, quòd omnia corpora sint ejusdem aetatis & staturae futura, ego non multùm contenderem: sed quod ex hoc loco hauriant, nihil ineptius. Nihil enim minùs cogitavit Apostolus cùm haec scriberet, quam haec, quae jam retulimus: ut meritò Scholia hanc interpretationem refutarint, & post etiam Augustinus & alii. Verus igitur sensus explicandus est, quem initio indicavimus, & quem Scholia paucis attingunt, quanquam non totum dicant, quod Apostolus voluit.

1. Ergo primùm exponit Apostolus, quousque constitutum sit in Ecclesia opus Ministerii; ait: Usque dum occurramus omnes in unitatem fidei, id est, Dedit Pastores, Doctores ad opùs Ministerii, & ita ad aedificandam Ecclesiam, usque dum omnes uniamur in eadem fide & cognitione Filii Dei; omnes, *inquam*, nos electi, & quicunque futuri sunt, perveniamus in unitatem fidei, *id est*, fiamus unum, per unum & eandem fidem & agnitionem Filii Dei. Hic est enim finis Ministerii. Hoc autem perfici non potest nisi postquam impletus fuerit numerus Electorum: id quod non nisi in fine seculi futurum est. Ergo Ministerium verbi, per quod sancti instaurantur & aedificatur corpus Christi, in finem usque seculi perdurare & continuari vult Christus. Hoc est primum, quod concludere vult Apostolus.

2. Docet per quid fiat haec omnium sanctorum, *id est*, Electorum in unum cum Christo corpus conjunctio: per unam & eandem fidem, pérque unam & eandem cognitionem Filii Dei: & hoc est, quod ait, Donec perveniamus omnes in unitatem fidei, id est, donec fiamus perfectè unum, (& ut Syriacus habet, *una res*) per fidem eandem, qua pariformiter credamus in Christum. Fides autem ex auditu est, auditus verò per verbum Dei, *scilicet*, praedicatum & administratum. Est igitur hic usus Ministerii in finem usque Mundi necessarius in Ecclesia. Conjungit autem fidem & cognitionem, sicut & *Joh.* 6. Et credidimus & cognovimus, quòd tu es Christus Filius ille Dei: quia vera fides non est absque cognitione. Haec autem fides & cognitio, de qua loquitur Apostolus, non est simplex notitia de Christo in mente, sed conjunctam habet fiduciam & dilectionem in corde; ac proinde & constantem confessionem atque studium obedientiae. Roman 10. Corde creditur ad justitiam, ore autem fit confessio ad salutem, Proinde non sine causa Apostolus non dixit εἰς ἑνότητα τῆς γνώσεως, sed τῆς ἐπιγνώσεως: ἐπίγνωσις est agnitio, qua Christum non solum novimus esse Deum, esse hominem, esse servatorem, sed etiam qua pro tali nostro servatore agnoscimus, amplectimur, profitemur: ac fiduciam in se habet haec agnitio, qua nos in illum recumbimus. Notandum praeterea, duplicem esse cognitionem Filii Dei, unam, quae ad praesens seculum attinet, alteram, quae ad futurum. Illa priore cognoscimus nunc ex parte & in aenigmate: altera videbimus eum sicuti est, & facie ad faciem. Et prior fidei est, altera per speciem: & ab illa pervenitur ad hanc: cessabit fides, ut est 1 Cor. 13. sed haec altera cognitio per speciem aeterna est: & illa prior incrementum habet: haec altera eadem semper manebit, quia perfectissima. De utraque autem loquitur Apostolus, cum ait, *Donec perveniamus omnes in unitatem cognitionis Filii Dei.* Et primò pervenient omnes electi in unitatem fidei, & cognitionis, quae habetur ex fide; & deinde in unitatem illius cognitionis

onis, quae futura est per speciem. Ideò primo dixit in unitatem fidei, deinde adjecit cognitionis unitatem. Et unitas quidem fidei in eo consistit, ut idem de Christo credamus & sensiamus ac confiteamur omnes, fiduciáque in eundem recumbamus omnes, quamvis in alio sit major, in alio minor: sed unitas illius futurae cognitionis aliquid amplius habebit: Una enim etiam erit, quia aequalis in omnibus sanctis. Omnes enim videbimus sicuti est, *Et erit Deus omnia in omnibus*. Si verò per fidem omnes fimus in hoc Mundo unum cum Christo: multò magis tunc erimus unum per illam perfectissimam cognitionem. Nunc ergo tenemus alterum, quod concludere voluit Apostolus, nempe quomodo fiamus unum omnes in Christo: per fidem, *scilicet*, & cognitionem Filii Dei.

3. Hoc etiam voluit docere, dum sumus in hoc Mundo viatores, fieri non posse, ut omnibus numeris perfecta sit unio nostri cum Christo, *id est*, perfectè simus renati, & facti unus homo cum Christo. Ratio, quia neque fides, & quae ex illa habetur cognitio, perfecta esse potest: ac proinde semper pergendum & proficiendum esse in cognitione Filii Dei per Ministerium verbi, ut magis etiam ac magis indies renascamur, ut fiamus unum cum ipso. Atque hoc est, quòd usus est hoc verbo μέχρι καταντήσωμεν.

Unio ergo & regeneratio haec incipit per fidem & agnitionem Filii Dei, & indies capit incrementum ad ministerium verbi & participationem Sacramentorum aliáque pietatis exercitia: sed in altero seculo perficietur, quando omnes Electi, tanquam membra cum Christo capite, erimus unus homo perfectus, & Deus erit omnia in omnibus. Hoc jam est, quod subdit,

In virum perfectum. De regeneratione loquitur, de qua cap. 2. *Ut duos conderet in unum novum hominem*. Sed ut exprimat se loqui de consummata, quae erit post mortem, subdit, *Ad mensuram aetatis plenitudinis Christi*, seu plenè adulti Christi; nempe tam diu futurum verbi Ministerium in Ecclesia, donec omnes occurramus & perveniamus non solum in unitatem fidei & cognitionis Filii Dei, sed & in virum perfectum, perfectum, *inquam*, omnibus numeris. Incrementum sanctorum in cognitione Christi, ac proinde in regeneratione & unione cum Christo, exprimit hac metaphora Apostolus.

Metaphora est à corpore naturali Christi, ad corpus ejusdem mysticum ducta, quod sumus nos, totáque Ecclesia, corpus illud naturale, sicut & nostrum diversos aetatis gradus habuit, eóque & diversa incrementa: habuit infantiam, pueritiam, adolescentiam, perfectam aetatem, eóque & secundum varios aetatis gradus diversae etiam fuit quantitatis. *Crescebat* (inquit Lucas) *puer sapientia* (quoad animam) *& aetate* (quoad ipsum etiam corpus) *coram Deo & hominibus:* & cùm mortuus est Christus perfectae mensurae, qua grandior fieri non poterat, habuit corpus: proinde vocat plenitudinem aetatis Christi. Item docet Apostolus contingere etiam corpori mystico Christi: quia & singula membra, *id est*, fideles, & totum ipsum corpus, suam habuit infantiam, nempe in cognitione Christi, & in regeneratione atque in unitione cum ipso: suam item pueritiam & adolescentiam.

Docet autem, quamdiu sumus in hac carne, nos semper versari in incremento, sempérque adolescere, nunquam pervenire ad perfectam aetatem, *id est*, ad perfectam cognitionem, & ad perfectam regenerationem & incorporationem

tionem, qua major esse non possit cum Christo: sed hoc reservari in aliud seculum: nos igitur hîc semper esse infantes, aut pueros aut adolescentes: nunquam autem perfectos viros, eóque nos opus habere perpetuo alimento verbi, quo adolescamus & crescamus in Christo, Christúsque in nobis. Quare dandam nobis esse operam, ne maneamus semper infantes & pueri in fide ac cognitione Christi, sed ut adolescamus, donec tandem fiamus viri perfecti: id quod plenè continget in futuro seculo. Haec est summa hujus metaphorae, qua concludere voluit Apostolus necessariam esse ministerii functionem in Ecclesia ad finem usque seculi, ut per hoc crescamus in fide, & adolescamus in Christo spiritualiter. Sicut enim corpore suo naturali Dominus crevit sumptione panis & aliorum alimentorum, donec tandem factus est perfectus vir, & justam mensuram adultae aetatis assecutus est: Ita nos alimento verbi & pietatis exercitiis tantisper in cognitione Christi & fide crescere oportet, donec tandem aliquando ad perfectionem veniamus, & omnes simus unus perfectus vir: id quod, ut dixi, in coelo duntaxat plenè futurum est. Quare manifestè liquet Apostolum hîc non esse locutum de resurrectione, neque de corporea mole & mensura. Hoc etiam magis liquet versibus insequentibus. Nunc ergo tenemus verum sensum hujus versus. Sequitur,

V. 14. *Ut non amplius simus pueri, qui fluctuemus & circumferamur quovis vento doctrinae*, ἐν τῇ κυβείᾳ τῶν ἀνθρώπων, *in alea hominum*, ἐν πανουργίᾳ, *in astutia*, πρός τήν μεθοδείαν, *ad insidias seductionis.*

Syriac. *Et non simus pueri, qui commoventur & variantur ad omnem ventum doctrinarum versutarum filiorum hominis, qui per astutiam suam sese componunt ut fallant.* Variè hunc locum vertunt interpretes.

Beza, *Ut non simus amplius pueri, qui fluctuemus & circumferamur in hominum alea, veteratoria ad insidiosè fallendum versutia.*

Alii postrema verba sic vertunt, *per astutiam homimum, per versutiam, ad insidias seductionis.*

Alii, *per versutiam hominum, per astutiam ad circumventionem erroris.*

Ad verbum sic verto, *Ut non amplius simus infantes à fluctibus agitati* (id est, ne simus) *& circumacti omni vento doctrinae, per aleam hominum, per versutiam, ad insidias seductionis.*

Duae autem sunt particulae hujus versus: in quarum priore explicatur causa, cur necessarius nobis sit usus verbi Dei, & totius sacri ministerii, quo promovetur fides & regeneratio in finem usque mundi. Fides, quia per verbum occurrimus in unitatem fidei & cognitionis Christi. Regeneratio, quia occurrimus in virum perfectum. Explicatur, *inquam*, causa, cur iste progressus in fide, & in virum perfectum, per Ministerium verbi sit necessarius: nimirum ne maneamus pueri in cognitione doctrinae coelestis & Filii Dei: atque ita ne facilè, dum versamur in hoc seculo, ab impostoribus seducamur. In altera versus particula praecipui modi declarantur, quibus impostores atque haeretici & alii veritatis hostes seducere pueros solent, *id est*, infirmos in fide, & in varios pertrahere errores.

Primam

Primam partem duobus similibus explicat: quorum *primum* sumitur à pueris, qui quoniam nondum firmo sunt judicio nec rerum periti, facilè seducuntur & ad quidvis credendum adducuntur: ideò dixit, *ut ne simus amplius pueri*; νηπίους dixit (ut *Scholia exponunt*) τῇ πίστει. Dixit verò in prima persona. Ne simus, διὰ τὸ ἀνεπαχθὲς, ut evitaret invidiam. Loqui autem de pueris, *id est*, de infirmis in fide, & qui prima tantùm tenent utcunque principia fidei, non autem de prorsus insipientibus & rerum divinarum imperitis, ut quidam exponunt, liquet ex ἀντιθέσει, in versu sequenti, ubi ait, *Sed veritatem sectantes crescamus.* Hoc est primum simile.

Alterum sumitur à navigantibus, qui in medio mari si adversum habeant ventum, & bono careant rectore: aut à fluctibus modò in unum modò in alterum latus agitantur aut etiam huc atque illuc & in varios scopulos a ventris transferuntur. Sic qui infirmi sunt in fide, nisi quotidie Ministerio verbi in fide confirmentur & stabiliantur, necesse est ut ventis contrariarum doctrinarum excitatis, aut vacillare incipiant in fide, aut etiam in varios & perniciosos errores abducantur. Atque hoc est, quod ait: Ne simus κλυδωνιζομένοι *(id est agitati à fluctibus, seu ne fluctuemus)* καὶ περιφερόμενοι παντί ἀνεμῷ τῆς διδασκαλίας. Et certè gravius est & periculosius circumferri navem aliquam à ventis huc & illuc praecipitem, quàm à fluctibus tantùm jacta anchora agitari: quanquam à priore in posterius incidere solent, si intendantur & ingravescant venti, qui funem etiam anchorae rumpant. Idem in religione contingit, ut primum de doctrina jam recepta dubitare incipiant, deinde etiam in varias haereses prolabantur, qui destituuntur Ministerio verbi, & per illud in cognitione Christi proficere non curant. Haec est prima particula hujus versus.

Quidam tamen volunt tria esse similia: unum à pueris ductum, alterum à navibus in mari turbato positis: tertium ab arundinibus à vento agitatis. Imò quidam volunt esse unum simile à pueris ductum, & ita legunt: Ne simus pueri qui fluctuant *(animo & corpore)* & circumferuntur omni vento. Sed dixi quod mihi videtur congruentius. Ita apparet quam necessarius sit perpetuus sacri Ministerii in Ecclesia usus, per quem quotidie crescamus in cognitione Filii Dei: ut benè dixerit Apostolus: eousque Apostolos &c. datos esse à Christo, *id est*, Ministerium Ecclesiasticum institutum esse ad instaurationem sanctorum, donec occurramus omnes in unitatem fidei: ne, *scilicet*, perpetuò maneamus infantes, qui facilè seducamur.

Altera versus particula indicat modum, quo infantes, *id est*, infirmi seduci solent. Est autem ille multiplex: sed Apostolus duobus nominibus omnes complexus est, nomine, *scilicet*, κυβείας & πανουργίας dicendo ἐν κυβείᾳ τῶν ἀνθρώπων, ἐν πανουργίᾳ.

Scholia quidem volunt κυβείαν καὶ πανουργίαν hoc loco idem esse, dicentes κυβείαν τὴν πανουργίαν καλεῖ: & illa particulâ, quae sequitur, explicari finem τῆς κυβείας, quam & πανουργίαν vocant: Placet explicatio verbi, sed quod confundant κυβείαν cum πανουργίᾳ non placet, cùm latius pateat πανουργία, quam κυβεία. Nam omnis κυβεία est πανουργία, sed non contra.

Quidam sic locum hunc interpretantur, ut illud primum, ablativum εν κυβείᾳ homi-

hominum, accipiant pro praesenti hominum vita, quae ideò comparatur ludo aleae; quia, sicut ludus aleae incertus est, sic statu praesentis vitae nihil est inconstantius, sed variis & incertis casibus tota vita humana est obnoxia. Confirmant à verbo Apostoli, quo usus est, metaphora à navigatione sumta, cùm dicit: Ne fluctuemus & circumferamur omni vento. Vita enim humana navigationi comparatur: navigatione autem nihil est incertius. Addunt nomine κυβείας significari etiam apud Ciceronem quoddam magnae onerariae genus: proverbiali autem sententia homines, qui ejusdem incertae fortunae sunt socii, dici solere eadem vehi navi. Sive igitur κυβείαν accipias pro alea, sive pro illa navi, non incongruè incertitudinem humanae vitae significari: ac proinde volunt hunc esse sensum, ideò necessariò proficiendum esse in cognitione Filii Dei, donec evadamus omnes in virum perfectum, ne dum sumus in hac alea, *id est*, vita humana, in qua omnia sunt incerta, simus pueri, qui fluctuemus. Altera autem dictione πανουργίᾳ volunt significari modum, quo pueri, *id est*, infirmi in fide seduci soleant ab haereticis & aliis. Ego tamen communiorem sequor interpretationem, ac puto ἀντίθεσιν quandam esse inter νηπίους qui seducuntur, & inter ἀνθρώπους, quorum ait esse κυβείαν. Sicut enim viri adulti & alearum periti in ludo aleae & chartarum facilè imponunt pueris imperitis: sic etiam Sophistae haeretici facilè in disputationibus & colloquiis fallunt simpliciores & infirmos in fide. Nomine igitur κυβείας intelligo Sophisticam, qua haeretici nôrunt sacras literas ad suas haereses confirmandas torquere, & ex illis quidvis colligere ad imperitos seducendos. Exemplis declaro. Tempore Pauli erant Pseudoapostoli ex Judaïsmo, qui ex Sanctis Literis colligebant loca de necessaria mandatorum Dei observatione, & illis locis imperitos seducebant, concludentes hominem sola in Christum fide non posse justificari. Haec erat κυβεία, quia astutè testimonia S. literarum tanquam κύβους & taxillos invertebant, atque ad suum propositum torquebant.

In Ecclesia Romana Sophistae proferunt è scripturis multa loca, quibus Deus mercedem promittit bonis operibus: nomine autem bonorum operum aiunt intelligi merita. Concludunt, Propter merita igitur nostra dari aeternam vitam. Legunt item, Petro fuisse dictum, *Pasce oves meas.* Item, *Super hanc Petram aedificabo Ecclesiam meam:* concludunt super Petrum igitur fundatum esse Ecclesiam Petrùmque esse universalem totius Gregis Christi pastorem. Item legunt Christum porrecto pane dixisse, *Hoc est corpus meum.* Non potest autem esse *(aiunt)* & panis & corpus Christi verum, quod pro nobis traditum est: mutatam igitur esse substantiam panis in substantiam corporis Christi. Haec est κυβεία, qua scripturas corrumpunt, torquent, & ad suas haereses confirmandas apud simpliciores in medium astutè proferunt. Sic Ubiquitarii, Data est mihi omnis potestas in coelo & in terra: non est autem data Deitati Christi: igitur Humanitas facta est omnipotens, ut possit esse ubique. Haec est prima species imposturae & fallaciarum, quibus Haeretici ad imperitos imbecillósque in fide seducendos utuntur. Et est κυβεία τῶν ἀνθρώπων ad νηπίους seducendos excogitata.

Reliquas species una voce complectitur πανουργίας: πανοῦργος, à πᾶν & ἔργον, proprie significat hominem, qui in rebus omnibus versatus, eóque callidus & versu-

versutus, quidlibet ex quolibet facit sua versutia: & πανουργία est talis vafricies & versutia.

Verba, quae sequuntur, bifariam possumus interpretari: aut ut declarent finem, quo tendit πανουργία haereticorum, nempe non ad extorquendas pecunias, quod tolerabilius esset, sed ad errores fidei insidiosè inducendos. Ita amplificat peccata. Aut ita, ut sint ἐπεξηγήσεις πανουργίας: Scholia, οἱ δὲ τοιοῦτοι (Haeretici) καὶ πανοῦργοι πρὸς τὸ μέθοδον εὑρεῖν καὶ πρόφασιν πλάνης, πάντα πρὸς τὸ ἀπατῆσαι μηχανώμενοι.

Πανοῦργοι ergo sunt illi, qui optimè nôrunt invenire methodum & rationem fallendi ac decipiendi.

Μεθοδεία tamen videtur significare propriè hîc insidias, quae à tergo alicui incauto struuntur, à μεθοδεῖν, quod, ut dixi, significat etiam à tergo insidias parare, ut multi solent latrones viatoribus. Πανουργία ergo significat versutiam, qua hostes veritatis omnia sua & verba & facta eo dirigunt, ut ceu ex insidiis fideles imperitos adoriantur & à veritate abducant, Ecclesiámque Christi evertant. Cum haec ita se habeant, & perpetuò futuri sint in Ecclesia tales κυβευταὶ καὶ πανοῦργοι, quid facto opus est? Ut per Ministerium Verbi quotidie muniamur & crescamus in veritatis cognitione, ne tanquam pueri seducamur. Ita apparet quàm necessarius sit usus sacri ministerii in Ecclesia, per quod crescamus in cognitione Filii Dei. Hoc igitur est quod sequitur,

V. 15. *Veritatem autem sectantes* (vel: sed veritatem) *in caritate adolescamus in eum* τὰ πάντα (id est, κάτα τὰ πάντα) *per omnia, qui est caput Christus.*

Syriac. *Sed simus firmi in caritate nostra, ut, quicquid est nobis, crescat in Christum, qui est caput.*

Haec est ἀντίθεσις superioris versus: *Ne simus pueri, &c.* Sed veritatem sectantes in caritate adolescamus in eum qui est caput, Christus.

Aliter Scholia: Ἐκεῖνοι μέν (haeretici) νόθα και ψευδῆ διδασκουσι περὶ ὧν ὁ λόγος: ἡμεῖς δε ἀληθεύοντες ἐν τε δογμάσι, καὶ βίῳ καὶ λόγῳ ἐν ἀγάπῃ.

Mihi tamen magis placet prior expositio, ut sic ἀντίθεσιν componamus. Ut ne simus pueri fluctuantes: sed veritatem sectantes crescamus. Explicatio tamen verbi ἀληθεύοντες perplacet, nempe ut sit veritatem sectari tum in dogmatibus, tum in vita, & in caritate.

Illud quoque quod sequitur, αὐξήσωμεν εἰς αὐτὸν τὰ πάντα, sic interpretantur, αὐξήσωμεν καί ἐποικοδομήσωμεν εἰς τὸν Χριστόν, τὴν κεφαλὴν ἡμῶν, καὶ βίον, καὶ λόγον, καὶ δόγματα. Caeterum, ut dixi, hîc est talis ἀντίθεσις. Dixerat, non esse permanendum in infantia, ne hoc pacto seducamur ab astutis hominibus: nunc igitur contrà ait sectandam esse veritatem, *id est*, persistendum in vera doctrina & fide, & in caritate. Inde enim fieri, ut possimus in ipsum Christum τὰ πάντα, *id est*, secundum omnes nostras partes adolescere. Nam quò magis in cognitione Christi in fide, in caritate crescimus: eò etiam magis recedimus à pueritia, & adolescimus in Christum. Docet igitur hîc Apostolus modum, quo possimus in virum perfectum adultae aetatis Christi pervenire: id quod vocat hîc adolescere

lescere in Christum. Modus est, si sectemur constanter veritatem doctrinae coelestis cum caritate. In iis enim duobus, in fide & caritate, tota pietas Christiana consistit: & hujus rei causa ministerium in Ecclesia à Christo institutum est: atque hac ratione fit, ut adolescamus in Christum, qui est caput. Quare conclusio Apostoli est, institutum esse Ministerium verbi in Ecclesia à Christo, illúdque futurum perpetuum ad finem usque Mundi, ut per illud quotidie proficiamus in fide & in cognitione Filii Dei coelestísque veritatis, & consequenter in dilectione Dei Christi & proximi: donec tandem in perfectum virum, in mensuram adulti Christi perveniamus, fiamúsque omnes cum capite Christo unus tantum vir perfectissimus; id quod, ut supra dictum est, tum tandem perfectè implebitur, cùm post hoc seculum Deus erit omnia in omnibus nobis. Haec est summa.

Porrò non sine causa non dixit simpliciter, *Adolescamus in Christum*, sed adjecit, *Qui est caput.* Causa hujus additae particulae duplex est. *Prima* pertinet ad scopum Apostoli, qui fuit hortari nos ad unitatem Ecclesiae servandam. Quare? Quia omnes sumus unum corpus sub uno capite Christo. Et ideò hinc versu insequenti denuò κοινωνίαν hujus corporis, *id est*, & membrorum cum capite, & membrorum inter se describit. *Altera*, ut doceat nos non posse verè proficere in cognitione veritatis & in caritate, eóque adolescere in Christum, nisi in illum, tanquam in caput nostrum, oculos mentis defixos semper habeamus.

Caeterum rationes, cur caput Ecclesiae dicatur, alias explicavimus in primo capite: & porrò etiam dicemus aliquid.

Hactenus explicavimus octavum argumentum, quo Paulus demonstravit Ephesiis & nobis simul, quàm necessarium sit studium conservandae unitatis Ecclesiasticae per vinculum pacis. Argumentum ductum fuit à variis donis, quae Christus suae Ecclesiae & singulis Ecclesiae membris communicat. Vis autem argumenti haec fuit, licet multa & varia sint dona, functiones, & charismata in Ecclesia, quae videmus variis communicari hominibus: quia tamen ab uno & eodem sunt autore & capite Ecclesiae, Christo, & in unum eundémque finem, nempe in aedificationem & conservationem totius hujus corporis Ecclesiastici conferri ac destinata esse patet: propterea haec quoque donorum diversitas debet nos exstimulare ad studium conservandi hanc unitatem Ecclesiasticam per vinculum pacis & concordiae ac caritatis: tantum abest, ut debeat invidias & dissidia inter nos excitare, & unitatem Ecclesiae dissolvere. Haec fuit vis octavi argumenti. Explicavit autem hoc argumentum in una specie diversorum donorum Christi, nempe in variis Ministerii Ecclesiastici functionibus: demonstrato primùm autore totius Ministerii Christo: & deinde explicato fine & usu hujus Ministerii, & quamdiu in Eccclesia duraturum sit, causis quoque indicatis, cur in finem usque Mundi necessarius sit hujus Ministerii usus, quo fides, cognitio Christi, & regeneratio promoventur: Ne, *scilicet*, maneamus pueri, *id est*, infirmi in fide, qui facilè ab haereticis seducuntur: sed contra ἀληθεύοντες ἐν ἀγάπῃ, *hoc est*, persistentes sinceri in vera doctrina ac fide, & in caritate, adolescamus per omnia in eum, qui est caput, nempe Christus.

Nunc igitur simili sumto à corpore humano, quaecunque hactenus conclusit

sit, tum de veritate corporis Ecclesiastici servanda, tum de unione, quam habemus cum Christo capite, & inter nos membra, tum de usu donorum Dei ad totius corporis aedificationem, tum maximè de incremento, quod perpetuò faciendum est, & quo ad extremum dixit, oportere nos sectantes veritatem in dilectione adolescere in Christum: haec omnia pulcherrimè illustrat.

Est autem propriè hic locus de *κοινωνίᾳ*, quam habemus cum Christo & inter nos, déque incremento in hac *κοινωνίᾳ* faciendo, imò quod semper faciunt veri fideles, & tota simul Ecclesia. Locus est insignis & plenus consolationis & coelestis sapientiae. Praestet Deus nobis gratiam, ut etiam possimus, sicut decet, explicare. Res quidem ipsa est perspicua: sed contextus, quia brevis est, & utcunque intricatus, obscurus videtur. Recitabo priùs verba, quomodo ab aliis intelligantur & construantur: deinde dicam, quod sentio, speróque me rem planam facturum.

V. 16. *Ex quo totum corpus congruenter coagmentatum & compactum per omnem juncturam subministrationis* (sic ad verbum) *secundùm efficaciam* (seu ex vi intus agente) *pro mensura uniuscujusque membri, incrementum corporis facit, in aedificationem sui ipsius, in caritate* (id est, per caritatem).

Syriac. *Et ad totum corpus componitur & colligitur, per omnes commissuras: secundùm donum, quod datum est in mensura unicuique membro, ad incrementum ipsius corporis, ut per caritatem perficiatur aedificium ejus.*

Beza: *Ex quo totum corpus congruenter coagmentatum & compactum per omnes suppeditatas commissuras, ex vi intus agente pro mensura uniuscujusque membri, incrementum capit corpori conveniens, ad sui ipsius exstructionem per caritatem.*

Illud *διὰ πάσης ἁφῆς τῆς ἐπιχορηγίασ*, passivè accipit D. Beza, & in plurali expressit, dicendo per omnes commissuras suppeditas; passivè etiam Camerarius construendum & explicandum esse judicat, dicendo *διὰ πάσης ἁφῆς τῆς ἐπιχορηγίας, ἡγοῦμαι συνημμένης καὶ συναρθρωμένης ἐπιχορηγίας.*

Illud *κατ᾽ ἐνέργειαν ἐν μέτρῳ*, &c. sic construit cum verbo *τὴν αὔξησιν ποιεῖται*, dicendo: *Ex quo totum corpus per omnem suppeditatam commissuram congruenter coagmentatum & compactum* *ποιεῖται τὴν αὔξησιν τοῦ σώματος (ἡγοῦμαι ἑαυτοῦ) κατ᾽ ἐνέργειαν ἐν μὲτρῳ ἑκάστου μέρους*: *id est* *ἐμμέτρως ἐνεργοῦντος ἑκάστου μέλους*: Ut sit sensus, corpus Christo compactum & congruenter per commissuras acceptas conglutinatum, facit sui incrementum, vi à capite accepta, & unoquoque membro pro sua mensura efficaciter operante.

Alii tamen malunt activè accipere illam vocem *ἐπιχορηγίασ*, & construere cum verbo *ποιεῖται αὔξησιν*, ut sit sensus, corpus hoc mysticum, quod Christo adglutinatum est, & inter se congruenter coagmentatum, facit incrementum sui, dum unumquodque membrum vim, quam accipit à capite, alteri pro sua portione communicat, & efficaciter per suas commissuras & juncturas, *id est*, per suam functionem & vocationem distribuit.

Ex varia interpretum lectione & constructione apparet locum esse, ad verba quod attinet, subobscurum: res tamen est perspicua. Summa haec est hujus versus

versus. Simili corporis & capitis illustrat quae antè dixit, ut supra declaravi & praesertim quod praecedenti versu concludit, nempe quòd per veram veritatis ac Filii Dei cognitionem, pérque veram caritatem, quam ex continua Evangelii praedicatione comparamus, adolescimus paulatim in Christum, donec in perfectum virum evadamus.

Simile tale est, sicut D. Beza eleganter explicavit: Quemadmodum corpus humanum, antequam ad justam mensuram excreverit, vitalis facultas è suo fonte *(id est, à capite)* in subjectos artus *(seu membra)* sese insinuans, & singulis per suas commissuras pro ipsorum ratione portionem nutrimenti distribuens, hac ratione totum corpus vegetat, ut, pro modulo suo accrescentibus singulis membris, universum corpus tandem in justam corporis staturam evadat. Ita Christus Ecclesiae caput singulis membris vim suam instillans, & per multiplices variarum & diversarum functionum juncturas tantùm suppeditans alimenti, quantò opus est, tum ad uniuscujusque membri vegetationem, tum etiàm ad quotidianum incrementum, Ecclesiam suam fovere non desinit, dum, singulis partibus justam mensuram adeptis, corpus tandem perfectum evadat. Haec ille.

Concludere autem vult Apostolus, quod initio proposuerat, & fovendam esse unitatem hujus corporis mystici per vinculum pacis. Ratio, quia ita se habet hoc corpus, ut nisi quis per fidem vivam amorisque plenam cum Christo conjunctus, & per fraternam caritatem cum fratibus totáque Ecclesia congruenter coagmentatus permaneat: is non possit à Christo vel vitam vel alimentum & incrementum accipere.

De Communione Sanctorum.

Quatuor porrò sunt praecipuae particulae hujus versus: in quo *(ut supra dixi)* propriè agitur de communione sanctorum, *hoc est*, de κοινωνίᾳ, quam habemus cum capite Christo, & inter nos, ac cum tota Ecclesia, déque incremento in hac κοινωνίᾳ faciendo. *Prima* particula docet, undénam tanquam à fonte sit & incrementum accipiat corpus Christi mysticum: nempe à capite ipsius corporis, Christo: Ideò ait, ἐξ οὗ. Ex quo, *scilicet*, Christo capite, de quo praecedenti versu: Ex quo, *inquam*, capite Christo nimirum, pendet, est, incrementúmque facit totum corpus & singula membra.

Secunda particula tradit modum, quô hoc fit incrementum. Modus tribus in rebus consistit. *Primùm* ut corpus & singula membra maneant cum capite conjuncta, & inter se congruenter coagmentata; ratio: quia à capite fluit vis vitalis & motus, totúmque alimentum distribuitur in talia membra: non autem si vel à capite avellantur, vel inter se dissideant & suis locis non maneant. Modus igitur augmenti in hoc consistit, quod caput, in tale corpus taliáque membra sibi & inter se conjuncta, vitalem virtutem & alimentum instillat. Hoc significat, dicendo: Ex quo πᾶν τὸ σῶμα συναρμολογούμενον καὶ συνβιβαζόμενον, *scilicet*, incrementum facit, ut post sequitur: *id est*, eatenus totum corpus ìncrementum facit, quatenus manet cum Christo & cum singulis membris conjunctum & congruenter coagmentatum: accepta nimirum virtute & nutritione principaliter à capite.

Secundo,

Secundo, in eo consistit iste modus, ut singuli fideles, sicut certo ordine per juncturas & ligamenta spiritualia cum capite Christo & inter sese conjuncta sunt, pérque has à capite alimentum & vitam accipiunt: sic singuli per has juncturas pérque dona Spiritus sibi suppeditata, in sua quisque vocatione, quod accipit à capite alimentum & gratiam, aliis etiam vicinis membris communicet. Ratio: quia Christus sua bona per media, id est, per homines ipsos, ad certas functiones vocatos & donis instructos, communicare vult & communicare consuevit. Et sic etiam videmus fieri in corpore humano, ubi membra membris certa serie per juncturas, per commissuras articulorum, per venas, nervos, per tendines conjuncta & conglutinata, quem à capite accipiunt spiritum, sanguinem, vitam, motum, alimentum: eadem per easdem commissuras alia aliis communicant: & ita dum singula membra incrementum accipiunt, incrementum quoque faciunt totius corporis, & nutrita nutriunt, & aucta augent: Sic in spirituali corpore fit faciendúmque est. Hoc docet Apostolus, cum subdit, διὰ πάσης ἁφῆς τῆς ἐπιχορηγίας. Activè potiùs accipio illam dictionem ἐπιχορηγίας, quàm passivè: quia sensus Apostoli est, corpus totum & singula membra, per suas commissuras & juncturas, quibus sunt sibi invicem colligata, quod accipiunt à capite alimentum & sanguinem, alia aliis communicare, & ita facere incrementum, quanquam & passivè accipi potest, ut postea dicam.

Tertiò, Modus in hoc consistit, ut quisque fidelis non aliter quàm pro facultate sibi à Deo ad certam mensuram & proportionem data, quae accipit à capite Christo bona, ea etiam aliis communicet. Non enim omnibus juxta eandem mensuram dat Christus dona sua. Ergo sicut quisque accipit, ita etiam aliis distribuat, & sua sorte sit contentus, maneátque in sua vocatione. Hoc spectamus etiam in humano corpore, ubi unum quodque membrum secundùm suam mensuram & capacitatem, sicut accipit alimentum unde crescat, sic etiam aliis communicat: ídque efficaci & interna sua actione. Exemplum: Ventriculus totum capit cibum & concoquit: ex alimento illo, trajectis faecibus in intestina, nutritur ipse: deinde interna sua actione maximam partem transmittit ad hepar: hepar pro sua mensura & capacitate, sicut accipit, sic transmittit etiam ad cor. Modus igitur iste in hoc consistit, ut unumquodque membrum sua mensura contentum sit: & prout accipit sive multum sive parum, sic etiam aliis efficaciter distribuat. Hoc explicavit Apostolus dicendo κάτ' ἐνεργείαν, ἐν μέτρῳ ἑνὸς ἑκάστου μέρους. Quaedam exemplaria habent μέλους, membri: Sed eodem recidit. In iis tribus igitur consistit modus, quo hoc incrementum fit in corpore Ecclesiae, sicut etiam in corpore humano.

Tertia particula hujus versus docet causam finalem hujus incrementi, quod unumquodque membrum pro sua portione & mensura facit in corpore: docet, *inquam*, finem, qui vocatur τέλος ᾧ, finis cui. In cujusnam utilitatem cedit? Totius ipsius corporis. Ideò enim singula membra & nutriuntur atque augentur, & nutrita atque aucta nutriunt alia & augent, ut totum tandem corpus ad justam mensuram perducatur, quae tali corpori conveniat. Hoc exprimit, cum ait, εἰς οἰκοδομὴν ἑαυτοῦ. Ergo quicquid singula membra aliis communicant, cedit in utilitatem totius corporis, eóque & singulorum membrorum.

Quarta continet causam impulsivam, à qua impellitur quisque fidelis & impelli

pelli debet, ad promovendum hoc totius corporis & singulorum membrorum incrementum. Haec est dilectio & caritas erga totum corpus, ac proinde & erga caput inprimis, & erga singula membra. Ideò ait, ἐν ἀγάπῃ.

Unde enim membra corporis nostri adducuntur ad nutrimentum sibi invicem communicandum? A naturali & innato quodam amore erga se invicem & erga totum corpus. Nam etiam caput Christus influit in nos ἐν ἀγάπῃ.

Nunc tenemus perspicuam partitionem versus: hac retenta faciliùs omnia intelligentur.

1. Ad primam igitur particulam quod attinet, quod ait, ἐξ οὗ Χριστοῦ, ex quo Christo capite, construe cum verbo αὔξησιν ποιεῖται, nempe πᾶν σῶμα. Sensus enim est, totum Ecclesiae corpus singulàque membra à Christo, qui est caput, accipere vitam, motum, & totum alimentum, quo augentur, & incrementum capiunt: quemadmodum etiam ab eodem suam habent originem, suum Esse, & ut sint membra tali capiti adglutinata. A matre infans habet ut sit homo: ab eadem etiam accipit nutrimentum lactis, quo augetur & adolescit.

Caeterum, cum vocat Christum, intellige totum Christum, Deum & hominem simul: ac proinde cum dicat nos esse illi adglutinatos, non quemadmodum populus suo principi, sed sicut membra humani corporis suo capiti adglutinata sunt, dicátque ab illo nos accipere alimentum & incrementum, non sicut populus à Principe accipit, sed quemadmodum membra à capite: intellige nos, id est, nostram carnem & animam tam verè & realiter, sed nexu Spiritus Sancti, cum toto Christo, adeóque cum ejus carne, sanguine & anima esse coagmentatos, atque sunt membra corporis nostri cum suo capite: & tam verè ac realiter vitam ac motum, sed spiritualem, alimentum & incrementum, sed spirituale, à toto Christo, atque adeò ab ejus carne & sanguine in nos derivari, sed per ipsius Spiritum, quàm etiam à capite corporis nostri in membra fluit vita, motus, & alimentum, quo vivimus & adolescimus. Ut enim hoc significaret Apostolus, non usus est simili corporis politici, sed corporis physici & humani: ídque non solùm hîc, sed supra etiam & alibi saepiùs. Quò pertinet & illud simile quo Christus vocavit se vitem, nos palmites, & alia hujus generis.

Nunc igitur tenemus primùm undénam, tanquam à fonte, corpus Christi mysticum omniáque ejus membra accipiant alimentum & incrementum: à capite nimirum suo, *hoc est*, à toto Christo, adeóque à corpore ejus naturali, sed virtute Spiritus ipsius. Pertinet huc quod Paulus dicebat, 1 Cor. 3. *Ego plantavi, Apollos rigavit, Deus autem incrementum dedit.* Et Joan. Baptista, Matt. 3. *se baptizare aqua, sed Christum baptizare Spiritu.* Pastor etiam ministrat panem & vinum: sed Christus ipse dat suam veram carnem & suum sanguinem virtute sui Spiritus. Doctor etiam ministrat verbum auribus: sed Christus alimentum & succum verbi instillat in animos nostros.

II. Ad secundam particulam quod attinet, quâ docetur modus, quo fit hoc corporis incrementum ex capite,

Primùm ait, πᾶν σῶμα συναρμολογούμενον καὶ συνβιβαζόμενον nempe incrementum facit: *hoc est*, eatenus incrementum ex Christo capite facit, quatenus cum hoc capite conjunctum manet, eóque & singula membra, quatenus coagmentata inter se & cum capite manent. Ait πᾶν σῶμα, de corpore autem, quod ex electis

tis tantùm constat, loquitur: haec est enim vera Ecclesia, verúmque Christi mysticum corpus, quod capit incrementum & adolescit in Christum. Quare hypocritae, cùm neque vivant in Christo, neque adolescant, excluduntur ab hoc corpore. Ideò Photius in Scholiis πᾶν σωμα ἥγουμαι οἱ πιστοὶ, inquit. Deinde licet tota Ecclesia constet non solùm ex electis, qui sunt in via, sed etiam ex illis, qui jam sunt in patria, tam Angeli, quam sanctorum animae: hìc tamen sermo non est, nisi de corpore Ecclesiae militantis: id quod manifestè liquet ex contextu Apostoli, quia loquitur de illo corpore, quod capit incrementum, *id est*, quod adolescit *(ut supra explicavi)* in Christum, donec ad perfectam plenámque staturam perveniat: Qui autem sunt in coelo, tale incrementum non capiunt.

Addit *praeterea* duo participia, quibus coagmentationem hujus corporis cum capite & membrorum inter se exprimit: primùm est συναρμολογούμενον: hoc propriè significatur congruus ordo & dispositio membrorum inter se & cum capite. Significare enim voluit Apostolus hoc corpus ita rationabiliter constructum & coagmentatum esse, ut aptis proportionibus membra sibi mutuò cohaereant, & aptè alterum alteri respondeat: omnia verò cum capite optimè congruant. Alterum est συμβιβαζόμενον: quo propriè significatur hoc corpus ita artè & firmiter simul compositum esse, & inter se, & cum capite, ut neque caput à membris, neque membra à capite, vel à se invicem divelli queant sine totius corporis ruina atque interitu. Sunt tamen qui dicant priore voce significare congruentem membrorum inter se connexum, posteriore verò, accommodatam totius corporis cum capite coagmentationem, ita ut subjectum capiti maneat semper. De hoc eodem modo subdit secundo loco διὰ πάσης ἁφῆς τῆς ἐπιχορηγίας.

Ἀφή ἀπὸ τοῦ ἅπτειν, tangere, est: ideò significat tum ligamenta, nervos ac venas, quibus membra simul inter se & cum capite conjunguntur: tum ipsum articulorum & membrorum contactum, quo simul conjuncta sese mutuò tangunt. Ideò Graeci vocant συναφείαν.

Et ait πάσης, quia non unum membrum alteri per unam commissuram, & alterum alteri per aliam, sed omnia simul, & inter se, & cum capite per omnes commissuras conjuncta sunt. Omnes enim ab uno capite pendent commissurae, venae, nervi, tendines: & omnia simul membra cum capite connectunt. Ideò ait Photius in Scholiis, διὰ πάσης ἁφῆς φησι, ἵνα μη ὁ μὲν τῷδε συναπτήται ὁ δὲ τῷδε, ἀλλὰ πάντες πᾶσι. Διὰ γάρ τῆς ἁπάντων συναφῆς ἡ κοινὴ τοῦ σώματος παντός αὔξησις γίνεται.

Cur verò vocat hanc πᾶσαν ἁφὴν, ἁφὴν ἐπιχορηγίας? Photius vult, quia suppeditatur à capite. A capite enim pendent omnes venae, nervi, commissurae: αὐτὴ δὲ ἁφὴ (inquit Photius) καὶ συνάφεια πόθεν φυεται; τῆς ἐπίχορηγίας ἐστὶ τοῦ Χριστοῦ φησὶ, ἐπιχορηγίας δὲ, ὅτι μέν τῶν ἄλλων ἀυτοῦ εὐεργεσίων καὶ τὴν ἀλλήλων συναφειαν αὐτὸς ἐπιχορηγεῖ: *id est*, vocatur autem ἁφὴ ἐπιχορηγίασ, quia ipse Christus unà cum aliis beneficiis ipsam quoque mutuam membrorum juncturam & connexionem suppeditat. Verum est quod dicit. Caeterum, Ergo puto totam hanc juncturam in corpore, *id est*, nervos, venas, & omnia ligamenta vocari nomine τῆς ἐπιχορηγίας, quia totum corpus & singula membra per illa ligamenta, sicut vitam & alimentum accipiunt à capite, sic mutuò alia aliis membra idem

ali-

alimentum & incrementum ἐπιχορηγοῦσι, suppeditant. Hîc enim describit Apostolus modum, quo incrementum fit singulorum membrorum & totius corporis. Ait autem per hoc fieri, quòd unumquodque membrum, per juncturas, quibus omnia sunt & cum Capite & inter se conjuncta, sicut à capite spiritus sanguinem & alimentum accipiunt, sic etiam alia aliis mutuò eum suppeditant. Juncturas igitur vocat juncturas ἐπιχορηγίας, subministrant alteri vitalem Spiritum, qui à capite in omnia membra per juncturas, quibus connexae sunt, diffunditur. Haec est vera causa, cur istae juncturae vocentur juncturae & commissurae subministrationis: subministrationis, *inquam*, activè acceptae, quia per illas subministratur vitalis spiritus & alimentum à membris in membra. Atque haec etiam est causa, cur libentiùs hanc particulam conjungam & construam cum praedicato & cum verbo ποιεῖται αὔξησιν, quàm cum subjecto & cum participiis praecedentibus.

Sunt etiam qui sic legant, τὸ σῶμα συναρμολογούμενον καὶ συνβιβαζόμενον διὰ πάσης ἁφῆς ἐπιχορηγίας, & ibi sit comma, quasi Apostolus explicare voluerit per quid corpus & omnia membra sint connexa cum capite & inter se: nempe per juncturas. Sed si hoc voluit, quorsum adjecit τῆς ἐπιχορηγίας? verum (*ut dixi*) aliud fuit consilium Apostoli; voluit explicare, quomodo fiat hoc incrementum corporis & membrorum. Res tamen ipsa vera est, nempe per haec ligamenta connecti membra cum capite & inter se: sed aliud (*ut modo dictum est*) horum ligamentorum officium voluit hoc loco explicare Apostolus, qui docet, quomodo adolescamus in Christum, qui est caput. Duplex autem vel etiam triplex est horum officium: *Unum*, ut per haec omnia membra tum cum capite, tum inter se connectantur: *Alterum*, ut per haec vitalem spiritum à capite singula membra accipiant: *Tertium*, ut quem à capite accipiunt spiritum, eundem per haec eadem ligamenta & juncturas sibi mutuò subministrent. De duobus postremis hîc agit Apostolus, quando juncturas has vocat juncturas subministrationis, *id est*, per quas fit subministratio: subministratio, *inquam*, quia per has primùm subministratur à capite iste Spiritus & alimentum ipsis membris: deinde, quia per has eundem subministrant sibi mutuò membra, superiora inferioribus. Ista sunt manifesta in corpore humano.

Sed quaenam sunt hae juncturae & ligamenta in corpore mystico, quibus & cum Christo singuli fideles, & inter se conjuncti sunt: & verò etiam quorum beneficio tum à Christo accipimus vitalem spiritum, tum etiam nobis mutuò eundem subministramus? Quicquid nos cum Christo & inter nos conjungit, & per quod vitam & alimentum spirituale à capite accipimus, & nos aliis communicamus: totum illud nomine juncturae & ligamenti intelligitur. Primúm autem & praecipuum ligamentum, seu prima ἁφὴ, est Spiritus Christi, Spiritus, *inquam*, regenerationis. Hoc enim Spiritu Christus totum suum corpus singulaque membra sibi devinxit ac copulavit, & ipsa membra inter se. *Nam qui non habet Spiritum Christi, is non est ejus.* Rom. 8. Per hunc eundem Spiritum sua in nos bona instillat & communicat, vitam, remissionem peccatorum, justitiam, pacem conscientiae, motus spirituales, bonam voluntatem, suam denique carnem & sanguinem. *De meo* (dicebat Christus loquens de hoc Spiritu) *accipiet & revelabit atque etiam dabit vobis.* Joh. 16. Per hunc eundem Spi-

Spiritum nos excitati eadem bona à capite accepta aliis communicamus. *Accipite Spiritum Sanctum* (dicebat Christus Apostolis), *quorum remiseritis peccata, remittentur eis.* Joh. 20. Haec est prima & principalis ἁφὴ, quâ tangit nos Christus, & nos ipsum, & omnes simul mutuò. Sunt praeterea dona hujus Spiritus, uti est inprimis donum fidei. Hâc enim juncti sumus Christo, per hanc accipimus ab ipso remissionem peccatorum & vitam: ejusdem fidei vinculo juncti sunt omnes fideles inter se, pérque hanc sese mutuò fovent, consolantur, hortantur: ut & Paulus ad Roman. 1. *Desidero videre vos, ut aliquando impartiar vobis donum Spirituale*: hoc est, ut communem exhortationem percipiam apud vos, per mutuam fidem vestram, simul & meam. Cum vinculo fidei semper est conjunctum vinculum dilectionis & pacis. Sed inter alia dona Spiritus sunt diversae vocationes in Ecclesia, quibus ceu ligamentis simul devincti sunt fideles, & unus alteri quae à Christo accipit bona communicat, & ille vicissim aliis. Exemplum afferam, quod hîc tractat Apostolus, exemplum, *inquam*, in functionibus Ecclesiasticis: Sunt haec etiam dona de quibus dixit, *Dedit dona hominibus: Alios enim dedit Apostolos, alios Prophetas*, &c. Ministri nexu sui ministerii devincti sunt Christo, à quo sunt ad ministerium missi, & Ecclesiae, cui sunt destinati: Et vicissim Ecclesia Ministris: Doctores studiosis, & studiosi praeceptoribus suis. Pastores & Doctores, quam à Christo tanquam ejus administris accipiunt coelestem doctrinam, eandem per sui officii functionem communicant Ecclesiae suisque auditoribus, & inter auditores, qui sunt majores & eruditiores, eandem explicant minoribus & imperitioribus: ut Patres familias suis liberis & uxoribus, quibus devincti sunt vinculo suae vocationis, quâ vocati sunt, ut sint patres & mariti, & ut suam instituant familiam. En quomodo diversae vocationes in Ecclesia sunt tot vincula & ligamenta, quibus fideles inter se devincti sunt, & cum Christo: & quibus fit, ut bona diversa accipiant à Christo capite, & eadem à Christo accepta alia aliis communicent. Exemplum Apostoli est perspicuum: *Christus dedit Apostolos, &c, ad instaurationem sanctorum, ad opus ministerii, ad aedificationem corporis.* Quicquid igitur nos devincit Christo & Ecclesiae, & per quod à Christo accipimus coelestia bona, eáque aliis communicamus: illud nomine juncturae & commissurae intelligitur: quod cùm inprimis faciat Spiritus Christi nobis donatus, is etiam primum & principale ligamentum nostrum est. Nunc pergamus.

3. De hoc modo, quo fit incrementum, subdit Apostolus, κάτ᾽ ἐνεργείαν ἐν μέτρῳ ἑνὸς ἑκάστου μέρους. Sensus est, πᾶν σῶμα, seu omnia membra simul compacta per commissuras, per quas fit subministratio, secundum suam quódque efficacem operationem, & pro sua mensura donorum, quae accipit à capite, operatur incrementum corporis. Requiritur ergo in unoquoque membro efficax operatio, quâ dona accepta non teneat sepulta, sed ea aliis communicet: alioqui corpus non poterit aedificari & capere incrementum. In hunc enim finem Christus eligit & ad varias functiones nos vocat suisque donis variis ornat, ut ea ad totius corporis aedificationem efficaciter communicemus. Hoc est ergo, quod ait, κατ᾽ ἐνέργειαν.

Caeterum non requirit, ut ea communicemus, quae non accepimus, neque supra vires nostras operemur: sed ut pro sua quisque mensura, & pro sua virili

virili parte operetur: & quantum accepit, sive multum sive parum, tantum etiam aliis communicet, & in commune conferat: qui duo talenta, duo: qui tria, tria. Christus enim dat cuique ad certam mensuram. Vult igitur, ut quisque pro hac donorum in se collatorum mensura operetur in Ecclesia. Hoc est quod subdit, ἐν μέτρῳ ἑνὸς ἑκάστου μέρους, vel μέλους, *id est*, pro modo & mensura cujusque partis seu membri: nempe efficaciter operatur, & operando incrementum corporis facit. Ratio: quia non ad suam propriam tantummodò, sed ad communem totius Ecclesiae utilitatem, dona quae quisque habet, accepit à Christo: quemadmodum etiam in humano corpore videmus: Ventriculus non pro se tantùm accipit alimentum: sed ut etiam hepati, & hepar cordi, & sic deinceps reliquis membris ad pedes usque communicet: idque pro suo quódque modo & mensura, quâ etiam accipit.

Videmus hoc in ipsis Apostolis. Paulus ait se plus reliquis laborasse: & certè ex ejus laboribus plus incrementi accepit Ecclesia, quàm ex aliorum: multò verò majus quam ex laboribus Titi, Timothei, & similium Evangelistarum. Quid ita? Quia plura etiam dona acceperat Paulus à capite Christo. Interim omnes, pro sua quisque mensura efficaciter operando, aedificarunt Ecclesiam. Si Ego etiam pro mensura donorum, quae mihi largitus est Dominus, próque mea virili parte promoveam incrementum Ecclesiae: fecero quod à me exigit Dominus, nec quisquam debet à me plus petere, quàm acceperim. Credo me jam satis perspicuè modum explicasse, quo totum corpus, *id est*, singula membra incrementum faciunt corporis. Mota enim movent, nutrita nutriunt, aucta augent, alia aliis quae accipiunt à Domino, munere commissurarum & vocationum suarum, communicantia. Atque haec de secunda particula satis.

III. Sequitur *tertia*, In cujusnam utilitatem cedit totum hoc incrementum, quod totum corpus, *id est*, singula membra, pro sua quódque mensura faciunt? Ait, Εἰς οἰκοδὸμὴν αὐτοῦ. Photius in Scholiis Αὔξων γάρ τήν ἐκκλησίαν ὁ Χριστὸς πνευματικῶς καὶ ασθητῶς ἑαύτον οἰκοδὸμεῖ, επειδὴ τό ἴδιον αὔξει σωμα, ὡς κεφαλὴ τά μέλη. Dixit quod res est: quia revera Christus est ille, qui hoc incrementum facit, quanquam ad hoc utatur membris ipsis. Haec enim omnia vivificando & augendo totum corpus vivificat & auget: cum nihil aliud sit corpus totum, quàm omnia simul membra congruenter coaptata. Quia tamen constructio verborum talis est, ut Paulus dicat corpus ipsum ex Christo capite facere incrementum corporis ad aedificationem sui ipsius: nos dicimus finem totius hujus incrementi, quod membra omnia faciunt, esse ipsam totius corporis aedificationem: *id est*, ut tandem totum corpus exaedeficetur, & ad perfectam staturam plenè adulti Christi perducatur, de qua supra dixerat: id quod futurum est, cum Christus in fine seculi, acceptis omnibus suis membris, quorum ipse est caput, absolvet totam hanc sui corporis αὔξησιν, qúam hìc vocat aedificationem.

Deflexit autem à sua metaphora corporis, & rediit ad illam, quâ cap. 2 usus fuerat, templi, *scilicet*, super Christum fundamentum extructi: ut melius etiam explicaret hanc finalem causam, nimirum Ecclesiae incrementum. In quem enim finem augentur lapides, & excrescit quotidie structura templi? Ut tandem totum templum exaedificetur. Hoc est, quod ait, *in exaedificatio-*

nem sui ipsius. Ergo dum quisque nostrum operam dat, ut incrementum Ecclesiae promoveat, promovet sui etiam incrementum, in totius corporis incremento, & sui ipsius aedificationem in totius corporis aedificatione; ut tandem hoc corpus totum ad perfectam staturam adulti Christi perducatur, quod futurum est, ut dixi, in fine seculi. Hîc incipit & quotidie promovetur aedificium, tunc absolvetur. Sensus igitur est, aedificari corpus ipsum, dum membra crescunt & augescunt; & Ecclesiam aedificari cum fideles crescunt in fide, in cognitione, in caritate.

4. Adjecit causam impulsivam ἐν ἀγάπῃ. Haec viget in singulis veris membris Ecclesiae: & ab ea aguntur ad promovendum pro sua virili incrementum Ecclesiae. 1. Cor. 13. hanc docet Apostolus esse causam, qua ad omnia bona impellimur. Ergo ubi non viget caritas inter fratres, inter ministros, inter Ecclesias: quomodo poterit promoveri incrementum totius Ecclesiae? Sine caritate non potest incrementum capere. *Scientia inflat, caritas aedificat* 1. Cor. 8.

DOCTRINAE EX SECUNDA

PARTE, *à vers. 7. usque ad 17.*

Video me prolixiorem fuisse, quàm volebam, in explicanda hac altera parte contextus capitis quarti: brevior igitur ero in colligenda doctrina, quae in hisce versibus sese offert.

V. 7. Sed unicuique nostrum data est gratia pro mensura donationis Christi, &c.

Duo hinc colliguntur. 1. Nullum igitur est verum Ecclesiae membrum, id est, nullus fidelis, qui non habeat aliquod charisma à Spiritu Sancto, quo se praebere utilem possit Ecclesiae, & corporis incrementum promovere: quemadmodum etiam nullum est membrum in corpore humano, quod suo careat ad totius corporis utilitatem officio & usu. Ait enim Apostolus: Unicuique nostrum data est gratia.

Hoc respondet illis, quae habet in vers. 16., nullum, *scilicet*, membrum esse in corpore, quod pro sua mensura & efficacia non faciat ad incrementum totius corporis. Ratio est: quia Spiritus Christi sese diffundit in omnia hujus corporis membra: & nullum sinit esse otiosum & inutile. *Deus & Natura nihil agunt frustrà.*

2. *Alterum est*, Nulli membro Ecclesiae plenitudinem gratiae & charismatum donari, sed cuique donum aliquod, & ad mensuram: quemadmodum etiam in humano corpore nullum est membrum, quod omnibus officiis ad totius corporis necessitatem & conservationem necessariis fungi possit: sed unumquodque suum habet proprium, prout placuit corporis conditori. Soli Christo datus est Spiritus non ad mensuram. Ait enim Apostolus, Datam esse cuique gratiam pro mensura donationis Christi. Hoc respondet illis, quae tradit in vers. 16., Corpus

facere

facere incrementum pro mensura cujusque membri, *id est*, membrum quodque in corpore facere incrementum pro mensura donorum, quae accepit. Nullum igitur membrum in Ecclesia contemnendum est, sicut neque ullum membrum in humano corpore: quia nullum est inutile aut otiosum, utut vilissimum esse videatur: sic Deo omnia in corpore sapientissimè ordinante. Neque unum alteri invidere debet, quia ex voluntate donantis Christi est, quòd unus habeat plura dona quàm alius.

V. 8. Quapropter dicit, cùm ascendisset in altum, captivam duxit captivitatem, dedit dona hominibus.

1. Ex hoc versu colligimus tria: *Unum*, Christum esse verum Deum Jehovam. De Christo enim interpretatur Apostolus, quod de Jehova cecinerat David in Psal. 68.

Alterum est, omne donum & omne bonum verè esse è caelo, & ab eo qui regnat in caelo. Ait enim Apostolus, tum demum Christum dedisse dona *(coepisse)* hominibus, postquam ascendisset in altum. Quare, quae etiam communicabat in terra existens corpore, è caelo erant & è caelo descendebant, *id est*, coelestia erant dona. Quò pertinet quod Jacobus ait, *omne datum optimum omnéque donum perfectum de sursum est, descendens à Patre luminum. Jac.* 1. Et illud Joh. Baptist. *Homo non potest accipere quicquam, nisi fuerit ei datum è coelo Joh.* 3. Quin etiam bona, ad praesentem vitam pertinentia, è caelo communicantur. *Hos.* 2. Caelum enim exaudit terram, terra exaudit frumentum. Sursum igitur semper attollendi sunt oculi, unde nobis omnia proveniunt bona.

Tertium est, Christum verè è mortuis resurrexisse, & in caelum ascendisse, veréque sedere ad dexteram Patris, eóque verè sua morte nostra peccata expiasse, & nos è potestate Satanae liberasse. E caelo enim dedit dona hominibus, sicut se facturum promiserat. Quò spectat argumentum Petri in Act. Cap. 2. quo probat Christum resurrexisse, & in caelum ascendisse, Deúmque nobis reconciliasse: argumentum, *inquam*, ductum à Spiritu donisque Spiritus, quae è caelo hominibus distribuit.

V. 9. Caeterum, illud ascendit quid est, nisi quod etiam descenderat priùs in infimas partes terrae?

V. 10. Qui descendit ipse etiam est, qui ascendit supra omnes coelos, ut impleret omnia.

Ex his duobus versibus, per parenthesin simul inclusis, quae colligi potest doctrina, ea tradita à nobis fuit in horum versuum explicatione. Neque enim potuerunt explicari, nisi quae de una persona Christi, déque duabus ejus naturis, & de officio, de ejus humiliatione & glorificatione tradunt sacrae Literae, simul explicarentur. Non est igitur opus ut repetantur.

V. 11. *Dedit igitur alios Apostolos, alios Prophetas, alios Evangelistas.*

Ex hoc & ex aliis versibus insequentibus, 12. 13. 14. 15., in quibus de Ecclesiastico ministerio, de ejus autore, usu, necessitate, utilitate, duratione, déque ministrorum gradibus agitur, non multa mihi colligenda sunt, quoniam aliâs seorsum peculiari tractatione de Ministerio Ecclesiastico, Deo favente, dicturus sum. Breviter ergo nonnulla perstringam ex singulis versibus.

Ex vers. 11. hanc doctrinam colligo, varios quidem ministrorum gradus constitutos fuisse à Christo, sed neminem, qui omnibus autoritate, potestate & dignitate antecelleret, adeóque toti Ecclesiae sui loco praeesset, electum datúmve fuisse. Nam si hoc fecisset Christus, cum res sit tanti momenti, Paulus certè non tacuisset hoc loco: ubi ex professo de constitutis à Christo in Ecclesia ministrorum praecipuis ordinibus disseruit. Sed nec alibi unquam hujusce rei ullam fecit mentionem, cùm de ministerio déque ministris Ecclesiae egit: egit autem saepè, ut ad Rom. 12. 1. ad Corinth. 12. 1. Tim. 3. & 5. alibi. Figmentum igitur est quod de primatu Romani Episcopi, illum fuisse à Christo institutum, à Sophistis traditum est.

V. 12. *Ad coagmentationem sanctorum, ad opus ministerii, ad aedificationem Ecclesiae.* Hinc colligimus,

1. Electos, antequam per Spiritum regenerationis & fidei, qui ad praedicationem Evangelii donari solet, Christo inserantur, non fuisse cum Christo nec cum corpore Ecclesiae re ipsa conjunctos: opera autem ministerii vocari, colligi, & corpori Ecclesiae inseri: & postquam etiam sunt insiti, semper vel multum vel parum veteris conditionis pati, & mutari in fide: ac proinde necessarium illis semper esse opus ministerii, per quod instaurentur & confirmentur in fide & in Christo. Ait enim datos esse ministros πρὸς καταρτισμὸν τῶν ἁγίων.

11. Ministerium non esse institutum propter salutem reproborum, sicut neque pro ipsis rogavit Christus, nec mortuus est, sed tantùm propter salutem electorum. Ait enim datos esse Apostolos ad instaurationem sanctorum, & aedificationem corporis Christi. Evangelium igitur non praedicatur reprobis, & sacramenta iis non administrantur, nisi ut reddantur inexcusabiles. Quò pertinet, quod habetur 2. Cor. 4. *Quod si obtectum est Evangelium nostrum, iis, qui pereunt, obtectum est.*

Neque tamen Evangelium & sacramenta sunt illis causa perditionis, nisi ex accidenti: sed causa mortis est ipsorum incredulitas & Diabolus. Ait enim Apostolus, Ministros non esse datos, nisi ad instaurationem & ad aedificationem. Quò pertinet quod Apostolus subjicit loco jam ex 2. Cor. 4. allato de reprobis. *In quibus* (inquit) *Deus hujus seculi* (id est Satan) *excaecavit mentes, id est, infidelibus, ne irradiet eos lumen Evangelii.* Meritò igitur etiam ad Rom. 1. Evangelium vocatur δύναμις τοῦ θεοῦ, non ad perniciem sed ad salutem: non quidem incredulis sed omni credenti.

III. Discimus ministros non esse vocatos, ut aut otientur in Ecclesia, aut dominatum exerceant in membra Christi: sed tum ad laborem, tum ad serviendum

viendum ipsis Sanctis & Ecclesiae. Ait enim datos esse πρὸς τὸ ἔργον τῆς διακονίας, Et loquitur Paulus tam de Apostolis omnibus, quàm de aliis ministris.

13. *Donec occurramus omnes in unitatem fidei & cognitionis Filii Dei, in virum perfectum, in mensuram staturae adulti Christi.*

Praeter ea, quae diximus de duratione Ministerii in finem usque mundi, & de unitate fidei, haec etiam colligimus ex hoc versu.

1. Non esse sperandam in Ecclesia perfectam omnium in fide fideíque doctrina consensionem ante finem Mundi. Apostolus enim docet ministerium Ecclesia duraturum usque dum omnes occurramus in unitatem fidei & cognitionis Filii Dei: innuens, postquàm omnes occurrerimus in unitatem fidei, tum demùm cessaturum ministerium: atqui ministerium ad finem usque Mundi duraturum est: Ergo ante finem Mundi iste occursus omnium electorum in unitatem fidei non futurus est. Quare dolendum quidem est, quòd etiam inter pios non semper & usquequaque conveniat de doctrina religionis, subinde verò oriantur novae quaestiones & diversae sententiae: sed mirandum tamen non est, quia plena & perfecta consensio unitásque fidei in finem Mundi reservatur. Interim studendum semper est consensioni & huic unitati.

2. Idem concludimus de perfecta regeneratione & sanctitate vitae. Nam neque haec sperari potest, dum sumus in hac vita, ubi perpetuò praedicatur Evangelium & administrantur sacramenta, ut proficiamus, sicut in fide & cognitione Filii Dei, sic etiam in regeneratione & sanctitate vitae atque justitiae. Idem enim Apostolus de hac perfectione justitiae & sanctitatis ita loquitur, ut doceat eam non futuram nisi post hanc vitam: Donec occurramus *(inquit)* in virum perfectum, in mensuram staturae adulti Christi. Et infrà ait, oportere nos semper adolescere in Christum: Item, corpus Ecclesiae & singula membra quotidie incrementum facere, donec tota Ecclesia exaedificetur. Falluntur ergo Anabaptistae illi, qui perfectionem nescio quam totius hominis jactant se consecutos esse, & ab unoquoque homine, si velit, eam sibi in hac vita comparari posse contendunt. Paulus certè aliter loquitur etiam de se déque omnibus sanctis, cum ait: *Donec occurramus omnes in virum perfectum.* Item, *Sed veritatem sectantes cum caritate, crescamus seu adolescamus in illum, qui est caput, Christus.* Et Philip 3. *Non quod jam acceperim, aut perfectus sim, sed sequor aliquo modo, ut apprehendam. Fratres, Ego me non arbitror apprehendisse.* Et 1. Joh. 1. *Si dixerimus quod peccatum non habeamus, ipsi nos seducimus & mentimur.* Proinde meritò contemnunt Ecclesiasticum ministerium Anabaptistae: quia ministerium illis tantùm est necessarium, qui nondum pervenerunt in virum perfectum & ad mensuram staturae adulti Christi: ipsi autem eò pervenerunt, si Deo placet.

3. Colligimus etiam ex verbo *Occurrendi* Electos in hoc mundo partim dispersos esse & vagari, partim variis affectibus in Mundum huc atque illuc distrahi; sed tandem omnes simul in unum sibi invicem occursuros, futurúmque unum ovale & unum pastorem, ut docuit etiam Christus. Occurrent ergo tandem

tandem aliquando omnes in unum, per unam eandèmque fidem & cognitionem Christi.

4. Discimus summam fidei doctrinaeque Apostolicae consistere in cognitione Filii Dei: Ait enim, Donec occurramus omnes in unitatem fidei & cognitionis Filii Dei. At *(inquies)* Christus ipse posuit vitam aeternam in cognitione primum Dei, deinde Christi ipsius, *Joh.* 17. Respondeo, Verum: Sed qui novit Filium novit Patrem, & qui habet Filium habet Patrem. Quomodo enim quis verè novit Christum, si non novit Deum, & Christum hujus Dei Filium esse, ac proinde & ipsum esse verum Deum unúmque Deum cum Patre suo, & unum esse utriusque Spiritum? Per Filium autem omnia condita sunt à Patre & reguntur: Filius iste factus est homo è semine Davidis, conceptus de Spiritu Sancto, natus ex Maria Virgine, passus sub Pontio Pilato, mortuus & sepultus pro salute totius Ecclesiae, *id est,* propter peccata nostra expianda, & resurrexit & ascendit in coelum propter justificationem nostram: sedet ad dexteram Patris, & inde regit Ecclesiam, donat remissionem peccatorum, justificat, regenerat: redibit demùm ad judicandum vivos & mortuos, Electos in aeternam vitam introducturus, & impios in ignem aeternum detrusurus. Haec autem est summa fidei & doctrinae Evangelicae. Ergo qui verè novit Christum, quoad utramque naturam & quoad officium, is plenam habet fidei & doctrinae Evangelicae cognitionem: ut non immeritò Apostolus alibi etiam dixerit, *se nihil scire, nisi Jesum Christum, & hunc crucifixum.* Dicendo, Jesum Christum: personam expressit duabus constantem naturis. Dicendo, Et hunc crucifixum: officium indicavit. Certum autem est: Apostolum nil latuisse eorum, quae ad Evangelium pertinent, & ad veram Dei cognitionem. Ergo in vera cognitione Filii Dei summa doctrinae coelestis consistit. Quomodo igitur illi vocari possunt Christiani, fideles, Evangelici, qui Christum negant aut verum esse Deum, ut Ariani: aut verum hominem, ut Anabaptistae: aut perfectum servatorem, ut multi Sophistae? Caeterùm eum neque veri fideles perfectè norunt. Novimus nunc tantùm ex parte, dicebat Apostolus, perfectissimam ejus cognitionem consecuturi in altero seculo, ubi videbimus eum de facie ad faciem. Amen, Amen.

5. Ex illis verbis, εἰς μέτρον ἡλικίας τοῦ πληρώματος τοῦ Χριστοῦ, *id est,* ex isto simili, quo voluit Christus in suo illo naturali corpore quid futurum sit corpori suo mystico declarare, duo nobis observanda sese offerunt: unum de qualitate Ecclesiae, alterum de officio cujúsque Christiani.

Primum tale est: Sicut Christus suo corpore semper adolevit, quousque ad perfectam mensuram plenámque aetatem perductus est, ac tum ita cessavit motus incrementi, ut Christus ad aetatem illam, in qua hominum vires decrescunt, & ad interitum homines accedunt, pervenisse noluerit: Sic etiam idem facturus est in corpore suo mystico, & quotidie in singulis membris facit & facere pergit, donec tandem liberati hac carnis corruptione, & ex hoc seculo erepti, eò perducamur, ubi omne cessat incrementum, & ubi etiam nullum metuendum est decrementum, aut interitus periculum. Ac in fine quidem Mundi Christus suum tandem πλήρωμα accipiet: cùm omnes ad se collegerit, sibique aeterno vinculo copularit. Illa demum erit & totius corporis & singulorum mem-

membrorum & capitis ipsius perfectio. Haec est qualitas Ecclesiae, quam in suo naturali corpore praemonstravit Christus.

Alterum est de officio Christiani hominis: hoc autem est, ut oculos mentis nostrae semper defixos teneamus in Christum, in corpus, *inquam*, illud quod nostra causa crevit usque ad perfectam aetatem, & postea ascendit in coelum, ibíque idem semper permanet beatum. Quorsum enim in suo corpore, quod jam in coelo est, voluit Christus hanc Ecclesiae adolescentiam, & perpetuum ad plenitudinem usque incrementum nobis praemonstrare? Nempe, ut nos ad oculos & corda nostra in illud in caelo contemplandum corpus intendenda & dirigenda excitaret. Quò pertinent adhortationes Pauli, *Col.* 3. 1. Quae sursum sunt quaerite, ubi Christus est in dextera Dei sedens: & alia similia dicta. Qui aedificat, in Archetypum semper intentus est. Archetypus nostri incrementi est corpus Christi in coelo regnantis. Nunquam igitur bene excrescet aedificium nostrum, nostrúmque incrementum spirituale non promovebitur, nisi intentos semper teneamus oculos in Christum, qui, sicut tandem ad perfectam mensuram suum perduxit corpus naturale, sic perducet etiam mysticum.

14. *Ut non simus amplius pueri qui fluctuemus & circumferamur omni vento doctrinae, per aleam hominum, per astutiam ac circumventionem erroris.* 15. *Sed veritatem sectantes in caritate adolescamus in illum per omnia, qui est caput, Christus.*

Ex iis duobus simul conjunctis versibus multiplicem colligimus doctrinam. *Prima* est de officio eorum qui sunt pueri, *id est*, infirmi in fide. Si facile ii seducuntur à Sophistis & haereticis: debent igitur vitare illorum consortia, colloquia, scripta *Col.* 2. Ne quis vos decipiat, &c. Altera doctrina est de usu Ministerii quotidiano. Is necessarius est, ut crescamus in fide & in cognitione Filii Dei. Unde nempe generatur fides, inde etiam nutritur, augescit & incrementum capit. Generatur autem ex auditu verbi Christi. *Roman.* 10. Duabus verò de causis crescendum in fide est & in cognitione Christi quotidie per verbum: *Primum*, Ne si maneamus in Christo parvuli facilè per imposturas astutorum hominum in varios errores à veritate abducamur, ut habet vers. 14. atque ita ne pereamus. Deinde, ut crescentibus nobis in fide ac cognitione Christi, crescat etiam in nobis regeneratio novusque homo, & ita magis ac magis incorporemur & adolescamus in Christum, ut habet vers. 15. ídque faciamus non solùm propter nostram privatam salutem, sed in primis propter salutem totius corporis Christi, *hoc est*, ut tandem Christus caput omnia sua recipiat membra, & ea habeat perfecta: qua in re consistit πλήρωμα corporis ipsius & plena templi exaedificatio, ut cap. 2. vers. 16. habet Apostolus. Totum verò hoc à verbi ministerio, tanquam Christi instrumento, habemus. Christus quidem principalis auctor est fidei & regenerationis, novíque in nobis hominis, sicut etiam incrementi utriusque; sed *(ut dictum est)* facit tam unum, quam alterum ordinariè per Ministerium verbi & sacramentorum. Hujus igitur ministerii utilitatem ac necessitatem in Ecclesia agnoscamus.

3. Colligimus incrementum hoc spirituale, de quo agit Apostolus, duplex esse:

esse: unum totius corporis, alterum singulorum membrorum in sese. Singulorum membrorum est, cùm singuli fideles crescunt in fide & in charitate, & novus in ipsis homo adolescit ac vires accipit; de hoc speciatim loquitur ver. 14. & 15. dicendo: *Ne simus sicut pueri: Sed veritatem sectantes crescamus seu adolescamus.* Totius verò corporis incrementum bifariam fit: primùm accessione quotidiana eorum, qui separati erant, ad corpus & ad unitatem Ecclesiae & fidei, per receptionem verbi & Baptismi ejusdémque fidei professionem, pèrque veram regenerationem & incorporationem in Christum: Et de hoc modo loquitur ver. 13. dicendo, Donec occurramus omnes in unitatem fidei: de quo incrementi genere & modo Matth. 13. sub parabola grani sinapis: & Actor. 6 & 19., Quotidie crescebat numerus discipulorum & credentium. Ubi omnes electi fuerint collecti, tum perfectum erit hoc incrementum, quia assumpta erunt omnia membra. Fit deinde hoc totius corporis incrementum majore interioris hominis in singulis fidelibus indies corroboratione & vivificatione per Spiritum Sanctum intus efficaciter operantem. Dum enim singula membra in corpore humano vivificantur, corroborantur & crescunt: totum etiam corpus simul crescit & augetur, unoquoque membro pro sua mensura ad hoc commune incrementum suam suppeditante ἐνεργείαν.

Ac de hoc speciatim incremento loquitur Apostolus *ver.* 16., *ubi ait*: Ex quo Christo totum corpus congruenter coagmentatum &c. facit incrementum. Atque haec est communio sanctorum secreta & invisibilis: quam ideò dicimus nos credere, qui eam non videmus, sed suam tantúm quisque sentit κοινωνίαν, quam habet cum capite & cum toto corpore, suúmque incrementum.

4. Colligere quoque promptum est ex hoc contextu, ad corpus Ecclesiae non pertinere nisi renatos in Christo. Mortua enim membra non augentur nec capiunt incrementum, neque adolescunt nisi viventes sumptione alimenti: mortui autem non edunt. Unde etiam consequitur, impios, & qui vera Christi membra non sunt, non vesci cibo spirituali carnis Christi, nec sanguinis ejus fieri participes. Quocunque enim mortis genere quis mortuus est, is ejus generis cibis vesci non potest. Soli igitur renati in Christo & vescuntur & nutriuntur carne ac sanguine Christi, solíque incrementum capiunt & adolescunt in Christum.

5. Illud εἰς τὸν Χριστὸν, seu in eum, qui est caput, Christum, motum significat perpetuum in Christum, motum, *inquam*, non localem, sed spiritualis incrementi: nempe quòd qui adolescit, is semper eò tendat, ut magis magísque Christo incorporetur, similis ei evadat, & unum fiat cum illo. Nec solùm is eò respicit, & ut talis fiat incumbit, sed re ipsa talis fit, qui adolescit in Christum. Hoc est, quod supra etiam dixit in accusativo: Donec occurramus in virum perfectum ad mensuram aetatis plenè adulti Christi: Et cap. 2., de eo qui aedificatur super fundamentum, ait, crescit in templum sanctum in Domino. Discimus ergo adolescentiam hanc spiritualem eò spectare, ut magis ac magis cum Christo coalescamus, illi incorporemur, in illo corroboremur, & ut non solùm ei similes, sed unum & idem fiamus cum illo: Imò hanc adolescentiam in Christum nihil aliud esse, quàm incrementum hujus incorporationis, coagmentationis, insitionis & unitionis cum Christo & in Christum, donec tandem

plenè

plenè ac perfectè unum fiamus cum illo in coelesti patria. Observandi sunt hi accusativi, in Christum, in ipsum, in templum sanctum, in virum perfectum, &c.; magnam enim habent emphasin. Quale monstrum esset, si quis haberet caput humanum, membra autem partim porcina, partim asinina, partim canina, aliorùmque brutorum? Non est ergo cur illi glorientur se membra esse Christi, qui non ita adolescunt in Christum, ut indies magis ac magis similes fiant Christo capiti: quando corpus Christi monstrosum non est, sed formosum, & membra eandem vitam vivunt, quam & caput (ossa ex ossibus ejus & caro de carne ejus.) Quo illud Petri: Fecit vos participes divinae suae naturae. 2 Pet. 1. 4.) Haec est vis locutionis Adolescendi in eum, qui est caput, Christum.

Quibus addo hac locutione significari etiam finem, in quem tendat & dirigenda sit haec spiritualis adolescentia: nempe ad caput, ad Christum, *scilicet*, ut ipsum caput tandem omnia & perfecta habeat sibi inseparabiliter conjuncta membra: Et Christus, sicut in sua persona, etiam quatenus homo perfectus fuit & est, suum habens πλήρωμα & ad perfectam staturam pervenit: sic etiam in suo corpore mystico suum πλήρωμα consequatur, & sit integer & perfectus Christus, caput cum corpore. Hic est finis, in quem tendit & in quem dirigendum est hujus nostrae adolescentiae hujusque incrementi spiritualis studium.

6. Ex illa etiam particula, ἀληθεύοντες ἐν ἀγάπῃ, hanc colligimus doctrinam, ad hanc veram adolescentiam spiritualem promovendam necessarium esse sincerum tùm veritatis retinendae ac propagandae tùm fraternae charitatis colendae & exercendae studium: sincerum, *inquam*, studium, non hypocriticum & simulatum: quia illud verbum ἀληθεύειν non significat tantùm veritatem doctrinae sequi, sed sincerè & veraciter atque candidè sese tùm in doctrina & verbis, tùm in amore & actionibus omnibus, gerere. Ergo sine vero ac perpetuo fidei ac doctrinae Christianae retinendae & caritatis colendae & exercendae studio, nemo putet se adolescere posse in Christum. Hanc eandem charitatis conditionem repetit in versu 16. & supra; cùm egit de ratione unitatis Ecclesiasticae servandae, adjecit hanc particulam, dicendo, *Tolerantes alii alios* ἐν ἀγάπῃ. Christus certè non habitat in cordibus nostris nisi per fidem, supra cap. 3. Sed vera fides operatur per dilectionem. In Christo igitur non est, nec Christus in eo, qui caret dilectione erga sanctos. Ideò 1 *Joan*. 4. Qui manet in caritate, in Deo manet, Deus enim est ipsa caritas.

Ad verum igitur incrementum in Christo faciendum sciamus necessarium esse sincerum ac verum tùm fidei ac veritatis, tùm fraternae dilectionis studium.

7. Pertinet huc, quod ait, τὰ πάντα: id est, κάτα τὰ πάντα, secundum omnes nostras partes, adolescendum esse in Christum. Nam etiam homo cùm adolescit, adolescit et crescit secundum omnes suas partes, internas & externas: crescunt pedes, tibiae, crura, venter, brachia, pectus, intestina, cor, hepar, ventriculus, splen, denique nihil est quod non crescat: imò & singula membra secundum omnes suas particulas crescunt, quia crescit os, medulla, caro, nervi, venae, tendines, &c. In incremento igitur hoc spirituali oportet nos crescere non

non solùm cognitione veritatis in mente, sed & amore ac caritate in corde caritatísque operibus, pedes, manus, linguam & totum corpus ad id accommodantes. Quare ne putet quis se crescere & adolescere verè in Christum, si tantùm augeatur indies cognitione veritatis, nisi etiam sentiat se crescere in caritate, in mortificatione affectuum, in visceribus miserationum. Hoc est adolescere τὰ πάντα.

Confirmat hanc doctrinam particula εἰς τόν Χριστόν. Oportet enim crescere in Christum totum, non in partem, eóque secundum omnia, quae in Christo videmus, ut indies fiamus magis ac magis participes divinae ejus naturae & Spiritus ipsius.

8. Quòd verò Christus vocetur *caput* nostrum totiúsque Ecclesiae, quatuor modis id intelligendum esse non malè docent interpretes, & imprimis Philippus Melanchthon: nempe Efficacia, Perfectione, Merito, Ordine. Efficacia, quia Ecclesiam suo Spiritu vivificat, sustentat, regit & servat: Perfectione, quia antecellit omnibus Angelis & hominibus sapientia & justitia: Merito, quia obedientia crucis expiavit peccata, & obedientia legis satisfecit justitiae Dei, ut quotquot in ipsum crediderint, ipsius Christi justitia habeantur justi: Ordine, quia est Ecclesiae Monarcha. Haec alii, & verè. Sed praecipua causa ea mihi esse videtur, cur appellari voluerit nostrum caput, & nos ejus membra, caput, *inquam*, non politicum, quale est Rex respectu sui populi, sed naturale, quale est caput in nostro corpore: causa, *inquam*, est, nempe ut significaret unionem, quam nobiscum habet, esse omnium arctissimam & perfectissimam, qualis nimirum etiam est capitis nostri cum omnibus suis membris: ita ut primùm, sicut ex capite & ex omnibus membris unus tantùm constat homo, sic ex persona Christi & ex omnibus Electis Christo insitis, unus constet Christus, *hoc est*, unum corpus mysticum, quod Christus vocatur ab Apostolo, 1 Corinth. 12.; & secundò, ut sicut humanum corpus, si vel uno careat membro, perfectum corpus humanum non est, sic sciamus Christum non se judicare perfectum, nisi omnia tandem membra sua, *id est*, Electos sibi copulet: qua de causa Ecclesiam, *id est*, nos in cap. 1. vocavit πλήρωμα ejus, qui omnia in omnibus implet, *id est*, perficit, nempe Christi. Haec est una causa cur Christus caput nostrum vocetur. Hinc verò postea sequitur, eum esse caput Efficacia, Perfectione, Merito, Ordine, ut suprà explicatum est. Discamus ergo, quanta sit unio nostri cum Christo, & Christi nobiscum: *Ille est caro de carne nostra, & nos caro de carne illius:* Ille sese nobis univit arctissimo vinculo nostrae à se assumptae carnis, factus homo, ut nos sibi vicissim strictissimo nexu Spiritus sui in sempiternum copularet, eóque vivificaret & regeret, sicut caput membra, suaeque justitiae & sapientiae, & tandem etiam aeternae felicitatis participes efficeret. Hoc ita se habere declaravit Apostolus versu insequenti 16.

16. *Ex quo totum corpus congruenter coagmentatum & compactum, per omnem juncturam subministrationis, secundùm efficaciam in mensura cujusque partis incrementum corporis facit, in aedificationem sui ipsius per charitatem.*

Praeter

Praeter ea quae in explicatione hujus versiculi diximus de incremento spirituali, quod Ecclesia & singula ejus membra pro sua quódque mensura faciunt, multiplicem etiam hinc colligimus doctrinam, atque inprimis veram Ecclesiae à multis proprietatibus descriptionem.

Prima proprietas est, quòd Ecclesia non constat nisi ex Electis, non simpliciter, sed Spiritu Christi jam renatis & Christo reipsa, sicut membra capiti, adglutinatis & coagmentatis. Docet hoc Apostolus, cùm ait, Ex quo Christo *(tanquam capite)* totum corpus congruenter coagmentatum est. Non dicit à quo *(Nam etiam ab eo sunt animalia)* sed ex quo tanquam ex capite. Oportet igitur Ecclesiam renatam esse ex Spiritu Christi. Confirmat particula *per juncturas.* Harum autem prima ac praecipua est Spiritus regenerationis. Hac enim immediatè jungimur Christo. Confirmatur haec proprietas ex aliis Sanctae Scripturae locis. Joan. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto non potest ingredi in regnum Dei.* Ecclesia autem Christi est ipsum Dei regnum. Nisi ergo quis per Spiritum Christi sibi communicatum regeneretur, Christóque capiti in unum cum aliis Electis concorporetur: is ad Ecclesiam Christi non pertinet, nec membrum Ecclesiae dici verè potest. Ut enim ad corpus humanum non pertinent illa, quae cum capite & cum aliis membris nullam habent per juncturas nervósque connexionem, & quae eadem anima non vivificantur à capite, veluti sunt faeces in corporibus nostris & omnia excrementa: Sic neque ad Ecclesiam, qui per Spiritum Sanctum cum Christo & cum aliis sanctis conjuncti non sunt, & eodem Spiritu non vivunt, utut in Ecclesia sint, & cum aliis conversentur, & sacramentis participent, atque etiam fide temporaria praediti sint, pertinere verè dici possunt.

Secunda est, quod vera Ecclesia ex solo Christo tanquam capite pendet, collecta & compacta est, vitamque & omnia accipit bona: quando etiam in solo Christo fuit electa, per solum Christum creata, per solum Christum redempta, per solum Christum vocata, soli Christo insita, in solo Christo justificata, & in solo etiam Christo glorificanda. Ait enim, *Ex quo* (Christo, nempe solo) *totum corpus compactum &c.* Proinde meritò Ecclesia vera unum solum Christum pro suo capite agnoscit. Quis enim est, qui hoc corpus mysticum ex electis colligit & conflat? Christus: Ait enim Apostolus, *Ex quo* (Christo) *totum corpus collectum &c.* Licet ergo hominum ministerio utatur Christus in colligenda sibíque adglutinanda Ecclesia: ipse tamen revera est ille, qui Ecclesiam colligit & congruenter sibi conglutinat. *Ex quo compactum & conglutinatum corpus &c.*

Tertia proprietas est, quòd corpus Ecclesiae pulcherrimo & maximè concinno ac congruenti ordine compositum est: quemadmodum & naturali corpore Christi nihil fuit aut est pulchrius & congruentiori ordine coagmentatum.

Hunc ordinem congruentissimum significat, cùm ait συναρμολογούμενον &c. In humano corpore ordo iste in eo consistit, ut omnia membra suo quodque loco posita sint, ad ornamentum & utilitatem totius corporis: organa sensuum in capite: organa cibum concoquendi & coctum distribuendi in pectore, atque ita de aliis. Idem in corpore mystico considerandum & oculo mentis contemplandum est.

Cae-

Caeterùm ordo iste ac congruens membrorum Ecclesiae dispositio duplex est: unus ordo soli Deo plenè vereque notus atque perspectus est: alter nobis quoque non ignotus. Prior in hoc consistit, quòd licèt omnes Electi aequaliter pro sua quisque portione vivificentur à Christo: non eadem tamen Spiritus & donorum mensura omnes donati sunt, sed alii sunt coram Deo instar oculorum, alii instar aurium, alii sunt manus, & pedes alii. Quò pertinet, quod Christus quibusdam dicebat, *illos esse modicae fidei*, aliis, *quod magna esset ipsorum fides.* Item, quòd supra dixit Apostolus: Unicuique nostrum data est gratia, secundum mensuram donationis Christi. Neque iidem sunt gradus & ordines inter Angelos, sed alii superiores alii inferiores, principatus & potestates, Angeli, Archangeli, omnes tamen pulcherrimo ordine collocati atque dispositi. Eodem tamen Spiritu vivunt Electi omnes, & eodem Spiritu aguntur & agunt: quanquam diversa sit fidei mensura, diversa Spiritus Sancti dona, diversae functiones. Ad summam dubitandum non est, quin, sicut in humano corpore pulcherrimo & congruentissino ordine collocata sunt omnia membra: sic etiam non dissimilis ordo sit inter omnia Ecclesiae membra coram Deo, quanquam nos hujusce ordinis non nisi vestigia quaedam videamus. Est enim Deus autor ordinis.

Alter nobis quoque notus est, quia visibilis ordo fidelium est in Ecclesia pro diversitate visibilium donorum & vocationum. Alii enim Apostoli, alii Prophetae, alii Evangelistae, alii Pastores, alii Doctores, alii Diaconi, alii Principes, alii subditi, alii Domini, alii servi, alii Patresfamilias, alii liberi, alii nobiles, alii opifices, alii agricolae, &c. Et omnes tamen Filii Dei, omnes membra Christi, omnes eundem habent Spiritum. Hic est ordo concinnus membrorum, Spiritus, functionum. Et vult Christus caput hujus corporis, ut unumquodque membrum suo maneat loco, & in sua statione se contineat. Quo pertinet, quod ait Apostolus 1 Corinth. 7. Unusquisque in ea maneat vocatione, in qua vocatus est. In Canticis Canticorum dicitur de Sponsa, quòd tota sit formosa & tota pulchra. Pulchritudo autem in concinna membrorum dispositione & colorum varietate consistit. Qualis est, obsecro, inter elementa ordo, inter orbes coelestes, inter omnes mundi partes? Et ideò vocatur Κόσμος. Multò augustior & formosior ordo ac dispositio membrorum est in corpore Christi, quod est Ecclesia. Qui igitur ordinem Ecclesiasticum turbant, corpus Christi, quantum in ipsis est, deformant, lacerant. Atque hoc ex participio συναρμολογούμενον.

Quarta proprietas est, quòd omnia membra in hoc corpore non solùm pulcherrimo ordine collocata sunt sub uno capite Christo: verùm etiam arctissimo & indissolubili vinculo constricta atque compacta sunt, vinculo, *scilicet*, Spiritus Sancti. Vinculo etiam fidei charitatis & pacis. Hoc significat Apostolus dicendo, καὶ συμβιβαζόμενον. Qualitas haec manifestissima est in corpore humano: ubi non solùm spectatur concinnus ordo membrorum, sed etiam tenacissima inter se & cum capite conjunctio atque constrictio. Videmus eandem in hac magna Mundi machina, quam omnes Mundi partes sint & suavissimè & simul etiam solidissimè coagmentatae atque conjunctae. Nihil igitur firmius Ecclesia Christi, quae ex capite Christo pendens tota simul coagmentata & constabilita est. De firmitudine Ecclesiae infinita sunt testimonia in Sanctis Literis. Illud omnibus notum est, *Super hanc petram aedificabo Ecclesiam*

siam

siam meam, & portae inferorum non praevalebunt adversus eam. Nam hujus conservandae causa caeteras quoque Mundi partes servat Dominus. Hinc discimus, quanta animorum & voluntatum consensio, quàm firma & tenax amoris & cordium conjunctio esse inter nos debeat, si vera sumus hujus συναρμολογοίμενου καὶ συμβιβαζόμενου σώματος τοῦ Χριστοῦ membra. Pertinet huc particula illa in initio capitis, *Solliciti servare unitatem Spiritus in vinculo pacis.* Pertinet huc etiam quinta proprietas.

Quinta proprietas est, quòd Ecclesiae corpus non uno tantùm, sed multis & variis vinculis, juncturis, commissuris, nervis, venis, tendinibus, ligamentis conjunctum & constrictum est, constrictàque omnia simul habet membra, ut non facilè unum ab altero aut à capite divelli possit, capite omnia in unum servante. Docet hoc cum ait,

Per omnem juncturam. Juncturarum nomine diximus intelligi omnia illa, quibus cum Christo capite & inter nos conjuncti sumus & cohaeremus & consociamur. Quarum prima ac principalis est Spiritus Christi, quo omnes cum Christo & inter se conglutinati sunt. Nam qui non habet Spiritum Christi, is non est ejus. Hinc pendent reliqua omnia ligamenta, tàm interna quàm externa. Vinculum fidei ac religionis: vinculum charitatis & pacis: vinculum baptismi & coenae Domini, quorum legitimo usu magis ac magis fimus unum cum Christo & inter nos: vinculum diversarum vocationum in Ecclesia, quibus alii aliis inserviunt & subministrant. Ista sunt vincula & juncturae propriae Ecclesiae Christi: & vincula religionis atque Ecclesiastica vocari possunt, quae suam habent efficacitatem à primo vinculo, quod est Spiritus Sanctus. Accedit vinculum humanae necessitudinis & naturae. Sumus enim omnes homines, & hoc vinculo quisque tenetur alterum diligere & fovere. Accedunt postea vincula etiam politica & domestica. Haec etiam non parum ponderis habent apud pios ad colendam unitatem & societatem inter se, veluti est ejusdem patriae, ejusdem urbis, & ejusdem Reipubl. Vincula item domestica, quae tria sunt praecipua, unum est vinculum conjugii, quô vir & uxor in Domino conjugati sibi etiam mutuò serviunt in Domino, & sese mutuò ad ambulandum in via Domini & ad liberos in Domino instituendos exstimulant. Secundum vinculum est patris & liberorum. Tertium vinculum Domini & servi, herae & ancillae. Neque enim Christus haec vincula aliis quoque Gentibus communia sustulit, sed potiùs benedixit, ut unitati Ecclesiae conservandae & saluti totius corporis promovendae inserviant. Haec igitur est quinta proprietas Ecclesiae, quod sicut à Domino iis ligamentis & vinculis firmiter connexa & copulata est: sic etiam ea non solvit, sed studet servare. Ideò veri fideles non objiciunt Spiritum Sanctum, non amittunt fidem, non violant charitatem, non abjiciunt spem, non contemnunt ministerium verbi & sacramentorum, non solvunt unitatem Ecclesiae, non rumpunt vinculum pacis & concordiae, non sunt autores divortiorum, non turbant statum Reipubl. aut pacem publicam: sed quibuscunque vinculis vident se fuisse à Domino in Ecclesia cum aliis colligatos ad unitatem totius corporis servandam, ea cara habent & colunt.

Sexta proprietas est, quod nullum membrum in hoc corpore est vel mortuum vel otiosum, nec sibi etiam soli vivit aut servit: sed quam à capite

accepit vitam & nutrimentum aliáve bona, eadem etiam aliis communicat ac subministrat, ídque per eas juncturas, per quas ipsi etiam à capite suppeditantur: puta, ut quam quis per juncturam minísterii Ecclesiastici pérque juncturam Scholarum Christianarum accepit & accipit à Domino salutis doctrinam, eandem & ipse factus Minister & Doctor, per eandem ministerii vel muneris Scholastici juncturam, aliis communicat: & sic vicissim alii aliis. Quae quis item accepit bona per ministerium parentum, eadem ipse per juncturam & vinculum conjugii subministrat uxori & liberis: & per juncturam humanae societatis & necessitudinis, per juncturam item charitatis, aliis etiam hominibus egentibus de suis bonis subministrat. Denique quisque in sua vocatione sese utilem praebet Ecclesiae, & singulis proximis sibi membris. Proprietatem hanc docet Apostolus, primùm, cùm juncturas has juncturas vocat subministrationis, quia per eas & nobis à Christo bona tum temporalia tum maximè spiritualia subministrantur. Et nos vicissim, in sua quisque vocatione & per suum quisque ministerium, aliis subministramus. Item eandem proprietatem clariús explicat, cùm cuique membro suam dat ἐνεργείαν, secundum quam incrementum facit corporis. Pertinent hûc adhortationes Apostoli in fine etiam hujus capitis, ubi ait, *Estote alii in alios benigni, misericordes, condonantes vobis invicem, sicut & Christus condonavit vobis.* Item cap. 5. *Uxores subjectae sint viris suis, sicut & Ecclesia Christo: & vicissim viri diligant uxores suas sicut & Christus Ecclesiam.* Ecce juncturam conjugii, per quam Apostolus vult, ut maritus uxori, & uxor marito suppeditet eam, quam à Christo acceperunt gratiam. Et in cap. 6. parentibus mandat, ut liberos suos instituant in doctrina & disciplina Dei: & filiis, ut debitum honorem praestent parentibus. Ecce juncturas, per quas quae quis accepit à Domino beneficia, sive spiritualia sive corporalia, ea communicant filii Dei alii aliis.

Nullus igitur verè fidelis nullúmque verum Ecclesiae membrum vel vitae spiritualis expers, vel otiosum esse, vel sibi soli vivere ac servire potest: sed in studium promovendi aliorum salutem incumbit, & ad hoc, pro sua virili & ἐνεργείᾳ, quicquid à Christo accipit confert.

Hinc sequitur *septima* proprietas: ea est συμπάθεια, quâ, si quid adversi uni membro contingat, alia quoque membra eandem sentiunt calamitatem: ac proinde ad opem ferendam illi membro affecto accurrunt alia membra pro suo quodque officio. De hac proprietate passim scripturae docent, quae est & esse debet inter fideles in Ecclesia. *Alter alterius onera portate,* dicebat Apostolus, *& sic adimplebitis legem Christi.* De se ipso, *Quis infirmatur* (inquit) *& ego non infirmor?* Haec proprietas manifesta est ex iis, quae dicta sunt de omnibus membris strictè simul compactis & sibi invicem servientibus. Videant igitur illi, qui nulla afficiuntur commiseratione erga eos, qui propter Christum variis premuntur calamitatibus, qualia sunt membra in hoc corpore. Ad verum Christi corpus non pertinent, & de Ecclesia non sunt, quia carent hac proprietate, id est συμπαθείᾳ.

Octava est, quod nullum membrum habet omnia dona Spiritus Sancti, cùm hoc solius sit capitis, sed suum quodque habet ad mensuram: nullum verò est, quod suo careat dono, quo sese utile reddat corpori: quanquam fideles alii

aliis

aliis plura & praestantiora habeant, omnes tandem ad mensuram. Omnes habent fidem, sed neque omnes aequalem & eadem mensura. Sic de aliis bonis spiritualibus & temporalibus & de vocationibus dicendum est, ut etiam manifestum est. Qua de re Apostolus 1. Cor. 12. *Non omnes Apostoli, non omnes Prophetae, &c.*, sicut etiam in corpore humano varia sunt dona singulis membris communicata, & omnia ad mensuram. Nec tamen unum membrum invidet alteri membro: sed quodque suo dono suáque sorte contentum est. Veri igitur fideles in Ecclesia contenti sunt sua sorte, nulla laborant invidia, nec quae sunt alterius dona & bona, ea sibi usurpant. Atque hoc est, quod Apostolus ait ad 1. Corinth. 13. *Caritas non invidet, non aemulatur.* Satis quisque habet, si quod accepit talentum, illud possit in communem utilitatem conferre. Hanc proprietatem colligimus indè, ubi ait, unumquodque membrum facere incrementum κάτ ἐνεργείαν ἐν μετρῳ ἑνὸς ἑκάστου μέρους.

Nona est, quòd omnes veri fideles in Ecclesia semper proficiunt, adolescunt, & incrementum faciunt: tantùm abest ut prorsus deficiant à corpore. Atque hoc est praecipuum caput in hoc loco, de perseverantia & incremento sanctorum. Non enim ait Apostolus, quod debeant facere incrementum, sed quod faciant, ποιεῖται αὔξησιν. Sed quale incrementum? Subdit, τοῦ σώματος, *id est*, tali corpori conveniens. Incrementum igitur filiorum Dei non consistit in divitiis cumulandis & aliis hujus seculi rebus: sed in iis, quae tali corpori Christi competunt & conveniunt in vita Dei, in pietate, in vera religione.

At quomodo faciunt incrementum sancti perpetuò, cum quotidie peccent, & aliquando gravissimè?

Resp. Peccant ex infirmitate, & secundùm carnem, mens tamen recta in Deum manet. Non enim propterea excidunt prorsus à Christo, nec destituuntur nutrimento, quod à capite in illos fluit. Ideò incrementum capiunt, quia capiunt nutrimentum, nec verbum contemnunt. Exemplum. Etiamsi in corpore membrum unum aliquod accipit vulnus: num propterea non accipit alimentum & incrementum? Capit dum manet adjunctum corpori reliquo & capiti. Idem contingit verè sanctis membris Christi. Deinde Christus pro sua bonitate efficit, ut etiam peccata convertantur in bonum suis fidelibus. Surgunt enim humiliores, fiunt cautiores, sicut David & Petrus. Non potest igitur impediri verum verè fidelium incrementum. Haec est praecipua consolatio hujus loci. Qui igitur tandem pereunt, testimonium dant, se nunquam fuisse vera & viva membra.

Decima proprietas est, quòd veri fideles in hoc incremento non tam quaerunt propriam salutem, quàm salutem totius corporis, ut Christus caput suum tandem integrum & perfectum accipiat corpus. Hanc habemus ubi ait, *In aedificationem sui ipsius, totius,* scilicet, *corporis, &c.*

Haec est causa finalis, & hanc respiciunt sancti.

Undecima est, quòd omnes sancti in hoc corpore praediti sunt caritate, & quicquid agunt, ex caritate agunt. Ex his omnibus hujuscemodi Ecclesiae descriptionem colligere possumus, quae haec est:

Ecclesia est corpus mysticum, ex Christo tanquam ex capite ortum vitam ac motum habens, & ex electis per Spiritum Sanctum renatis tanquam ex

propriis

propriis membris constans: in quo omnia membra, tùm cum capite tum inter se, congruentissimo ordine collocata & coagmentata, & firmissimè ac tenacissimè simul constricta, idque per juncturas & ligamenta spiritualia ejusdem nimirum Spiritus Christi, ejusdem fidei, spei & charitatis, doctrinae sacramentorum, totiúsque religionis, & diversarum in ea functionum, nec non & per juncturam humanae necessitudinis ac societatis, saepè etiam per vinculum ejusdem nationis, patriae, urbis, familiae, consanguinitatis, affinitatis, amicitiae, aliáque vincula: in quo, *inquam*, omnia membra simul cum capite connexa, semper tum spiritualem vitam vivunt, tum pro suo quodque munere secundùm donorum mensuram & ἐνεργείαν operantur: ac quae per commissuras à capite recipiunt bona, ea alii aliis per easdem commissuras subministrando, incrementum tali corpori congruens tamdiu per charitatem mutuámque inter se dilectionem faciunt, dum totum corpus exaedificetur & ad perfectam staturam perducatur: id quod futurum est, *cùm Deus erit omnia in omnibus.*

PARS TERTIA CAPITIS QUARTI.

Sequitur nunc tertia pars hujus 4. cap. in qua Ephesios cúm ad studium regenerationis magis ac magis perficiendae, tum ad ejus fructus proferendos hortatur Apostolus.

17. *Hoc itaque dico & obtestor per Dominum, ne ampliùs ambuletis, &c.*

Continuatio hujus partis cum superioribus haec est. Explicata doctrina de fide tribus prioribus capitibus, inde generalem adhortationem ad vitam Christiano homine dignam traducendam deduxit atque exorsus est, dicendo *ver.* 1. Precor itaque vos Ego vinctus in Domino, ut ambuletis sicut dignum est vocatione, quâ vocati estis, in omni humilitate. Peculiariter vero hortatus est cumprimis ad studium conservandae unitatis istius corporis Christi, in quo ipsi quoque Ephesii insiti fuerant: ídque fecit multis argumentis, quorum postremum à qualitate & conditione hujus corporis deductum fuit: conditio autem illa & proprietas haec est, nempe, quòd nisi omnia membra maneant inter se coagmentata, ita ut superiora inferioribus, per debitas juncturas, pro sua quódque mensura subministret quod à capite accepit: ea nutriri ac proinde incrementum facere non possint, quare tandem intereant necesse est. Atqui corpus hoc Christi mysticum interire non potest, sed semper facit incrementum, donec perveniat ad justam mensuram, sicut etiam fecit corpus ejusdem Christi naturale. Fieri igitur non poterit, ô Ephesii, si vera estis membra hujus corporis, quin maneatis simul uniti, & totius corporis unitatem conservare studeatis per vinculum pacis, concordiae, ac charitatis. Quare si quis unitatem corporis hujus solvat, manifestam dabit significationem, se verum membrum corporis non fuisse. Hûc spectant omnia quae dixit cùm de ministerio, per quod suppeditatur alimentum corpori, tum de ipsius corporis coagmentatione & incremento, quod facit per charitatem.

Nunc itaque absoluto hoc, quod praecipuum erat de unitate Ecclesiae conservanda,

vanda, argumento: resumit adhortationem de vita christiano homine digna, & quae membris talis corporis conveniat, instituenda, & ait:

Hoc igitur dico & obtestor per Dominum: Quasi dicat, hoc igitur est quod coeperam dicere & rogare, nempe, *ut ambuletis, sicut dignum est vocatione, quâ vocati estis.* Non enim estis ampliùs gentes profanae, sed filii Dei membráque Christi: non debetis igitur ampliùs ut gentes vivere, sed ut filii Dei. Haec est continuatio textus praesentis cum superioribus.

Summa verò eorum, quae hîc tractat, haec est.

1. Docet in genere non ampliùs esse Ephesiis ambulandum, sicut reliquae gentes ambulant, sed sicut illos decet, qui ab impio statu ad Christum efficaciter vocati sunt. Atque hoc confirmat à contrariis causis: à quibus enim infideles ad omnia facinorum genera perpetranda impelluntur, illis contrariae sunt, quibus adduci debent fideles, ut mores moribus infidelium prorsus contrarios, mores nimirum tales, quales etiam in Christo fuerunt, persequantur. Ita breviter describit, ídque in genere, tum foeditatem vitae gentilium, tum vitae renovationem, quam sequi debent renati in Christo.

Atque hoc facit primis octo versibus à vers. 17 usque ad 25. Hoc est primum.

Deinde, ab hac generali adhortatione transit ad particulares, vitiis aliquot veteris hominis, quae vitare debent, recensitis, & contra fructibus praecipuis novi hominis, quos ut proferant rogat, in medium propositis. Et hoc à vers. 25 ad finem usque.

Nunc contextum perstringamus.

17. *Hoc itaque dico & obtestor in Domino, ne ampliùs vos ambuletis, sicut & reliquae gentes ambulant in vanitate mentis suae.*

18. *Excaecati intelligentia* (τῇ διανοίᾳ) *existentes abalienati à vita Dei, propter ignorantiam, quae est in ipsis, propter obdurationem cordis eorum.*

Εσκοτωμένοι scilicet ἄνθρωποι ἔθνικοὶ, respexit res ipsas, homines nimirum, non nomen τὰ ἔθνη.

19. *Qui posteaquam dedoluerunt* (id est, dolere desierunt) *semetipsos dediderunt lasciviae* (alii proterviae, ἀσελγείᾳ, id est, effreni peccandi libidini) *ad patrandam immunditiem omnem, cum aviditate* (ad verbum, ad patrationem omnis impuritatis in aviditate.)

Hos tres versus, qui uno contextu legendi sunt, Syriacus sic tradit.

Hoc autem dico & testor per Dominum, ut deinceps non ambuletis, sicut residuum gentium, quae ambulant in vanitate cognitionis suae: Et tenebrosae sunt (Gentes) in intellectibus suis, suntque alienae à vita Dei, propterea quòd non est in eis notitia, & propter caecitatem cordis sui. Quae ἀπηλγηκότες absciderunt spem suam, & tradiderunt se ipsos lasciviae, & ad perpetrationem omnis impuritatis in cupiditate sua.

His tribus versibus, quibus hortatur ne ambulemus sicut gentes, describit naturam gentium, *id est*, eorum omnium, qui Spiritu Christi renati non sunt: describit, *inquam*, tùm à causis moventibus, túm ab effectis.

Causas totius impiae & turpissimae vitae in non renatis tres assignat, tanquam tria Cerberi capita. *Prima* est vanitas mentis, ματαιότης τοῦ νοός αὐτῶν, vers. 17. *Secunda*, obtenebratio, seu caecitas intelligentiae. Sunt enim εσκοτωμένοι τῇ διανοίᾳ. *Tertia*, est obduratio cordis πώρωσις τῆς καρδίας: & una nascitur ab altera. Has duas tradit vers. 18.

Effectum unum in genere ponit, cùm ait, gentes ambulare, *id est*, vitam ducere in vanitate mentis suae, vers. 17.

Alter effectus specialis est, & hic est ἄγνοια τοῦ θεοῦ, quae oritur ex vanitate mentis, & ἐκ διανοίας, excaecatione seu caecitate.

Tertius qui sequitur ex secundo, est abalienatio à vita Dei. Ait enim, eos abalienatos esse à vita Dei, propter ignorantiam quae est in ipsis: & hos duos effectus tradit vers. 18.

Quartus effectus est indolentia ac stupor, quo non ampliùs sentiunt ac dolent peccata sua, seu est amissio omnis συντηρήσεως & conscientiae. Hinc sequitur

Quintus, qui est ἀσέλγεια, *id est*, protervia, seu effrenis quaedam peccandi libido. Amissa enim conscientia, quid scelerum non appetit impius? Hinc sequitur

Sextus, is est actualis cujusvis sceleris perpetratio: illa enim peccandi libido prorumpit, quoties datur occasio in omnis generis flagitia: vocatur à Paulo ἐργασία πάσης ἀκαθαρσίας. Additur ad extremum

Septimus, qui est aviditas πλεονεξία: nunquam ita saturantur vel libidinibus ac voluptatibus, vel ebrietatibus, vel avaritia, aliisve peccatis, quin plura adhuc appetant, & aveant admittere. Hanc peccandi insatiabilitatem vocat πλεονεξίαν. Haec 4 effecta postrema habemus in vers. 19. Haec est naturae & vitae hominis non renati descriptio à causis & effectis, qua declaratur qualis sit intus & foris. Hac ἀναλύσει omnia faciliora redduntur. Singulos igitur percurramus versus.

17. *Hoc igitur dico & obtestor in Domino, ne amplius vos ambuletis, sicut & reliquae gentes ambulant in vanitate mentis suae.*

Illud μαρτύρομαι ἐν Κυρίῳ, Scholia sic: τοῦτ᾽ ἐστι, μάρτυρα τὸν Κύριον καλῶ, ὅτι εἶπον τὶ δεῖ ὑμᾶς πράττειν. Sed magis placet, ut sit obtestatio, quasi dicat, *Rogo per Dominum ne ambuletis.*

Illa ἀντίθεσις inter ὑμᾶς & τὰ λοιπὰ ἔθνη, cum illa particula μηκέτι περιπατεῖν, emphasin habet: & est ac si dicat, *Eratis & vos Gentes, sed nunc non estis amplius:* Ergò sicut mutastis religionem, sic mutanda vobis est vita: Et sicut non colitis amplius vana idola, sicut illae: sic non debetis ampliùs ambulare & vivere, quemadmodum illae. Hinc colligimus, aliquos inter Ephesios fuisse, qui adhuc in multis ambularent, in quibus & gentes reliquae.

Porrò volunt Scholia, mentem vocari vanam à fine, seu ab objecto, quòd mens infidelis hominis occupetur circa vana: nihil enim vanius idolis illorúmque cultu. Sed aliud sibi voluit Apostolus, nempe praestantissimam etiam animae in non renato partem, nimirum τόν νοῦν, esse vanissimam in sese, praesertim quoad ea, quae ad religionem pertinent, & ad veram felicitatem: ac proinde,

proinde, non etiam occupari illam posse, nisi circa vana. Quid igitur sentiendum de reliquis hominis partibus? Quid autem significat μάταιον? *Vanum* tria significat, & juxta omnia haec significata mens hominis non renati vana est: *Primò*, vanum dicitur, quod inane & vacuum est, seu quod re ipsa destituitur. *Virg.* Sed illos expectata seges vanis elusit avenis, id est, inanibus & vacuis. Sic idola vocantur vana, quia foris videntur esse Dii, & intus vacua sunt omni Deitate & sensu. Idolum (inquit Paulus) nihil est. Sic Act. 14. Paulus & Barnabas dicebant gentibus, *Annunciamus vobis, ut ab iis vanis convertamini ad Deum vivum.* Sic igitur mens humana in iis, quae ad Deum ac religionem, veràmque felicitatem pertinent, vana est: quia licet de Deo multa ethnicus cogitet putétque & dicat se Deum nôsse & colere: totum tamen hoc nihil est, & vanum idolum loco veri Dei habet in mente & colit.

2. Vanum dicitur id, quod effectum, qui sperabatur, non assequitur. Sic Salomon in Ecclesiaste studium sapientiae & gloriae & deliciarum, quod secutus fuerat, vanum appellat: propterea quod per illud solidam animi pacationem & tranquilitatem ac oblectationem, quam quaesierat, non est consecutus. Sic dicitur spes vana, quae frustratur re sperata. Hoc etiam modo mens non renati vana est, quia multa sibi pollicetur ex cultibus à se excogitatis, ex suis item consiliis & operibus, & nihil interim earum rerum assequitur, sed contraria potiùs, puta, non remissionem peccatorum impetrat suis operibus, sed potiùs sibi cumulat, & iram Dei contra se provocat, tantùm abest, ut suis operibus illum placet. Vanum enim est, quicquid ad finem non ducit. Gentes autem ne finem quidem, *id est*, Deum verè noverunt, & si quid nôrunt, illud statim transit, nec suum assequitur finem.

3. Vanum dicitur, quod citò transit & non permanet, unde & dicitur evanescere. Sic Proverb. 31. Vana est pulchritudo, *id est*, citò transit, ut fumus. Et Roman. 8. Omnis creatura vanitati subjecta est, *id est*, instabilitati & corruptioni. Hoc etiam sensu mens hominis impii vana est in suis consiliis & magnis deliberationibus, quia citò evanescunt omnia. Nam etiamsi multa de Deo nonnunquam benè cogitant: mox tamen evanescunt, quia non habent radicem, & sunt ut fumi ac nubes citò transeuntes. Sic *Psal.* 94. Novit Dominus cogitationes hominum, quòd vanae sint. Et Apostolus Rom. 1. optimè describit hanc sapientum hujus seculi vanitatem, *dicendo*, Vani facti sunt in suis cogitationibus. *Item*, cum profiterentur se esse sapientes, stulti facti sunt. Nunc tenemus cur Apostolus praecipuam hominis partem τὸν νοῦν, quae à philosophis vocatur τὸ ἡγεμονικὸν, quo reliquae partes reguntur, vocarit vanam.

Sunt quidem in humana mente, non diffitemur, quaedam adhuc γνῶμαι & principia vera etiam de Deo, puta Deum esse eúmque esse colendum. Sed quid? mox evanescunt, dum & loco Dei (*ut diximus*) idolum in mente fabricatur, & cultus excogitatur vanissimus, quo Deus magis ad iram provocatur. Haec erat vanitas gentium & adhuc est in omnium illorum mentibus, qui Spiritu Dei non ducuntur, nec ejus verbum sequuntur. Atque haec est prima causa impiae & sceleratae vitae in homine non renato, ipsa nimirum mentis vanitas. Sequitur secunda.

18. *Obtenebrati* τῇ διανοίᾳ.

Vocem διανοίας bifariam exponunt interpretes: Quidam accipiunt pro illa animi facultate, qua ratiocinamur, discurrimus, & colligimus atque concludimus aliquid ex iis, quae ὁ νοῦς quietè cernit. Νοῦν enim tenere principia, sicut scientiarum, sic etiam honestorum & inhonestorum, sine ratiocinatione: διάνοιαν autem ex illis principiis ratiócinari, hoc aut illud esse faciendum: & ita à θέσει descendere ad ὑπόθεσιν. Dicam clariùs. Eadem mens humana, quatenus sine discursu tenet & intelligit prima principia, vocatur νοῦς: quatenus autem ex illis ratiocinatur, vocatur διάνοια. Sic quidam volunt: & sic videntur Scholia accepisse, quia attribuunt τῇ διανοίᾳ τό διορητικὸν, *id est*, vim percipiendi, quam dicunt in infidelibus multitudine negotiorum hujus seculi & peccatorum obscurari & excaecari. Alii accipiunt pro ipsa ratiocinatione & cogitatione, actione, scilicet, mentis. Et hunc locum explicant per illum ad *Rom.* 1. Vani facti sunt in cogitationibus suis, & obscuratum est insipiens cor eorum: ut διάνοια hoc loco sit idem, quod διαλογισμοὶ, ad Roman. 1. Eodem tamen recidit sensus: Gentes lumine fidei & Spiritu Dei destitutas excaecari in suis ratiocinationibus, nempe de Deo, rebúsque ad veram felicitatem pertinentibus. Neque enim adimit Apostolus gentibus omnem perspicaciam & judicium in rebus humanis, quando constabat etiam Apostolo, multa praeclara fuisse à Philosophis & aliis sapientibus inter Gentes conscripta de variis scientiis, & de moribus, de justo & honesto; sed adimit in rebus divinis. Et locus ad Roman. 1. hujus est explicatio. Ideò enim ait in suis ratiocinationibus evanuisse & excaecatas fuisse, quia commutaverunt gloriam Dei in imagines corruptibilis hominis. Et 1 Cor. 2. Non adimit homini animali omnem cognitionem, sed cognitionem veram Dei, *Non enim*, ait, *animalis homo nihil percipit, sed non percipit ea, quae sunt Dei.* Non est igitur hic locus simpliciter intelligendus de διανοίᾳ omnis hominis non renati in omnibus rebus: sed restringendus est ad ea, quae sunt Dei: quanquam saepè etiam in aliis multis excaecatur, sed non semper, nec omnis, nec in omnibus rebus. Paulus autem hîc de omnibus gentilibus loquitur. Ait enim, sicut & reliquae Gentes, *scilicet*, omnes ambulant obtenebrati τῇ διανοίᾳ.

Sequitur effectus unus vanitatis mentis & excaecationis τῆς διανοίας: *Existentes abalienati à vita Dei*, ὄντες ἀπηλλοτριωμένοι. Omnis vita à Deo est: nec tamen quaevis vita vita Dei appellari consuevit: sed ea tantùm vita hoc nomine digna est, qua Deus vivit tùm in seipso, tùm in suis electis per Spiritum suum. Est enim vita hominum quadruplex: *Prima* est, qua in uteris maternis per solam vegetantem facultatem instar plantarum sine sensu vivimus. *Secunda* vita est animalis, qua per solam vivimus animam, seu facultatem sentientem, sîcut & reliqua animalia. *Tertia*, est vita humana, qua nimirum vivimus, ut homines, per facultatem rationalem: de quibus omnibus loquebatur Apostolus, cum diceret, *In Ipso vivimus, movemur, & sumus.* Act. 17. A Deo enim triplex haec vita habetur & conservatur. Nunquam tamen haec triplex vita vocatur vita Dei. *Quarta* est vita Christiana, *qua*, scilicet, *& Christus unà cum Patre per Spiritum suum vivit in nobis, & nos per*

eundem

eundem Spiritum renati ac vivificati, vivimus illi. Atque haec est illa vita, quam hìc Paulus vitam Dei ideò vocat, non tàm quia à Deo est, sicut & reliquae, quàm quia & ipse Deus vivit in nobis, & vivendo nos vivificat per suum Spiritum; & nos per eundem Spiritum vivimus Deo & ad voluntatem Dei. *Nunc tenemus quae sit vita Dei, & cur sic vocetur.*

Duo porrò complectitur nomen vitae. *Primum*, illud Esse, quod ex conjunctione animae cum corpore accipimus. Et sic propriè definitur Vita: quod sit Esse viventis ex conjunctione animae cum corpore nascens. Secundò ipsas etiam significat actiones vitae, unde & nonnunquam Aristoteles definivit vitam per ipsas actiones & motus. Sic igitur in homine renato consideranda est haec vita: *primum*, illud Esse novum tum mentis, tum voluntatis, & affectuum, quod in nobis ex conjunctione Spiritus Christi & Dei patris resultat, quod Esse tum nova creatura, tum novus homo appellari solet. Apostolus hìc vocat vitam Dei, quia Esse divinum est, non humanum. *Secundo*, ex hoc novo & divino Esse sequuntur novae & divinae affectiones & actiones. Eâ vitâ nos dicimur vivere in Christo, & Christus in nobis, Gal. 2. & utroque respectu vocatur vita Dei: nimirum quia tum nos vivimus non solùm in Deo, *id est*, per virtutem Dei, sed etiam Deo ipsi; tum quia ipse vivit in nobis, tale Esse novum in nobis servans, donans bonam voluntatem, & excitans divinas actiones. Haec est vita Dei, de qua Apostolus. Ab hac, *ait*, abalienatas fuisse omnes gentes, quae, *scilicet*, nondum per fidem in Christum insitae erant. Quid est alienatum esse? Is dicitur ab aliquo abalienatus esse, qui cum eo priùs erat aliquo necessitudinis & amicitiae vinculo conjunctus. Significat ergo, omnes gentes in Adamo ante lapsum fuisse cum Deo conjunctas, & hanc vitam Dei vixisse, sed nunc esse à Deo & vita Dei abalienatas. Bestiae dici possunt alienae semper fuisse ab hac vita Dei: Sed non verè dicerentur abalienatae esse, quia talis vitae nunquam participes fuerunt. Ergo proprium hominis post peccatum est abalienatum esse à vita Dei.

Sequitur alius effectus, & primus quidem ordine, causa veró abalienationis à vita Dei. Haec est ἄγνοια τοῦ Θεοῦ. Ait ergo διὰ τὴν ἄγνοιαν (τοῦ scilicet Θεοῦ) τὴν οὖσαν ἐν αὐτοῖς. Haec ignorantia (ut modò dixi) in gentibus, sicut est effectus vanitatis mentis & excaecationis τῆς διανοίας: sic etiam causa est non postrema, cur abalienatae maneant à vita Dei. Initium enim hujus vitae à cognitione Dei in Christo dependit: quia nisi prius mens illuminatur lumine Spiritus, & pulsa ignorantia donetur vera Dei cognitione, neque etiam correnovari potest, seu ex lapideo fieri carneum: quia in re potissimùm consistit regeneratio, eóque vita Dei. Meritò igitur ait, Abalienatas esse à vita Dei, διὰ τὴν ἄγνοιαν τὴν οὖσαν ἐν αὐτοῖς. Ἔμφασιν habet, quod ait, τὴν οὖσαν ἐν αὐτοῖς: docet causam perditionis in ipsis qui pereunt haerere, eámque esse non à Deo, sed ab ipsis innatam, *scilicet*, & existentem in ipsis ignorantiam Dei innatam, *inquam*, à peccato Adae, eóque à naturali caecitate mentis, confirmatam verò ipsorum pertinaciâ. Repellendo enim lumen Dei, quod in illorum mentes incurrit, magis ac magis excaecantur, ne Deum agnoscant, & sese obdurant in peccatis. Ideò sequitur tertia causa omnís impietatis in Ethnicis, quae est obduratio cordis. Ait etiam, διὰ τὴν πώρωσιν τῆς καρδίας αὐτῶν. Sicut excaecatio

propriè

propriè ad mentem, cujus est videre, refertur: sic obduratio ad cor, cujus est flecti, accommodari solet in Sanctis literis. Sic videmus factum esse à Paulo in hoc contextu. Suprà dixerat, Excaecati mente, & hîc, διὰ τὴν πώρωσιν τῆς καρδίας αὐτων. Non simpliciter διὰ τὴν πώρωσιν, sed πώρωσιν τῆς καρδίας αὐτων. Est haec obduratio effectus & causa: Effectus excaecatae τῆς διανοίας: causa verò cùm aliorum scelerum, tum etiam crassioris ignorantiae Dei. Nam sicut excaecata mente obduratur cor: sic rursus obdurato corde crassiores tenebrae ipsam mentem consequuntur.

Illud, τῆς καρδίας αὐτῶν, passivè simul & activè accipio: passivè quidem, quòd ipsorum corda sint obdurata, *id est*, pertinaciora facta in proposito peccandi suàque idola colendi: activè autem, quia se ipsi obduraverunt, sicut & de Pharaone legimus, eum indurasse cor suum, Exod. 9., quod bifariam intelligendum est; *primum*, quia praemisit causam, nempe contumaciam, propter quam meritò dicitur induratus fuisse à Deo, per Diabolum, *scilicet* carnificem divinae justitiae, qui in Pharaone efficaciter operabatur; *Deinde,* quia ipse Pharao sic à Diabolo actus, quo plura videbat miracula & Dei se vocantis testimonia, eò pertinaciùs resistebat Dei mandato, & se in suo proposito atque consilio firmiùs confirmabat, & ita obdurabat cor suum in malo. Idem de iis gentibus, de quibus hîc Paulus, intelligendum est. Ergo revera erat obduratio cordis ipsorum; erat, *inquam*, ipsorum, & activè & passivè: & ex hac sequebatur crassior ignorantia Dei rerùmque divinarum: ac proinde ait, διὰ τὴν πώρωσιν τῆς καρδίας αὐτῶν. Potest tamen illa particula, διὰ, alium habere sensum, nempe ut alteram significet causam, cur gentes alienatae essent à vita Dei: una fuit διὰ τὴν ἄγνοιαν τὴν οὖσαν ἐν αὐτοῖς: altera διὰ τὴν πώρωσιν τῆς καρδίας αυτῶν. Nam revera ex iis duobus fontibus fluit haec à vita Dei alienatio: nempe quia homines & Deum ignorant, & contumaces sunt ac pertinaces in suis peccatis atque propositis carnis. Proinde haec interpretatio mihi magis probatur. Principia enim actionum in homine sunt mens & cor seu voluptas. Uterque tamen sensus verus est, nec à mente Apostoli alienus: nimirum gentes & alienatas esse à vita Dei, tum propter ignorantiam quae in ipsis est Dei, tum propter obdurationem cordis ipsorum: & simul etiam ideò magis ac magis illos ignorâsse Deum, quia obdurata erant illorum corda in suis propriis affectibus. Ex hoc fonte, obduratione, *scilicet*, cordis ipsorum, sequuntur alia effecta, quae jam subdit Apostolus, vers. 19.

19. *Qui posteaquam dedoluerunt se ipsos dederunt lasciviae* (id est effreni peccandi libidini) *ad perpetrationem omnis immunditiae, cum aviditate*, id est, cum inexplebili pergendi in suis voluptatibus desiderio & studio.

Sunt qui velint illa verba, οἵτινες ἀπηλγηκότες, esse explicationem praecedentis dictionis nempe πωρώσεως τῆσ καρδίασ: quasi explicet Apostolus, quid sit illa πώρωσισ: esse nimirum ἀπαλγησίαν καὶ ἀναλγησίαν, seu ἀναισθησίαν. Et sic scholia interpretantur διὰ τὴν πώρωσιν, pro διὰ τὴν ἀναισθησίαν, quam & mox vocant ἀναλγησίαν: & statim illud ἀπηλγηκότες sic interpretantur οἷον ἀναλγήτως ἐχηκότες, Sed diversa *(meo judicio)* à praecedentibus hîc scribit Apostolus, & incrementum peccatorum

peccatorum atque impietatis in ethnicis ostendit, ut partim liquet in praecedenti versu, partim liquebit in hoc praesenti. Et certe plus est factum jam esse ἀναισθήτον omnis peccati, nullámque ampliùs habere συντήρησιν & conscientiam, quàm habere cor obduratum. Omnis ἀναλγησία *(de adultis loquor)* adjunctam habet τὴν πώρωσιν καρδίας, sed non contra. Exemplo nobis esto Pharao, cujus cor obduratum fuisse scriptura tradit. Idem tamen non penitùs dedoluerat, neque omnem peccati sensum exuerat, eadem scriptura teste. Fatebatur enim suum peccatum, & se precibus Mosis commendabat. Judae etiam & Saulis corda fuerunt obdurata: neuter tamen ἀναισθησίαν peccati incurrit. Ergo ampliùs est, quod hîc dicit Apostolus οἵτινες ἀπηλγηκότες, quàm quod antè dixerat, διὰ τὴν πώρωσιν τῆς καρδίας αὐτῶν. Nec dubito, quin multi sint hodie, qui pertinacissimo corde tuentur contra conscientiam pestilentissimas haereses, qui interim non sunt prorsus ἀπηλγηκότες. Sed quid? Dum diu pugnant contra conscientiam pertinaciter, tandem fiunt ἀναίσθητοι, ἀνάλγητοι, ἀπηλγηκότες, & ut alibi loquitur Apostolus, κεκαυτηριασμένοι τὴν ἰδίαν συνείδησιν. 1. Tim. 4.

Quatuor ergo hîc *fructus excaecatae mentis* in infidelibus, à superioribus diversos, recenset Apostolus, quorum *unus* est, quòd hujus generis homines excaecati mente atque διανοίᾳ, & obdurati corde, dum perpetuo contra conscientiam peccant, tandem cauterio amputatur illis conscientia, omnémque peccati sensum atque dolorem amittunt. Hoc enim est fieri ἀπηλγηκότες. Fiunt enim instar Phreneticorum, qui, licet gravissimo laborent morbo, nullum tamen sentiunt dolorem, sed rident miseri usque ad mortem: οἵτινες *(aiunt Scholia)* εἰς τὸν παράνομον ἐξοκείλαντες βίον κατα βραχὺ τὴν ἀναλγησίαν ἐνόσησαν, *id est*, qui iniquissimam vitam pertinaciter degunt, ii tandem incidunt in morbum stupiditatis & indolentiae.

Secundus effectus est, quòd postquam facti sunt prorsus ἀπηλγηκότές, dedunt se totos τῇ ἀσελγείᾳ. Quid est, se dedunt? Dedunt se, *id est*, sicut qui cum hostibus pugnare nolunt, sponte se illis dedunt captivos, ad omne illorum obsequium atque imperium; sic tales ethnici jam omnis conscientiae expertes securi se dedunt concupiscentiae, effreníque libidini in se inhabitanti, quia nolunt pugnare cum suis affectibus. Hinc liquet etiam in ethnicis cum peccant, esse aliquem peccati sensum ac dolorem. Seipsos *(inquit)* dediderunt. Ergò cum legimus Deum tradidisse has gentes in desideria cordis eorum, non intelligamus eos fuisse traditos invitos: cùm hîc dicat Apostolus, quòd se ipsos dediderunt: παρέδωκον ἑαυτοὺς. Sic de Pharaone legimus, eum & seipsum indurasse, & à Deo induratum fuisse. Exod. 9. Deus igitur pro justo suo judicio tradit per ministerium Satanae, & ipsi se tradunt sua spontanea voluntate, & κατά γνώμην *(ut ait Photius)* & peccant, & Deum offendunt.

Quare justa simul & voluntaria est impiorum traditio in reprobum sensum & in desideria cordis: Justa, qui fit Deo justo judice peccata ipsorum praecedentia & cordis contumaciam puniente. Voluntaria verò, quia non inviti traduntur, sed ipsimet se tradunt, ut hîc loquitur Apostolus.

Observavit hoc & Photius in Scholiis.

Ασελγεία propriè est venerea impuritas atque lascivia, sicut πλεονεξία propriè est

est insatiabile habendi desiderium seu avaritia. Et ita nonnulli simpliciter de iis duobus vitiis interpretantur hunc locum. Et aiunt utrumque conjungi, quia lasciviam ferè consequitur avaritia. Ac dicunt Scholia, haec duo fortè singulariter nominari ab Apostolo, quòd essent ἐπιπολάζοντα μᾶλλον τῶν ἄλλων ἁμαρτιῶν. Alii sentiunt nomine τῆς ἀσελγείας hoc in loco significari omnes à sanctis alienas voluptates, quae in cibo, potu, re venerea, vestibus, odoramentis, denique in omni abusu rerum creatarum versantur: qui luxus, quia non potest sustineri sine magnis divitiis, necessario trahit secum πλεονεξίαν in sua propria significatione acceptam. Caeterum mihi magis placet illorum interpretatio, qui ἀσελγείαν accipiunt pro effreni libidine peccandi: ita ut tota concupiscentia intelligatur, sed imprimis quae voluptates complectitur: ut hic locus explicetur per eum, qui est Rom. 1. *Quapropter tradidit eos Deus cupiditatibus cordium suorum, in impuritatem, ut ignominia afficerent corpora sua inter se.* Item, *Tradidit eos Deus cupiditatibus ignominiosis.* Item, *Tradidit eos Deus in mentem omnis rationis expertem, ut faciant quae non conveniunt, repleti omni injustitia, scortatione, improbitate, malitia, plena invidia, caede, contentione, dolo, &c.* Ergò sensus est, gentes sese dedidisse suae concupiscentiae captivos, ad omnem impuritatem, ad quam illa instigat, perpetrandam: à qua re fideles dehortatur Apostolus, dicendo: *Non ergo regnet peccatum in vestro mortali corpore, ad obediendum concupiscentiis ejus.* Atque hoc est, quod subdit hîc Apostolus, dicendo, gentes sese dedidisse τῇ ἀσελγείᾳ εἰς ἐργασίαν ἀκαθαρσίας πάσησ.

Tertius itaque fructus illius caecitatis mentis & obdurationis cordis, quem hoc versu recenset Paulus, est, quòd non solúm internè flagrant omni concupiscentiae igne, regnantis in se peccati mancipia sunt: verùm etiam, quòd externè nihil non operantur iniquitatis & impuritatis. Fiunt enim peccati mancipia non otiosa, sed ad perpetrandum omnem impuritatem promtissima: *Ad perpetrationem* (inquit) *impuritatis omnis.* Nullum est genus impuritatis & peccati, quod ipsi non admittant, si possint: usque adeò captivi sunt peccati & suae concupiscentiae. Sic ad Rom. non solùm ait, παρέδωκεν αὐτοὺς ὁ Θεὸς ἐν ταῖς ἐπιθυμίαις τῶν καρδιῶν αὐτῶν: sed adjecit εἰς ἀκαθαρσίαν. Eadem est vox, quae & hîc. Item, infrà non solum dixit, παρέδωκεν αὐτοῦς εἰς ἀδόκιμον νοῦν, sed adjecit ποιεῖν τὰ μὴ καθήκοντα. Et egregiè explicat ibi Apostolus horrenda & obscoena scelera, quae admittebantur à gentibus. Nullum igitur genus scelerum est, quod perpetrare paratus non sit homo non renatus, si ei detur facultas. Hoc voluit significare Apostolus, cum dixit, Dediderunt se ipsos τῇ ἀσελγείᾳ εἰσ ἐργασίαν ἀκαθαρσίας πάσης.

Quartus & postremus est insatiabile habendi desiderium, habendi, *inquam*, non tam pecunias, quam omnia ea, quibus suas immundas & nefarias cupiditates explere queant. Hunc fructum impietatis ac caecitatis obdurationísque cordium in non renatis expressit Apostolus nomine πλεονεξίας.

Atque hactenus qualis sit natura & vita hominis non renati descripsit: internè nimirum totus est corruptus: mentem habet vanitatis plenam: ratiocinandi vim excaecatam: cor obduratum: *hinc ignorantia Dei, hinc alienatio à vita Dei, hinc indolentia* & ἀναισθησία peccatorum. Externè verò homo non renatus

renatus totus est deditus effreni libidini peccandi, nullúmque sceleris genus est, quod non patret, si possit: inexplebili peccandi suasque appetitiones omnes perficiendi desiderio semper affectus.

O miserum ac infelicem statum non renatorum hominum! hoc, *scilicet*, est liberum hominis arbitrium.

Quorsum verò haec descriptio, taliúmque scelerum amplificatio? Ut magis absterreret à studio ethnicae vitae eos, qui Ephesi nomen Christi professi ethnice tamen adhuc vivebant. Totum verò hoc, quod jam de natura & vita non renatorum ethnicorum dixit, explicatio est Majoris propositionis ejus Syllogismi, quo probaturus est, non debere fideles ita vivere sicut infideles. Syllogismus autem hic est: Ubi diversae sunt actionum causae, ibi diversa debent esse effecta: Atqui in vobis fidelibus longè aliae sunt actionum causae quàm in aliis ethnicis, (hoc jam partim probavit partim probaturus est). Ergò non debetis ambulare sicut gentes. Hujus Minoris probatio seu explicatio haec est. In aliis ethnicis causae actionum sunt: Vanitas mentis, excaecatióque intelligentiae una ex parte, & ex altera parte ipsa cordis obduratio (hoc jam probatum est.) In vobis autem contra est illuminatio mentis per verbum pérque Spiritum Sanctum, qua nostis Christum, & per consequens inest cordis renovatio. (Hoc jam dicet v. 20.) Sequitur conclusio: Ergo debetis alio modo ambulare vos quám reliquae gentes, cum in vobis etiam aliae sint causae ambulandi, quàm in reliquis gentibus. Atque hoc est, quod subdit per ἀντίθεσιν:

V. 20 Ὑμεῖς δὲ οὐχ οὕτως ἐμάθετε τὸν Χριστον: οὐχ οὕτως, nempe ut alienati à vita Dei propter obdurationem cordis omnique sensu peccati destituti dedatis vos ἀσελγείᾳ ad perpetrationem omnis impuritatis: sed contra potiùs οὕτως didicistis Christum, ut illustrati ejus cognitione, & renovati corde, exuere debeatis veterem hominem & induere novum: & ita sincerè vivere, sicut exemplar vitae habetis in ipso Christo Jesu. In hoc enim est veritas, *id est*, vera vivendi ratio. Haec est vis totius hujus argumenti à contrariis actionum causis deducti: cujus Major reticetur, nempe haec: Ubicunque diversae sunt actionum causae, ibi debent diversae esse actiones. Minoris membrum primum explicatum est, vers. 17. 18. 19. Alterum membrum subjicitur v. 20. dicendo: *Vos autem non sic didicistis Christum.* Hic est sensus, atque haec ἀνάλυσις est totius hujus contextus, usque ad versum 21.

Cùm igitur ait, ὑμεις δε οὐχ οὕτως ἐμαθετε τὸν Χριστὸν, de vera, solida, & efficaci disciplina cognitionéque Christi loquitur, qua & mens rectè judicat, & cor in obsequium Dei inclinatur. Ita tribus illis superioribus causis, vanitati mentis, excaecationi τῆς διανοίας, & obdurationi cordis, opponit hìc unam solidam & veram Christi cognitionem: quia haec veram etiam cordis renovationem, eóque & sanctitatem vitae secum affert.

Caeterum, quia noverat Apostolus non omnes, qui verbum Evangelii audiverunt, verè Christum novisse, eóque & cordibus renovatos esse: idcircò correctionem seu ἐπανόρθωσιν quandàm subdit, quae continetur v. 21. 22. 23. 24. qua in primis declarat, se in v. 20. non locutum esse de quovis homine Christum profitente, sed tantùm de iis, qui verè & per Spiritum Sanctum Christum didicerunt

didicerunt atque noverunt: & simul etiam hujus solidae cognitionis Christi fructus explicat: qui ad summam consistunt in hoc, ut exuamus veterem hominem & induamus novum: quibus duabus in rebus posita est tota regeneratio & vitae renovatio. Haec est summa & ἀνάλυσις totius hujus contextus his 8 versibus comprehensa.

Posteaquam igitur explicavit argumentum, debere Ephesios longè aliter ambulare, quàm reliquae gentes ambulent, quia ipsi donati sint vera Christi cognitione, eóque & cordis renovatione, cùm alii gentiles excaecati sint intelligentia & obdurati corde, subdit ἐπανόρθωσιν, quo explicat, quod modò dixit, ὑμεῖς δε οὐχ οὕτως ἐμάθετε τὸν Χρίστον: nempe ut non ambuletis, sicut gentes reliquae, sed potiùs sicut Christus ipse, exuti veterem hominem & induti novum; ἐπανόρθωσις haec est:

V. 21. Εἴγε αὐτὸν ἠκούσατε καὶ ἐν αὐτῷ ἐδιδάχθητε, καθώς ἐστιν ἀλήθεια ἐν τῷ Ἰησοῦ.

Antequam explicem hunc versum, priùs referam totam Syriaci versionem, quae valde illustrat totum hunc contextum.

V. 20. Nil variat à Graeco, sic enim habet, *Vos autem nequaquam ita didicistis Christum.*

V. 21. Claudit hunc versum parenthesi, & ita legit (si verè audivistis eum: & *(verè)* didicistis, sicut est veritas in Jesu; quasi dicat, Jesus quidem verè & sincerè docet, sed non omnes verè & sincerè audiunt eum & discunt. Si ergo ita verè audiistis eum & didicistis, sicut ipse verè docuit, vos revera non ambulabitis sicut gentes. *Mox sine parenthesi conjungit* v. 22. *cum* 20. hoc modo.

V. 22. *Sed* (didicistis) *ut deponatis à vobis conversationes vestras priores, filium hominis illum veterem, qui corrumpitur concupiscentiis erroris.*

V. 23. *Et* (didicistis, ut) *renovemini in spiritu intellectuum vestrorum.*

V. 24. *Et* (ut) *induatis filium hominis novum illum, qui secundum Deum creatus est in justitia & in sanctitate veritatis.* Sensus igitur juxta lectionem Syriac. hic est.

Vos autem non sic didicistis Christum (ut, *scilicet*, vivatis sicut reliquae gentes, si tamen ita verè & sincerè didicistis à Christo per me praedicante, sicut ipse verè & sincerè vos per me docuit). Non, *inquam*, vos ita didicistis Christum, ut vivere debeatis ethnicè, sed didicistis ut deponatis conversationes vestras priores, &c. Hoc modo totus iste contextus facilis est.

Sed libet etiam referre, quomodo Scholia interpretentur: deinde breviter, quisnam sit verus & genuinus sensus, aperiam.

V. 20. Υ῾μεῖς δε οὐχ οὕτως ἐμάθετε, id est, οὐχ ἐπὶ τούτῳ τῷ ὅρῳ, ὥστε τὰ ὅμοια ποιεῖν ἐκείνοις.

V. 21. Εἴγε αὐτον ἠκούσατε, &c. illud εἴγε aiunt accipi a Johanne Chrysostomo tanquam βεβαιωτικὸν, hoc sensu: Siquidem, seu Etenim illum audivistis. Ita sensus est: Vos autem non didicistis ita Christum, ut liceat vobis ambulare ut gentes. Nam audivistis eum (cujus rei veritas est in Christo, vera scilicet justitia) & docti estis, ut deponatis, &c. Sed aiunt posse etiam accipi ἐν ἀμφιβολογίᾳ, qua Apostolus usus sit, quò magis perstringeret illos Ephesios, qui adhuc vivebant ethnicè in peccatis, quasi dicat Apostolus ἀμφιβάλλω γάρ, εἴ τὶς τὸν Χριστὸν ἀκούσας καὶ διδαχθεὶς ἐν ἀυτῷ, τοιαῦτα πράττει: quasi dicat, revera qui

qui haec agunt, ii nondum verè Christum audiverunt, neque per eum sunt edocti.

Illud verò quod sequitur in eodem v. 21. nempe: καθώς ἐστιν ἀλήθεια ἐν τῷ Ιησοῦ, aiunt posse construi cum superioribus, & cum inferioribus. Cum superioribus, id est, cum verbis εἴγε ἠκούσατε, καὶ ἐδιδάχθητε: hoc modo: εἴγε ἠκούσατε, καὶ ἐν ἀυτῷ ἐδιδάχθητε: τι (dicetis) ἐδιδάχθημεν; καθὼς ἐστιν ἀλήθεια ἐν ἀυτῷ: ἀλήθειαν λέγων τὴν δικαιοσύνην. Τὸ γάρ ψευδός ἐστιν ἁμαρτία. Καθὼς οὖν ἐστὶν ἐν ἀυτῷ ἀληθεία, οὕτως καὶ ὑμεις ἐδιδάχθητε: κατά γάρ αὐτὴν ἐδιδάχθητε. Hic est sensus. Si verò conjungatur cum proximè sequenti versu particula illa ἐστὶν ἀλήθεια ἐν τῷ Ιησοῦ, hunc habebit sensum, καὶ ἐν ἀυτῷ ἐδιδάχθητε, καθὼς ἐστὶν ἀλήθεια ἐν τῷ Ιησοῦ. Quid edocti estis? ἀποθέσθαι ὑμας. Τοῦτο γάρ ἐδιδάχθητε, καὶ ἀυτό ἐστὶν ἡ ἐν τῷ Ιησοῦ ἀλήθεια, τὸ ἀποθέσθαι ὑμᾶς τὸν παλαιὸν ἄνθρωπον. Sic Scholia.

Quidam etiam annotat sic posse legi versum 20. ὑμεῖς δε οὐχ οὕτως, & ibi sit colon: intelligatur verò, more Hebraeorum, relativum qui: qui, *scilicet*, didicistis Christum, ut sit sensus: *Vos autem ambulare non debetis sicut gentes, vos*, inquam, *qui Christum didicistis:* & mox sequatur correctio: *Si modo, vel si tamen audivistis &c.* Sed ego sequor receptam lectionem. Sensus igitur versus 20. est ille, quem antè explicavi: nempe: Gentes ambulant in vanitate mentis & dedunt se ἀσέλγεια: ad patrandam omnem impuritatem: quia excaecati sunt intelligentia, & obdurati corde. At vos non sic didicistis Christum, ut, *scilicet*, debeatis adhuc ambulare sicut reliquae gentes: quasi dicat: Sed contra didicistis Christum, ut & illuminatam habeatis mentem atque intelligentiam ad cognitionem veritatis, & renovatum cor per Spiritum Sanctum ad faciendam Dei voluntatem, & ad veram sanctitatem persequendam. Cùm igitur diversae in vobis sint causae actionum ab iis, quae sunt in reliquis gentibus: Vos non debetis ambulare sicut illae ambulant. Totum hoc verum erat reipsa in renatis, sicut etiam veritas est in Jesu: in omnibus autem reliquis verum erat professione & sacramentaliter, sed non reipsa. Proinde subjecit correctionem quandam, quod dicit verum esse in iis tantum, qui verè Christum audierunt: nescire autem an omnes verè audierint Christum, Evangelium per Paulum praedicantem, & an fuerint in ipso Christo: per ipsius *scilicet* Spiritum edocti, nécne. Itaque sic ait, v. 21. Εἴγε, si modo, si tamen eum audivistis.

V. 22. Credo sic posse legi, si modo οὕτως audivistis eum (Christum) & in ipso edocti estis, καθώς ἐστὶν ἀλήθεια ἐν τῷ Ιησοῦ. Quid edocti in Christo? Explicat versu insequenti. *Nempe deponere, seu* (ut Syriacus legit, & Ambrosius) *ut deponatis, secundum pristinam conversationem veterem hominem*, ut sit sensus: In Christo Jesu est veritas doctrinae hujus de sanctitate persequenda, de vivenda vita Dei, déque novo homine induendo, qui creatus est in justitia & sanctitate vera. In Christo enim nullum est peccatum, sed perfecta sanctitas & vera vivendi ratio in hoc Jesu, tanquam in illustri exemplo proposita est. In Christo enim nihil est fucatum, sed quam nos verbo docet justitiam & sanctitatem, ea in ipso est revera & sincerè. Si igitur tam verè & sincerè vos Christum per me praedicantem audivistis, & si tam verè edocti estis in ipso, i. per ipsius Spiritum, doctrinam de exuendo vetere homine, & induendo novo,

novo, quàm verè & sincerè tota haec sanctitas perfectáque vivendi ratio in ipso est Jesu: dico vos non ita didicisse Christum, ut velitis & possitis posthac vivere sicut & reliquae gentes: sed istam veram Christi cognitionem, qua immutantur corda, aio effecturam, ut aliter ambuletis, quam ambulant gentes: nempe ut deponatis, secundum veterem vestram conversationem, veterem illum hominem. Quod qui non fecerint, ii apertam dabunt significationem, se nondum verè didicisse Christum, veráque illius cognitione donatos esse. Hunc puto verum & genuinum esse sensum Apostoli in toto hoc contextu.

Singulos igitur versus breviter perstringo.

20. *Vos autem non ita didicistis Christum, ut scilicet debeatis adhuc vivere, sicut reliquae gentes.*

Illud ὑμεῖς δὲ opponitur iis, quae supra de gentibus dixerat, eas ideò sese dedere ἀσελγείᾳ ad perpetrandam omnem turpitudinem, quia destituti Christi cognitione, vani sunt mente, excaecati intelligentia, & obdurati corde. At verò vos didicistis Christum, donati vera illius cognitione. Ergo non est, cur ambuletis sicut illi, sed contrà potius, nempe sicut & Christus ambulavit, eóque deponatis veterem hominem. Hìc igitur reddit causam Apostolus, cur non debeant fidelis Ephesii ambulare sicut reliquae gentes, Christi cognitione destitutae. Quaenam est haec causa? Quia *(inquit)* didicistis Christum. Hanc solam Christi notitiam opponit Apostolus omnibus illis impurae vitae causis, quas recensuit, & quas in ethnicis esse dixit: ac docet hanc unicam Christi cognitionem efficacem esse causam cur veri fideles deponere possint veterem conversationem veterémque hominem, induant autem novum. Ratio, quia hac Christi cognitione non solùm mens illustratur ad cognitionem veritatis, sed etiam cor renovatur & flectitur in novam obedientiam, & denique homo mutatur, ut vitam Dei vivere possit & velit.

V. 12. *Si modò eum* (οὕτως) *audivistis, &* (οὕτως) *in ipso edocti estis:* καθὼς *veritas est in Jesu.*

Illud ἠκούσατε ad auditum verbi refertur, ad auditum, *inquam*, verum & sincerum. Illud verò, καὶ ἐν ἀυτῷ ἐδιδάχθητε, ad doctrinae auditae in cor per vim Spiritus Christi impressionem referendum esse judico. Verbum enim sinceris auribus auditum imprimitur in corde Electorum per ipsum Christum, *hoc est*, per Spiritum Christi: & hoc est doceri in Christo, quod non omnium est; sed tantùm Electorum renatorum. Qui enim in Christo sunt insiti per Spiritum Christi, ii etiam in Christo docentur per eundem Spiritum. Αλήθεια verò, quam dicit esse in Christo, est ipsa vera justitia, vera sanctitas, vera illa & essentialis sancti vivendi ratio, quam Christus per Evangelium docuit & docet. Docet eam verbo, sed reipsa in Christo Jesu, tanquam in illustri speculo nobis ad imitandum proposita est. Et sic Scholia interpretantur, ut suprà vidimus. Sensus igitur est: Si ita sincerè & verè *(ut habet Syriacus)* audivistis Christum, & in ipso edocti estis, sicut verè in Christo est ipsa vera sanctitas, veráque vivendo ratio, quam suo verbo & exemplo nos docuit & docet: omnino ita didicistis Christum, *id est*, tali cognitione Christi donati estis, qua possitis

possitis deponere veterem hominem, & induere novum, & non ampliùs ambulare sicut reliquae gentes, sed sicut Christus ambulavit.

V. 22. (Nimirum) *Deponere* (id est, ut deponatis) *juxta veterem conversationem veterem illum hominem, qui corrumpitur juxta concupiscentias deceptionis.*

Illud ἀποθέσθαι ὑμᾶς construitur cum verbo edocti estis, & deponere pro exuere, *id est*, deponere vestem accepit; opponitur enim verbo induendi quod sequitur in v. 24, sicut vetus homo novo homini. Quid autem intelligit nomine veteris hominis? Respondent Scholia, παλαιὸν ἄνθρωπον οὐ τὴν φυσιν ὀνόμαζεί, ἀλλὰ τὴν τῆς ἁμαρτίας ἐνέργειαν: παλαιὸν scilicet ἐν ταῖς ἁμαρτίαις: sicut novus postea dicitur, qui creatus est in justitia & sanctitate vera.

Vetus igitur *homo* est vetus naturae corruptio atque pravitas, quam ex Adamo quisque hausit: ex hac porrò radice surgunt fallaces & deceptrices cupiditates, quas Apostolus vocat ἐπιθυμίας τῆς ἀπάτης: ex iis verò, si eis obediamus, prodeunt ἁμαρτίαι, *id est*, actualia peccata, in quibus vivunt & versantur homines non renati: quam vitam in peccatis vocat hîc Apostolus προτὲραν ἀναστροφὴν, quasi dicat veterem conversationem. Dixit enim προτέραν, quatenus opponitur posteriori, *id est*, novae vitae. Haec tria ad Rom. 5 explicat aliis tribus nominibus, peccati, concupiscentiarum, & obedientiae, cùm ait: *Ne ergo regnet peccatum in vestro mortali corpore, ut obediatis concupiscentiis ejus.*

Quod ibi vocat peccatum, hîc vocat veterem hominem: quod ibi simpliciter concupiscentias peccati, hîc concupiscentias τῆς ἀπάτης: quod ibi obedientiam, seu obedire concupiscentiis peccati, hîc vocat priorem conversationem. Horum autem trium subjectum, in quo sunt & fiunt, est hominis substantia à Deo creata, Anima & corpus, *id est*, ipse homo: qui & ipse respectu veteris pravitatis ab Adamo acceptae vetus homo vocatur: respectu autem novae, *id est*, divinae naturae, quam à Christo accepimus, novus homo vocari solet. Quis ergo jubetur deponere? Homo ipse. Quid verò deponere? Numquid suam substantiam? Minimè verò, sed vetustatem suam & pravitatem naturae. Quomodo? Deponendo priorem conversationem, ita ut non ampliùs ambulet in peccatis. Illud enim κατά τὴν προτέραν ἀναστροφὴν modum judicat, quo debeamus & possimus veterem hominem, *id est*, pravitatem veterem & deceptrices ejus cupiditates deponere: nempe si deponamus priorem conversationem, *id est*, si non conversemur ampliùs, nec ambulemus in peccatis. Hic est modus paulatim deponendi & exuendi veterem hominem: sicut vetus ille homo magis ac magis sumit vires & fit corruptior; *id est*, deterior, si concupiscentiis ejus obtemperemus, & in eis versemur ac ambulemus. Ut enim ex frequentatis actionibus comparantur habitus: sic ex remissione actionum & cessatione ab actionibus habitus exuuntur. Atque hoc est quod dicit, τὸ φθειρόμενον κατά τάς ἐπιθυμίας τῆς ἀπάτης. Opponuntur enim duo haec membra ἀποθέσθαι τόν παλαιὸν ἄνθρωπον: & eundem corrumpi, *id est*, corruptiorem & deteriorem fieri. Deponitur & exuitur depositione prioris, id est, veteris conversationis & vitae, corrumpitur autem obedientia, qua obeditur concupiscentiis ejus. Ideo, Scholia illud κατά τάς ἐπιθυμίας aiunt positum esse, pro δία τῶν ἐπιθυμιῶν. Caeterum

terùm quo magis vetus homo, id est pravitas & corruptio naturae, corrumpitur, *id est*, corruptior fit, eò etiam homo ipse, *id est*, ipsi homines, magis ac magis corrumpitur. Primò, quia peiores fiunt & deteriores & ad peccandum propensiores, invalescente in eis naturali pravitate, & peccati veneno. Secundò, quia aeternae corruptioni, *id est*, morti magis ac magis praeparantur, & gravioribus suppliciis digniores fiunt. Et sic Graeca Scholia interpretantur: δί αὐτῶν γάρ (ἐπιθυμιῶν) φθείρεται ἄνθρωπος, ὥσπερ τὸ ἔριον (lana) δί ὧν τίκτει σηπῖδας, per quas gignit tineas, φθείρεται δε καί ἐν τῇ Γεέννῃ, καὶ ἐν τῷ νῦν βιῷ. Atque hac de causa concupiscentiæ ipsæ vocantur ἐπιθυμίαι τῆς ἀπάτης, activè, *id est*, decipientes, more Hebraeorum: quia fallunt & decipiunt hominem. Promittunt enim prima fronte voluptatem ac felicitatem, & ita nos alliciunt ad peccandum, sed contrarium praestant; corrumpunt enim totum hominem, eo sensu, quem explicuimus, *id est*, deteriorem & infeliciorem efficiunt. Scholia tamen nomen τῆς ἀπάτης accipiunt pro ipso peccato, quod per concupiscentias perficitur. Καλῶς δε τὴν ἐκ τῶν ἐπιθυμιῶν ἀποτελουμένην ἁμαρτίαν ἀπάτην ἐκάλεσεν, ἀπάτη γάρ και οὐ κυρίως ἡδονη. Est enim fallax atque falsa, & non propriè vera voluptas. Sed prior interpretatio magis congruit cum loco *Jacobi* 1., ubi ait: Unumquemque tentari à concupiscentia sua abstractum & illectum.

Concupiscentiae igitur & appetitiones allicientes nos ad peccatum perpetrandum decipiunt, & ita sunt ἐπιθυμίαι τῆς ἀπάτης. Quare sensus hujus loci hic est. Qui verè Christum audiverunt per Apostolos praedicantem, & in ipso per Spiritum Sanctum edocti sunt, in his ita efficacem esse hanc Christi cognitionem, ut nolint ampliùs nec possint, sicut reliquae gentes, ambulare & in peccatis versari; ratio: quoniam sicut veritas, *id est*, vera justitia & sanctitas est in Jesu, sic ipsi efficaciter in ipso edocti sunt tum veterem hominem cum priori conversatione deponere seu exuere, tum novum (ut mox subjiciet) induere: quibus duabus in rebus vera consistit resipiscentia: edocti, *inquam*, sunt veterem deponere hominem, *hoc est*, priorem nempe ethnicam conversationem & vitam deponendo; ipsam quoque veterem naturae pravitatem paulatim exuere. Sicut enim corruptior fit atque deterior, dum fallacibus ejus desideriis obedimus, sic contra tollitur atque exuitur, dum illis repugnando mores & vitam priorem deponimus, quae prima pars est verae resipiscentiae, ex fide ac vera Christi cognitione proficiscens: nostrae, *scilicet*, vitiosae naturae mortificatio, atque à priori mala vita discessio. Atque hoc Syriacus voluit, cùm dixit: sed didicistis, ut deponatis à vobis conversationes vestras priores (hoc est, priores mores & vitam; & statim subdit de tota naturae corruptione) filium hominis illum veterem, qui corrumpitur concupiscentiis erroris. Sequitur altera vitae resipiscentiae pars, quae in renovatione totius hominis atque imprimis ipsius mentis consistit, quae & ipsa à fideli & à vera Christi cognitione proficiscitur.

V. 23. Renovari verò spiritu mentis vestrae.

Subintellige, edocti estis in Christo: ἀπὸ κοινοῦ γάρ τὸ ἐδιδάχθητε, aiunt Scholia. Sensus autem est, vos, quicunque verè audivistis Christum, & in ipso insiti edocti estis, hoc estis edocti, & hoc didicistis, nempe ut quotidie detis operam, quò

quò deponentes veteres mores, simul etiam totum veterem hominem deponatis, atque ita indies etiam magis ac magis renovemini mente cumprimis per Spiritum Sanctum.

Ergò cùm alloquatur Christianos, qui jam renati erant in Christo, illud ἀνανεοῦσθαι pro magis ac magis renovari accipiendum est.

Illud τῷ πνεύματι τοῦ νοός ὑμῶν, trifariam exponitur: Primùm, Scholia nomen *Spiritus* accipiunt pro Spiritu Sancto, per quem fit mentis renovatio: ut significet non partem mentis quae renovetur, sed causam efficientem, per quam fit renovatio, & quae in ipsa habitat mente, id est, Spiritum Sanctum. Verba Scholiorum sunt: ἀνανεοῦσθαι δε διὰ τοῦ ἁγίου πνεύματος τοῦ ὄντος ἐν τῷ νῷ ὑμῶν. Το γὰρ πνεῦμα παλαιῶν οὐκ ἀνεχέται πράξεων.

Quidam nomen Spiritus accipiunt pro altera parte mentis humanae, id est, pro affectu ac voluntate, seu pro corde, ubi vigent affectus & appetitus. Mentem verò pro parte intelligente & judicante, ad quam totius vitae gubernatio pertinet. Paulum igitur non simpliciter dixisse, ut renovemini Spiritu vestro, vel mente vestra, sed Spiritu mentis vestrae: ut totius mentis tam partis intelligentis quàm partis appetentis, renovationem complecteretur. In utriusque enim renovationem incumbendum est.

Alii nomen Spiritus accipiunt pro toto homine, quatenus renatus est, sicut saepè hoc sensu capitur, ut sit sensus, inchoatam renovationem esse perficiendam, & quidem etiam in mente ipsa, quae videtur magis vacua à peccatis. Nunquam enim in hoc mundo ita perfectè renovatum esse hominem, quin opus ei sit, ut quotidie magis ac magis renovetur: atque hanc esse Christi doctrinam, quam veri fideles in Christo efficaciter edocti sunt.

Dixisse autem, renovari spiritu mentis, quia in mente incipit renovatio, utpote in qua sedes est fidei & cognitionis Christi. Cùm igitur homo renatus duabus constet partibus, carne & spiritu, i. cùm partim sit renatus, & partim non renatus, ita ut etiam mens non sit perfectè renovata, opus esse Christiano homini, ut quod carnis ac veteris Adami est, illud quotidie deponat: quod verò spiritus est, in perfectiorem illius renovationem semper incumbat. Omnes piae sunt: prior tamen magis recepta est. Renovari igitur spiritu mentis fuerit nil aliud, quam mentem per Spiritum Sanctum in ea habitantem renovari. Mentis verò nomen συνεκδοχικῶς positum fuerit pro toto homine: sed ideò mentem nominavit Apostolus, ut significaret, tum ibi initium fieri renovationis, tum ipsam quoque egere perpetua renovatione. Syriacus tamen nomen Spiritus accipit non pro Spiritu Sancto qui renovat, sed pro spiritu humano qui renovatur. Ait nempe: Et renovemini in spiritu intellectuum vestrorum: intellectus nostros pro mente nostra posuit.

V. 24. *Et induere* (scilicet edocti estis) *novum hominem illum, qui secundùm Deum creatus est in justitia & sanctitate veritatis,* (id est, vera.)

Hic versus veram ἀντίθεσιν habet cum v. 23.: ibi est deponere, nempe tanquam vestem, id est, exuere; hîc est induere : ibi vetus homo, hîc novus homo. Ille vetus homo non est à Deo, neque secundum Deum creatus, sed a Diabolo

abolo contra Deum inductus: hic verò novus secundùm Deum creatus est; ille vetus homo nihil aliud habet, quàm injustitiam contra proximum, & impietatem contra Deum: corrumpitur enim concupiscentiis erroris: hic autem novus in justitia erga proximum, & in sanctitate erga Deum conditus est atque consistit. Tribus autem de causis usus est Apostolus tum verbò *Exuendi* veterem hominem, v. 21. tum hîc verbo *Induendi* novum.

1. Ut significaret, sicut vestis res est diversa ab eo, qui eam induit: sic etiam & veterem & novum hominem res esse diversas à nobis, qui unum exuimus, quo eramus induti, & alterum denuo induimus, qui eramus exuti. Ante peccatum eramus in Adamo induti hoc homine, qui secundum Deum creatus est in justitia & sanctitate vera: post peccatum illo exuti per Adamum, induimus alterum, qui corrumpitur concupiscentiis, & quem Apostolus vocat veterem. At verò per alterum Adamum, i. per Christum, cui inserimur, exuimur veteri, & induimur novo homine. Sicut igitur aliud est vestis, qua quis induitur aut exuitur, ab eo qui exuitur aut induitur: sic aliud est tum vetus homo peccatúmque originale, quod traximus ab Adamo, tum vera justitia, quam habemus à Christo: Et aliud homo ipse, qui unum ab Adamo, alterum à Christo accepit. Proinde non jubemur deponere nos ipsos, sed veterem hominem, qui in nobis est: nec induere nos ipsos, sed novum hominem, qui in nobis creatur. Viderint ergò illi quid dicant, qui peccatum originale ipsam hominis substantiam esse docent.

2. Altera causa cur his verbis usus sit Apostolus, est, ut significaret, sicut sumtio vestis lacerae & sordidae dehonestat & dedecorat hominem, & contra sumtio pulchrae exornat & honorabilem reddit: sic qui retinet veterem hominem eúmque non deponit, foedissimus est & putridissimus coram Deo & Angelis ejus: qui verò indutus est novo homine, is Deo gratissimus est & speciosus, laudéque & honore dignus in coelo & in ecclesia Dei. Quò pertinet, quod ad *Rom.* 13. ait, Induamur habitu, qui luci conveniat, sic ut in die honestè ambulemus: induimini igitur Domino Jesu.

3. Tertia causa est, ut doceret, sicut vestis quam assumimus nobis unitur, & fit nostra atque intima nobis, sic tàm vetus homo & peccatum, quam novus & justitia, adeóque Christus ipse, verè nostra fiunt & in nobis sunt, unúmque fimus cum illis. Quo pertinet quod etiam dicitur de Gideone, quòd Spiritus Domini illum induerit, *Judic.* 6. Et apud Paulum, quòd Christus in nobis sit, & nos in illo. Nunc tenemus vim horum verborum Exuendi & Induendi.

Caeterùm, quid nomine *novi hominis* intellexerit Apostolus, non omnes consentiunt Interpretes.

Ambrosius intelligit Christum ipsum, juxta illud ad *Rom*, 13. *Induimini Domino Jesu Christo.* Ac revera hic est ille, quo solo induti, accepti sumus & speciosi in conspectu Patris.

Alii intelligunt novam vitae qualitatem seu novam naturam, quam per Spiritum regenerationis consequimur. Sicut enim vetus homo nil aliud est, quám mala illa qualitas & corrupta natura, quam habemus in animo & corpore ab Adamo: sic etiam homo novus (aiunt) est illa nova & divina qualitas, qua per Christum

Christum simus sancti & justi: quam modò novam creaturam modò divinam naturam Sanctae literae vocant. Utrumque verum est, nec unum ab altero separari potest. Neque enim nova haec qualitas in nobis esse potest sine Christo, nec Christus sine illa: sed Christus per fidem receptus illius novae in nobis naturae causa est. Scholia sic explicant, Καινὸν δε ἄνθρωπον φησὶ τόν ἐν ἀρετῇ διαζῶντα, ὥσπερ παλαιὸν τόν ἐν ἁμαρτίαις. Novus igitur homo primùm est Christus ipse in nobis habitans: deinde ipsa nova totius hominis qualitas & natura, per Christum in nobis creata: postremò nos ipsi induti Christo, & novae illius divinaeque naturae participes effecti, & in virtute (ut loquuntur Scholia) viventes.

Caeterùm, cum Apostolus dicit debere nos induere novum hominem, id non nisi de Christo & de nova vitae qualitate intelligi potest, quia res, qua induimur, differat à nobis qui induimur necesse est.

Quod verò ait τόν κάτα θεὸν κτισθέντα: si ad Christum juxta Ambrosii interpretationem referatur, de eo intelligitur, quatenus homo est. Neque enim ut Deus creatus est, sed ut homo, ídque non solum à Deo conceptus de Spiritu Sancto sed & secundum Deum, id est, ad exemplar & imaginem Dei, quam amiserat primus Adam. Fuit enim & est Christus etiam qua homo imago Dei: quia in vera justitia & sanctitate, id est, justissimus & sanctissimus in utero Virginis & sine peccato creatus est: ita ut factus sit nostra justitia & sanctificatio. Si ad qualitatem illam novam, illa quoque creatur non solùm à Deo, sed & secundum Deum, quia ad exemplar divinae naturae justissimae atque sanctissimae creatur in nobis, unde & nomen divinae naturae accepit, ut apud Petrum 1. Pet. 1. Quò illud spectat Psalmi, *Cor mundum crea in me Deus* Psalm 5, & à Paulo nova vocatur creatura 2. Cor. 5. Sicut igitur de vetere homine, id est, de corruptione & pravitate naturae nostrae, dixit illum per cupiditates suas erroneas corrumpi: sic de novo, id est, de hac nova qualitate novóque corde, ait eam creatam esse atque creari secundum Deum, quia divina res est, imaginem habens divinae justitiae ac sanctitatis. Quia verò tum hac nova qualitate in nobis creata, tum Christo in nobis per fidem inhabitante, nos ad imaginem Dei reformamur ac recreamur: idcircò renati quoque dicuntur creati esse & creari secundum Deum. Et sic Scholia ὁ γὰρ ἐν ἀρετῇ ζῶν κατα θεὸν ἔκτισθαι, καὶ κάτα᾽ θέον πολιτεύεται: Et supra cap. 2. *Ipsius enim factura sumus.*

Caeterum, quia Apostolus loquitur de illo homine novo, quo renati induuntur: quod hîc dicit τόν κάτα θεὸν κτισθέντα, non nisi de Christo & de nova in nobis creata qualitate atque natura intelligi potest. Induimus autem Christum per fidem illum amplectendo. *Habitat enim in nobis per fidem,* Eph. 3. Ipse verò in nobis existens per suum Spiritum nos illa nova qualitate & cordis innovatione magis ac magis induit, regenerationem quotidie perficiendo.

Illud ἐν τῇ δικαιοσύνῃ καὶ ὁσιοτήτι τῆς ἀληθείας, primum explicatio illius esse potest, quod dixit, κάτα θεὸν κτισθέντα, nempe in justitia & sanctitate vera: ita ut alluserit Apostolus ad primam hominis creationem, qui creatus fuit ad imaginem & similitudinem Dei, nempe in vera justitia & sanctitate, id est, verè justus & sanctus. Imago verò illa prima in Adamo amissa restituitur

 nobis

nobis in Christo, pérque ipsius Spiritum instauratur. Et ferè sic accipiunt Interpretes. Sed potest etìam referri ad verbum induere novum hominem in justitia & sanctitate. Et sic Scholia.

Vox δικαιοσύνη ad secundam tabulam, vox autem ὁσιότης ad primam refertur ab interpretibus. In secunda enim tabula praecepta de justitia erga proximum, in prima autem mandata de sanctitate & pietate erga Deum praescribuntur. Homo autem creatur justus, seu in justitia, qua se justè gerat erga proximum: in sanctitate verò, qua Deum sanctè colere possit. Non incommodè tamen dici potest justitiam opponi plenae & absolutae illi injustitiae, qua homo non renatus peccat & in Deum & in proximum, neutri dans quod debet: Sanctitatem verò opponi immunditiae, lasciviae, crapulis, obscoenis libidinibus, quibus sese contaminant suàque corpora homines impii. Ὅσιος enim purum significat, ut 1. Timoth. 2. sustollentes ὁσίους χεῖρας, puras manus. Ita hîc duabus vocibus totam Christianae vitae qualitatem complexus est, qua debemus & erga Deum & cum proximo justè vivere, unicuique quod suum est praebendo: & in nobis ipsis sancti, id est, mundi & puri esse, retinentes purum cor & corpora munda ac sancta. Quò illud, Templum Dei sanctum est, quod estis vos. *Item*, Filii vestri sancti sunt. *Item:* Sancti estote, quia & ego Sanctus sum, id est, mundi, puri. Et sic ferè Scholia δικαιοσύνη ἡ καθολικὴ λέγεται ἀρετὴ, ὁσιότης δε ἡ καθαρότης.

Cur verò adjecit τῆς ἀληθείας duplicem adferunt Scholia interpretationem: unam, quod etiam Judaei habuerint suas justificationes & sanctitates, sed typicas atque corporales. Differentiae igitur causa dixisse ἀληθείας. Alterám, ut has opponeret hypocriticis. ἦν καὶ παρὰ Ιουδαίους δικαιοσύνη, καὶ ὁσιότης: ἀλλὰ τυπικὴ. Περῖ γὰρ σώματος κάθαρσιν ἠσχόλητο, ἀλλὰ μὴ ταυτὴν, ἀλλὰ τὴν ἐν ψυχῇ δικαιοσυνὴν καὶ ὁσιότητα ἐνδύσασθε. Haec est prima differentia. Alteram subjiciunt, δικαιοσύνὴν τῆς ἀληθείας λέγει, πρός ἀντιδιαστολήν τῆς ἐν ὑποκρίσει Prima ratio, ad Judaeos si scripsisset, plurimum haberet momenti: sed ad Gentes altera magis congruit.

Hactenus in genere contulit vitam non renatorum, talisque vitae causas, cum vita renatorum & ejus causis: & hortatus est ut deponamus veterem hominem cum priore ejus conversatione, induamus autem novum. Sequuntur nunc proprii çujusque vitae fructus, eóque & singulares ad peculiaria quaedam vitia vitanda, quae tunc in illa Ecclesia regnabant, & ad contrarias virtutes persequendas adhortationes. Prima est, ut fugiamus mendacium omnésque mendacii species, puta simulationes, dissumulationes, dolos, astutias, imposturas omnes; & contra sequamur veritatem, sinceritatem, candorem. Ait igitur:

V. 25. *Quapropter deposito mendacio loquimini veritatem quisque cum proximo suo: quoniam sumus invicem membra.*

Syriac. *Propterea deponite a vobis mendacium & loquimini veritatem, vir cum proximo suo: membra enim sumus unus alterius.*

Unum habemus praeceptum, duas ejus causas. Mandatum est, ne loquamur mendacium. Prima causa, in διό, &c. Emphasin habet illud διό: quasi dicat, si deponendus est vetus homo cum veteri conversatione, & induendus novus in justitia & sanctitate, non fucata sed vera: optimè sequitur inprimis deponendum esse mendacium, quod ex diametro pugnat cum veritate. Deponere enim

mendacium

mendacium pertinet ad dispositionem veteris hominis secundum priorem conversationem: sicut loqui veritatem pertinet ad id, quod dixerat, & induere novum hominem. Incipit igitur à mendacio, non solùm quia illud etiam fuit primum peccatum in Paradiso admissum, idque Diaboli proprium, unde totius humani generis ruina profecta est: verùm etiam, quia nil magis contrarium verae justitiae quám mendacium. Quid sit mentiri & mendacium & quotuplex, aliàs dicemus: in praesentia tantùm dico nomine mendacii hîc intelligi quicquid opponitur veritati. Veritatem autem loqui signíficat non solum dicere id, quod res est, sed in omnibus sincerè agere, sine dolo, sine fraude, sine simulatione aut dissimulatione, quae in cujuspiam damnum cadere possit. Ergò deponere mendacium est: quicquid noveris esse falsum ab illo abstinere, cùm agis cum fratribus tuis: sincerè autem cum illo candidè & apertè agere. Hoc est quod etiam *Joh.* 3. Christus dixit, Qui male agit, odit lucem: qui autem sincerè agit (ὁ δε ποιῶν τῆν ἀλήθειαν) venit ad lucem. Veritas igitur significat sinceritatem. Eloqui ac facere veritatem est sincerè loqui & agere. In summa hoc praeceptum est simile illi, inter bonas benè agere oportet & sine defraudatione. Peccatum hoc in tribus potissimum hominum generibus regnat: in Aulicis, in Mercatoribus, in Hypocritis. Videtur familiare fuisse astutis illis Ethnicis & Graecis Ephesiis: *Graecia mendax*, dicebat ille. Et Apostolus, *Cretenses mendaces semper.* Hac de causa primo loco dehortatus est illos ab hoc vitio. Ac dicendo, Deponite mendacium, docet hanc mentiendi consuetudinem fuisse adhuc indutos nonnullos Ephesios. Nihil verò est certè homine indignius quàm mentiri, ut etiam Ethnicus poëta dixerit, ψεῦδος δε μισεῖ πᾶς φρόνιμος καὶ σοφός. Christus dixit, *Diabolum esse menducem & patrem mendacii.* Johan. 8.

Rationem alteram efficasissimam subdit, cur non debeamus loqui mendacium, quoniam *(inquit)* sumus invicem membra. Dico alteram rationem, quoniam prima praecessit, ubi dixit, διό. Pugnat enim cum justitia & sanctitate veritatis mendacium. Nunc igitur alteram subdit, dicendo, *quoniam sumus invicem membra.* Multae quidem sunt aliae rationes, cur inter homines locum habere non debeat mendacium, aut ulla fraus, quas jam commemorare non est necesse: sed haec est efficacissima, cur procul abesse debeat ab Ecclesia Christiana piisque hominibus, quia, *scilicet*, sumus invicem membra, membra nimirum ejusdem corporis Christi, quod est Ecclesia. Caput hujus corporis est ipsissima veritas. Ego sum veritas, dicebat Christus *Joh.* 14. *Item*, plenus gratia & veritate: Joh. 1. 14. Et nunquam inventus est in ore ejus dolus. Jes. 53. 9. Quale igitur monstrum est, si sub tali capite membra degant, quae sibi invicem mentiantur & dolis ac fraudibus agant? In humano corpore nullum membrum alterum decipit, quia in suam ipsiusmet fraudem hoc faceret. Se ipsum igitur decipit qui fratrem decipit. Turpe est, si homo homini, si popularis populari, si civis civi mentiatur. Turpiùs si domesticus domestico, frater fratri, famulus Domino. Quid igitur, si membrum Christi membro Christi, Christianus Christiano, fidelis fideli? Scholia sic explicant: μὴ ὀφθαλμὸς ἰδὼν θηρίον οὐ

διδῶσι

διδῶσι φυγὴν τοῖς ποσὶν; ἡ χεὶρ ψηλαφήσασα τὶ πονηρὸν ψεύδεται τὰ λοιπὰ μελη; οὕτως καὶ ὑμᾶς χρὴ διακεῖσθαι

V. 26. Irascimini & ne peccetis: Sol ne occidat super iracundiam vestram.
V. 27. Neque date locum Diabolo. (Syr. Calumniatori, &c.)

Cúm ait, *Irascimini*, neque jubet ut irascamur, neque simpliciter prohibet, ne unquam irascamur. Ratio utriusque est, quia ira per se neque mala est neque bona: sed ex circumstantiis potest esse vel bona vel mala. Nam ira Deo etiam attribuitur. Et Filius in carne manifestatus iratus est adversus peccata Pharisaeorum. Certè irasci hoc modo vel nostris vel nostrorum peccatis res est sanctissima: modo etiam ordo & modus servetur. Fieri verò potest mala tribus potissimum modis: *Primum*, si aut nullis aut levibus de causis irascamur propter privatas potius injurias nobis factas, quam propter peccata ipsa. Irasci enim propter peccata vel nostra, vel aliorum, quatenus, *scilicet*, illis offenditur Deus & proximus, pium & sanctum opus est. *Secundo*, si irascimur quibus non debemus, ut cum iram, qua debebamus nobis ipsis & nostris aliorumque vitiis irasci, in fratres ipsos convertimus. *Tertiò*, si semel commoti ira metas transilimus, & excedimus modum. Ita peccare possumus aut in causis irae, aut in rebus quibus irascimur, aut in modo irascendi. Et contrà fieri potest, ut sit bona & laudabilis ira. *Primum*, si causas habeamus justas & graves irascendi: sunt autem hae peccata ipsa nostra inprimis, & deinde etiam aliorum: ídque non quatenus offensae sunt privatae, sed quatenus illis offensus est Deus & proximus. *Secundo*, si non in personas & in fratres evomamus iram, sed in peccata ipsa, & in autorem peccati Diabolum. *Tertiò* si modo servemus, & ne cum justa & sancta ira misceri sinamus carnis affectus: ac si forte abripimur ultra metas, eam statim reprimamus. Cum igitur in ira & peccari possit & non peccari: idcircò Paulus nec jubet ut irascamur, nec simpliciter prohibet. Sed quid? Jubet si irascimur, ne peccemus in ira, illis, *scilicet*, modis, qui modo explicati sunt. Hoc igitur sibi vult dictum hoc, ex *Psal.* 4. desumtum, *Irascimini, & nolite peccare.* Ubi OEcomenius μία ἀναμάρτητος ὀργὴ, ἡ πρὸς τοὺς δαίμονας καὶ τά πάθη. Sed quid? Si contingat ut irascendo peccemus? sumus enim homines. Subdit Apostolus remedium, nempe cohibeamus iracundiam nostram, reconciliemur fratribus, nec sinamus illam longiùs progredi aut temporis spatio obdurescere. Hoc igitur est, quod subdit: *Sol ne occidat super iracundiam vestram.*

Non ait, ἐπὶ τῇ ὀργῇ, sed ἐπὶ τῷ παροργισμῷ ὑμῶν. Ita enim fieri potest, ut sit bona et ex zelo gloriae Dei nascatur: ac proinde ut talis irae poenitere nos non debeat: sed ait παροργισμῷ, quia παροργισμὸς bonus esse non potest, cum sit ira praeter rationem & sine ulla justa causa suscepta. Hanc vim habet illa addita particula παρὰ. Ita discrimen faciendum & retinendum est inter ὀργὴν, ὀργισμὸν, & παροργισμὸν, *id est*, iram, iracundiam, & injustam iracundiam. *Primum* igitur, quod à nobis exigit Apostolus, est ut si contingat nos irasci, ne in ea peccemus. *Alterum est,* si etiam usu veniat ut irascendo peccemus, & sine legitima causa irascamur, & de injuria nobis facta cogitemus: nec hunc

hunc παροργισμὸν foveamus in animis nostris, & nobiscum dormire sinamus: sed sicut adveniens nox maximum diei aestum sole occumbente extinguit, sic etiam iniquum irae aestum deponamus unà cum vestimentis, cum imus cubitum. Hoc enim est exuere & deponere veterem hominem secundùm priorem conversationem. Atque hoc pertinet propriè ad illum qui injuria affectus est, ne, *scilicet*, de vindicta secum noctu cogitet. Quid verò de illo, qui injuriam fecit? Neque ipse permittere debet ut sol occumbat, quin priùs eat & reconcilietur fratri suo, ut Christus docuit, Matth. 5. Subdit causam Apostolus, cur non debeamus permittere, *ut sol super iracundiam nostram occidat*, ne, *scilicet*, nos, intra penetralia pectoris nostri παροργισμὸν foventes & de vindicta cogitantes, Diabolo nos ad graviora mala impellendi, nempe ad injuriam vel verbis vel factis, atque etiam caede perpetrandam, eóque nos perdendi occasionem demus. *Diabolus enim tanquam leo rugiens circuit quaerens quem devoret*, ait Petrus, 1.5. Resistendum igitur illi est, non autem locus & occasio danda nos tentandi & ad graviora mala perpetranda impellendi. Videt autem & observat Diabolus, quinam sint irati irámque foveant intra se: ac tunc facit officium, suis follibus & flatibus ignem iracundiae magis ac magis accendens, donec in flammam erumpat, & magnum fiat incendium, quo & fratres eorúmque familiae ultionibus nostris perdantur, & nos simul ab hoc igne iracundiae in ignem aeternae irae divinae conjiciamur. Ergò gravissima causa, cur non debeamus permittere, ut sol occidat super iracundiam nostram, est, ne, *scilicet*, hac ratione locum demus Diabolo, nos ad plura & majora mala tentandi atque impellendi.

Syriac. habet, Ne detis locum calumniatori: Et sic Erasmus vertit & interpretatur, ne demus occasionem infidelibus nos pietatémque Christianam calumniandi: sed prior interpretatio & versio gravior est. Est autem generale mandatum, ne demus locum Diabolo ulla in re, non autem in sola iracundia: puta, *Non esse vino indulgendum, ne demus locum Diabolo nos ad jurgia, ad rixas, ad homicidia, ad stupra & adulteria adigendi.*

V. 28. *Qui furabatur non ampliùs furetur, sed potiùs laboret operando manibus, quod bonum sit, ut possit impertiri ei cui opus fuerit.*

Syriac. *Et qui furabatur, posthac non furetur: sed laboret manibus suis, & operetur bona, ut sit illi ad dandum ei qui necessitatem habet.*

Graecè est ὁ κλέπτων, qui furatur, *id est*, qui furare solitus est. Non ergò alloquitur eos, qui antequam fierent Christiani furabantur, & postea desierunt furari: sed illos, qui Christiani effecti adhuc tamen furari soliti erant per dolos & fraudes. Quid sit furtum, quotve ejus species, seorsim dicemus in loco de Furto. Nunc tantum dico damnari hîc omnes dolos & fraudes, quibus quis quaerit lucrum facere cum injuria proximi, quod tamen velit latere: ac proinde omnes etiam usuras mordentes comprehendit, adeóque omnem injuriam, quae non fit palam sed occultè; quae enim apertè fit non furtum est, sed rapina.

Hîc igitur habemus primo loco praeceptum de vitio furandi deponendo: est enim hoc membrum veteris hominis. Deinde habemus mandatum de vitando otio, déque aliqua honesta & utili arte vel exercitio suscipiendo, unde quis honestè vivere suosque alere possit: Et hoc cum ait, *Magis autem laboret operando manibus, quod bonum est.*

Commo-

Commodùm autem hoc alterum mandatum subjecit priori. Ostendit enim causam, unde quis furari solitus sit : ea est otium & ignavia.Si quis enim nihil agat, unde se suósque nutriat: is ad furandum, & ad ea, quae aliorum sunt, sibi fraudulenter usurpanda, sese convertere solet. Ergò vitandi furti causa necessarium est hoc praeceptum de vitando otio, & honesto aliquo exercitio suscipiendo.

Illud κοπιάτω, significat totis viribus operari & cum labore. Alludit enim ad illud Dei mandatum Adae traditum, *In sudore vultus tui vesceris pane tuo.* Praecipit ergo ut quisque aliquid agat & operetur, non segniter & oscitanter, sed totis viribus. Ideo Scholia κοπιάτω δε εἰπὼν τό ἐπιπόνον τοῦ ἔργου ἐδήλωσε.

Illud verò, τὸ ἀγαθὸν, significat honestum & utile. Vult igitur ut quisque opus aliquod, aut operam honestam simul & utilem, praestet. Καὶ γὰρ καὶ ὁ κλέπτων ἐργάζεται (*aiunt Scholia*) ἀλλὰ κάκὸν. Omnes igitur artes omnésque operum species, vel turpes ac minus honestae vel inutiles, hac voce ἀγαθοῦ excluduntur. Et tantùm honestae, & quae aliquam adferre possint utilitatem, commendantur.

Illud verò, ταῖς χέρσιν, non est ita accipiendum, quasi non obtemperet Apostolo, si quis non laboret manibus sed lingua, ut ludimagistri & Doctores, vel pedibus, ut Tabellarii; nam de Ministris dixit 1. *Tim.* 5. Presbyteri, qui bene praesunt, duplici honore digni sunt: maximè autem, qui laborant in verbo. Dixit igitur, Laboret manibus, quia manus sunt organa organorum: & quia ferè artes omnes exercentur manibus, & manibus pleraque omnia fiunt. Sic etiam illud accipiendum est: In sudore vultus tui comedes panem. Gen. 3.

Tertio loco causam subdit hujus secundi praecepti, Ut possit *(inquit)* impertiri cui opus fuerit.

Tres praecipuae sunt causae: *Una* est, ut vitetur furtum. Cùm enim hoc ex otio & desidia nasci soleat: honesto aliquo exercitio & labore tollitur occasio furandi. Hoc praemisit, dicendo, Non furetur amplius, μᾶλλον δὲ κοπιάτω.

Secunda est, ut suo quisque labore sibi suisque victum paret. Hanc in Genesi habemus, In sudore vultus tui vesceris pane tuo. Et Apostolus ad *Thess.* Qui non vult laborare, non manducet.

Tertia, ut non solùm nos habeamus unde nos nostrásque familias alamus: verùm etiam ut possimus cujusque necessitati pro nostra virili succurrere. Hanc hìc tradit. Docet igitur illos non esse veros Christianos, qui in hoc tantùm incumbunt, ut nihil sibi suaeque familiae desit: de reliquis verò fratribus pauperibus non sunt solliciti. Apostolus vult nos ita laborare totis viribus, & ita etiam sobriè vivere, ut aliquid semper supersit, quod pauperum quoque necessitatibus impertiri possimus. Ratio: Quia sumus omnes (ut suprà dixit Apostolus) invicem membra.

V. 29. *Omnis sermo putridus* (vel corruptus) *ex ore vestro ne egreditor* (pro nullus egreditor) *sed si quis est bonus* (id est, commodus) *ad aedificationem utilitatis vel necessitatis* (id est, utilem ac necessariam: *Beza*, ad aedificationis usum:) *ut gratiam auditoribus afferat.*

Syriac. *Omnis sermo detestabilis ex ore vestro non prodeat, sed is qui bonus est & utilis ad aedificationem, & conferat gratiam iis, qui audiunt.*

Aliud

Aliud etiam membrum veteris hominis hîc praecidendum & deponendum esse docet: hoc verò est vitium linguae, quo aut noxia aut saltem inutilia loquimur. Et subdit quod novi hominis proprium est, nempe ut contra loquamur ea, quae & honesta sunt & ad aedificationem utilitatémque pertinent. Est enim homo creatus ad colendum Deum, dataque ei lingua, qua ad Deum laudandum, ad proximum docendum, arguendum, consolandum Christóque adducendum, & lucri faciendum, *id est*, ad gloriam Dei, & ad salutem utilitatémque proximi utatur: sicut etiam omnes nostrae actiones ad eundem finem ordinatae sunt. Siquis igitur sermo fit, qui neque ad gloriam Dei, neque ad nostram salutem, utilitatémque & aedificationem proximi faciat: hunc vult Apostolus procul abesse ab ore Christiani hominis. Haec est summa hujus versus atque praecepti.

Quid sit sermo σαπρὸς, liquet a contrario quod subjicit, dicendo *sed si quis est* ἀγαθος πρὸς οἰκοδομὴν τῆς χρείας, *ut gratiam afferat iis, qui audiunt.*

Duas conditiones requirit Apostolus in omni sermone nostro: una est, ut utilis & commodus sit ad proximi aedificationem: altera, ut sit gratiosus, sanctè oblectet auditores & recreet animos, sanctámque amicitiam inter loquentem & auditores conciliet. Ergò sermo σαπρὸς erit sermo putris, *id est*, qui instar pomi putridi neque utilitatem ulla adfert, neque honestam oblectationem. Alludit enim hac voce σαπροῦ ad poma putrida & malè olentia, quae nec prodesse possunt nec oblectare, sed contra potiùs & suo foetore nos turbant, & putrefactione, si edantur, offendunt & noxia sunt. Nam *Matt.* 7 σαπρὸν δενδρον, arbor putris *(id est, mala)* πονηροὺς καρπούς ποιεῖ. Sic cor impurum & putridum impuros & putridos foetidósque sermones emittit. Vel forte alludit ad halitum, quem ex ore emittimus. Si intima sunt sana & pulmones incorrupti, halitum etiam bonum spiramus: Si corrupti & vitiati sunt pulmones, putridus etiam halitus & toleratu gravis fuerit. Ad hanc metaphoram spectare videtur illa particula, ἐκ τοῦ στόματος ὑμῶν μὴ ἐκπορευέσθω. Halitus certè foetidus, aut etiam venenatus, qualis est pestilentia infectorum, primùm utilis non est, sed noxius: deinde non adfert gratiam iis, qui illum naribus percipiunt, sed ingratissimus est & molestissimus. Tales etiam sunt sermones, qui proficiscuntur ex ore eorum, qui cor habent putridum, impurum, superbum, iracundum, arrogans, vel libidinosum, aut perfidum. Ergò σαπρὸς λόγος est sermo ex putrido, corrupto malóque corde proficiscens, corruptus & ipse atque malus, qui nec aedificare potest, nec mentes honestè recreare. Sic scholia σαπρὸν ἢ τὸ ἀγνὸν καὶ εἰκαῖον (vanum) καλεῖ, ἤ σεσηποτά καὶ δυσώδη, id est putrefactum, rancidum, & malè seu grave olentem.

Τί γάρ λοιδορίας, κακολαλίας, αἰσχρολογίας, εὐτραπελίας δυσωδέστερον, ἢ πλεῖον σεσηπὸς; In summa omnis sermo, qui nec ad aedificationem facit commodùsve est, & qui piis honestisque auribus ingratus est, is est ille sermo, quem hîc vocat Apostolus σαπρὸν, quem abesse vult ab ore Christianorum. Proficiscitur enim ex corde impuro, & variis vitiis corrupto.

Non egreditor (inquit) *ex ore vestro.* Quasi dicat, comprimantur labia, ne egredi possit, & compascatur lingua, & intus potius retineatur talis impuri cordis foetus, quàm ut permittatur egredi, cum offensione auditorum. Ubi

igitur

igitur sunt illi, qui quicquid venit in buccam effutiunt, obmurmurant, detrahunt, obscoena & vana loquuntur? Deinde admoniti sese excusant, dicendo, Ego sum homo liber, non sum hypocrita, oportet me dicere quod sentio: quasi verò hypocrita sit, qui obtemperat verbo Dei. Respondeant Apostolo, qui ait, *Nullus sermo corruptus egreditor ex ore vestro.* Quid igitur? Subdit: *Sed si quis est commodus ad aedificationem* τῆς χρείας.

Trifariam exponitur hic locus. Scholia vocem χρείας accipiunt pro indigentia & necessitate: & subintelligunt παρούσης, *scilicet* τῆς χρείας: ac volunt hunc esse sensum: Nobis verba facturis sive publicè sive privatim spectandam semper esse praesentem auditorum necessitatem, puta, an egeant doctrina vel reprehensione, vel consolatione, vel adhortatione: atque juxta hanc necessitatem verba & sermonem esse à sacris litteris attemperanda: tum enim & auditores aedificari, & sermonem nostrum futurum gratiosum, vel ad gloriam Dei impertiendam accommodatum. Talem igitur sermonem vocari aiunt ab Apostolo λόγον ἀγαθόν πρὸς οἰκοδομὴν τῆς χρείας. Verba Œcomenii haec sunt, ποίας χρείας; τῆς παρούσης φησὶ, περὶ ἧς ἡ διάλεξις. Δεῖ γὰρ τὸν πνευματίκον ἄνθρώπον πᾶσαν προκειμενὴν διάλεξιν προτρέπειν εἰς οἰκοδομὴν τῶν συμπαρόντων. Neque aliter interpretatus est Hieronymus, nisi quod nomen χρείας vertit in nomen opportunitatis, ut aedificatio opportuna, pro loco, tempore, personis. Quotiescunque *(inquit)* ex sermone nostro aliquis proficit, & juxta opportunitatem loci, temporis & personae aedificat audientes, bonus de ore nostro sermo processit. Quoties verò loquimur aut non in tempore, aut importuno loco, aut non ut convenit audientibus, toties sermo malus procedit de ore nostro, ad destructionem eorum, qui audiunt. Ab hac prima *altera* interpretatio non multum declinat; χρείαν pro utilitate accipiunt: & φράσει Hebraica interpretantur οἰκοδομὴν τῆς χρείας pro οἰκοδομὴν χρειώδη, utilem: utilem vocant aedificationem illam, quae fit ex accommodato ad praesentem necessitatem sermone, verbóque Dei. Fieri enim potest, ut quis cupiat loqui ad aedificationem: sed si id faciat vel imprudenter, non habita ratione personarum quae audiunt, aut locorum, aut temporum, vel etiam illegitimè, humanis, *scilicet*, rationibus, sine verbo Dei: talis aedificatio utilis non fuerit. Apostolus certè manifestè docet nonnullos aedificare, sed non utiliter, eóque sine laude: ut qui super fundamentum aedificant stipulas, foenum. Et Christus ait, *Quosdam aedificare super arenam.* Ergo neque haec damnari potest interpretatio.

Tertia per hanc ὑπαλλαγὴν explicat verba Apostoli, εἰς οἰκοδομήν τῆς χρείας, pro εἰς χρείαν τῆς οἰκοδομῆς: ad usum aedificationis. Neque talis interpretatio caret testimoniis scripturarum. Priorem tamen ego retineo.

Illud ἵνα δῷ χάριν τοῖς ἀκούουσι, triplicem habere potest sensum: primum, ut gratiam *(nempe Dei)* qua, *scilicet*, audientes doctrinam capiant, aut consolationem, aut correctionem, aut adhortationem afferat. Per talem enim sermonem, ad aedificationem τῆς χρείας accommodatum, solet gratia Dei iis qui audiunt communicari, qua illi aedificari ac servari possint. Deinde sic: ut sermo ille fiat gratus audientibus: gratus, *inquam*, spiritualiter, & quo ad spiritum, & non quod ad carnem attinet: id quod fieri solet, si sermo fit bonus, & ad aedificationem. Spiritum enim recreat talis sermo. Utramque

adferunt

adferunt Scholia: ἵνα δῷ χάριν Θεοῦ τοῖς ἀκούουσιν: ἢ ἵνα εὐχαρίς αὐτοῖς μένῃ πνευματικῶς. Ε'σται δε τοῦτο, ἐὰν περὶ σωφροσύνης, περὶ δικαιοσύνης, περὶ ἐλεημοσύνης λαλῇς. Addunt tertiam, ἢ ἵνα χάριν σοὶ εἴσωνται Θεοῦ ἐφ' οἷς λαλεῖς. *Sensus est:* talem debere esse sermonem nostrum, & ad utilitatem proximi accommodatum, ut pro iis, quae loquimur, gratiam nobis à Deo precari possint auditores. Ad *Col.* 3. sic scribit, Sermo Christi inhabitet in vobis largè cum omni sapientia docendo & commonendo vos mutuò Psalmis, hymnis, & cantionibus spiritualibus, cum gratia canentes in cordibus vestris Domino. Cum gratia loqui & canere, est ita ad commodum & utilitatem proximi loqui & canere, ut gratiam promereamur ab auditoribus. Sic c. 4. *Sermo vester semper cum gratia, sale sit conditus.* Quae sale condiuntur, non putrescunt nec foetent: Si verò sint etiam odora & suaveolentia gratiam promerentur ab iis, qui talis fragrantiae fiunt participes. Vult igitur in summa Apostolus sermonem nostrum esse honestum, ne honestas cujuspiam aures offendat: & praeterea ad utilitatem accommodatum, ut ea re gratiam ab auditóribus promereatur.

V. 30. *Et ne tristitia afficiatis Spiritum illum Sanctum Dei, per quem obsignati estis in diem redemtionis.*

Scholia conjungunt cum superioribus verbis, & volunt hîc gravem subdi rationem, cur sermo noster non debeat esse spurcus, corruptus, aut putridus, ne, *scilicet*, contristemus tali sermone Spiritum Sanctum, per quem sumus obsignati. Hoc modo non debuisset divelli à superioribus, & fieri novus versus.

Sunt tamen qui velint generalem per se esse sententiam. Sed videamus nos sensum.

Particula haec adversus eos est addita, qui nil curant, an suis actionibus aedificent vel destruant eos qui audiunt: offendantve piorum aures, an eorum spiritus laetificent: quasi dicat Apostolus: Quod si vos parum movet studium lucrifaciendi & aedificandi homines, saltem cavete, ne Spiritum Sanctum vestris putridis & obscoenis sermonibus contristetis. Est enim Sanctus ille Spiritus, proinde sanctos sermones amat, impuros autem & profanos odit.

Trifariam autem exponitur, primum de Spiritu Sancto Dei, idque meritò tum propter articulam τὸ geminatum, τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον, tum maximè propter particulam sequentem ἐν ᾧ εσφαγισθήτε. Hoc sensu est hîc aperta ἀνθρωποπάθεια in verbo λυπεῖτε, si pro contristari accipiamus. Et locus est desumtus ex *Jes.* 63. ubi dicit, Et irasci fecerunt Spiritum Sanctum ejus. Deus dicitur tristitia affici, cum ejus filii aut malè loquuntur, aut malè agunt: contra verò laetitia affici, cum bene agimus ac loquimur. Quidam interpretantur de spiritu nostro, qui per Spiritum Sanctum regenitus sanctus fit, & Spiritus sanctus appellari potest. Afficitur autem tristitia spiritus noster propter malefacta & vana obscoenáque colloquia; sequuntur enim cruciatus animi, & afflictio spiritus. Quidam etiam interpretantur de spiritu illorum qui audiunt. Spiritus enim piorum & honestorum auditorum offenditur turpiloquiis & obscoenis sermonibus. Sed licet haec piè dicantur: non possunt tamen cohaerere cum verbis Apostoli. Loquitur enim de illo Spiritu, per quem obsignati sumus in diem redem-

redemtionis. Quis autem est spiritus, nisi Spiritus ille Sanctus, per quem regeneramur? Prior igitur interpretatio sola genuina est.

De hac obsignatione diximus in c. 1. Metaphora sumta est à mercatoribus, qui postquam emerunt merces, eas proprio sigillo obsignant, ut cum tempus est illas exportandi, eas à caeteris discernant, & aliis relictis suas domum exportent. Sic Deus Electos suos, sanguine Filii emptos atque redemtos, Spiritu suo obsignat, eos regenerando, & suam imaginem, seu imaginem suae naturae & sanctitatis in eis imprimendo. Et quando obsignat? In Baptismate, ideò die, quo nos baptisat non tam aqua, quàm Spiritu. Et in quem finem? Ut tandem, cum venerit dies perfectae redemptionis, eos seligat à reprobis, & in caelum introducat. Ille enim dies dies erit perfectae redemptionis. Proinde dicit in diem redemptionis. Duo igitur dicit gravissima mala committi profanis & obscoenis sermonibus nostris. Unum est, quod signaculum Dei, quo sumus obsignati, commaculatur, & quasi obducitur, ut non agnoscamur pro filiis Dei. Alterum est perditio nostri, quae sequitur. Amittimus enim redemptionem.

V. 31. *Omnis amaritudo & excandescentia, & ira, & clamor, & maledicentia tollatur ex vobis, cum omni malitia.*

Πικρία, amaritudo seu amarulentia, propriè hìc significat animi rancorem & desiderium studiúmque alicui nocendi. Θυμὸς est tumor & excandescentia, quando, *scilicet*, inflammatione vultus erumpit amaritudo, quae alioqui latebat.

Ita quid sit notum est, clamor seu vociferatio hominis irati.

Maledicentia convitium est in Deum vel in proximum, quod etiam sequitur vociferationem & cum ea conjungitur.

Κακία aliquando in genere opponitur omni virtuti & ita significat omne vitiorum genus: aliquando capitur propriè pro versutia & studio nocendi: & opponitur peccatis ex ignorantia & ex infirmitate admissis.

Haec omnia demonstrant inter Ephesios regnasse iracundiam, contentiones, rixas. Haec sunt membra veteris hominis. Subdit contraria novi hominis.

V. 32. *Sed estote alii in alios benigni, misericordes, condonantes vobis mutuò* (offensas) *sicut & Deus in Christo condonavit vobis.*

Scholia: χρηστοὶ, ὡς πρὸς ἀντιδιαστολὴν τῆς ὀργῆς. Χρηστὸς enim significat suavem, placitum, blandum, Matth. 11. ζυγὸς χρηστὸς 1. Pet. 1. Suavis Dominus χρηστὸς. Εὔσπλαγχνοι ὡς πρὸς ἀντιδιαστολὴν τῆς πικρίας.

Est enim commotio viscerum ad miserendum & compatiendum. τὸ δε χαριζόμενοι ἑαυτοῖς, ὅ ἐστί συγγνωμονικοί γίνεσθαι, ὡς πρὸς ἀντιδιαστολὴν τῆς κακίας καὶ βλασφημιας τέθείλε, καθὼς καὶ θεὸς ἐν Χριστῷ.

Ad condonandum magnam vim habet adhortationis, quod Christus dixit, *Remittite, & remittetur vobis:* sed quia non omnes credunt futuris, à condonatione facta argumentum ducit, dicendo, *Sicut in Christo condonavit Deus.*

Et

Et quid est in Christo? *hoc est,* Non sine morte & cruce filii sui. Tu autem condonare potes sine ullo tuo damno, sine ullo tuo periculo. Καὶ σὺ μὲν ἀκινδύνως χαρίζῃ: ὁ δε Θεὸς μετὰ τοῦ θανάτου τοῦ μονογενοῦς αὐτοῦ ἐχαρίσατο ὑμῖν.

DOCTRINAE SEU LOCI.

ex 3 parte cap. 4. ad finem usque.

V. 17. 18. 19. *Hoc igitur dico & testificor in Domino, ne vos amplius ambuletis sicut & reliquae Gentes ambulant in vanitate mentis suae: obtenebrati intelligentia, alienati cùm sint à vita Dei, propter caecitatem cordis eorum: qui postquam dedoluerunt, seipsos dediderunt lasciviae ad patrandam immunditiem, cum avaritia* (aviditate) &c.

Ex iis tribus versibus quatuor praecipuos doctrinae Christianae locos colligimus.

De corruptione hominis.

Primus ac praecipuus locus est de corruptione totius humanae naturae: de qua duo dicimus: Unum, eam totam ita esse corruptam, ut nullas in homine non renato liberi arbitrii vires ad bonum vel cognoscendum vel eligendum vel faciendum, sed tantum ad malum esse dicamus. Attribuit enim Apostolus omnibus non renatis, quod ad partem intelligentem attinet, vanitatem mentis, excaecationem τῆς διανοίας, ignorantiámque (Dei scilicet rerúmque divinarum.) Deinde, quoad partem appetentem, ait omnes habere cor obduratum (nempe in malo, eóque non posse amare, nolle autem eligere bonum). Unde sequitur tertiò, omnes alienatos esse à vita Dei, Deóque placente & grata. Et contrá omnes ambulare ac vivere in vanitate mentis suae, eóque in omni scelerum genere, séque securos tradere effreni libidini ad omnem immunditiem perpetrandam. Ex quo postremum consequitur, nempe, quo majores fiunt tenebrae in mente, & obduratio cordis augetur: & quo diutius quis in peccatis vivit, hunc tandem eo magis omnem etiam peccati sensum atque dolorem amittere, ita ut nullum porro tam obscaenum & tam atrox peccati genus sit, quod perpetrare non expetat & securè audeat. Quale igitur est liberum arbitrium in homine non renato, si à gratia Dei non compescatur & immutetur? Haec est omnium hominum ex Adamo nascentium corruptio: quae etiam eo magis augetur, quò magis concupiscentiis ejus obtemperatur, ut docet Apostolus, vers 22. cùm ait: Veterem hominem corrumpi secundum concupiscentias deceptrices. Ac totum quidem hominem esse corruptum, atque adeò totam animae substantiam, liquet è sacris literis. *Genes.* 6. Figmentum humani cordis tantum est ad malum omni die. *Jer.* 11. Pravum est cor hominis, &c. *Ezech,* 36. Cor lapideum vocat. *Joh.* 3. Quod natum est ex carne caro est. Licet anima creatur à Deo, non autem ex traduce fit parentum, ut Hebr. 13. liquet, quia tamen propter conjunctionem cum corpore inficitur, idcircò ipsa quoque nomine carnis comprehenditur: & ita frequenter occurrit in sacris literis, ut nomine

carnis totus homo intelligatur. Infrà etiam ait Apostolus, renovari oportere mentem per Spiritum Sanctum. Falluntur ergò, qui aiunt & docent peccato originali non ipsam animae substantiam, sed tantum potentias animae, quas negant esse partes animae substantiales, esse infectas atque corruptas. Hoc est unum.

Alterum, quod in hac corruptione naturae observandum venit, est discrimen, quod tum in his tribus versibus, tum in sequentibus facit Apostolus inter naturam, quae corrupta est, & inter ipsam corruptionem. Natura corrupta substantia est à Deo creata, mens, scilicet, humana, διάνοια, cor eóque res per se bona sed mala facta per accidens, nempe propter corruptionem, quae illi accidit ex peccato Adae. Corruptio verò ipsa accidens est, & per se mala, quia ex Deo non est, ut docet Joan. in 1. epist. c. 2. Discrimen hoc liquet, primum inde quod menti attribuit Apostolus vanitatem: *Ambulant* (inquit) *in vanitate mentis suae.* Aliud igitur est vanitas, aliud mens ipsa: item aliud est διάνοια, aliud ejus obtenebratio: aliud item ignorantia, aliud illi, in quibus ea est: aliud cor, aliud cordis obduratio: aliud ipsa ἀσελγεία & immunditia, aliud illi, qui se dediderunt ad petrandam omnem immunditiem. Confirmat hoc idem Apostolus, cum infra ait debere nos deponere veterem hominem. Non κατά τὴν ἡμῶν οὐσίαν, sed κατά τὴν προτέραν ἀναστροφὴν. Neque enim didicimus à Christo deponere substantiam nostram, sed veterem hominem, *id est*, corruptionem & peccatum ipsum, ut Scholia etiam observant, πάλαιον γὰρ ἄνθρώπον οὐ τὴν φύσιν ὠνόμασεν, ἀλλὰ τὴν τῆς ἁμαρτίας ἐνεργείαν.

Tertiò, idem confirmat infra, cùm contrá de regeneratione induendum esse novum hominem: Item renovandam esse mentem per Spiritum Sanctum. Mens est, quae exuitur veteri homine, & quae induitur novo: idem homo est qui corrumpitur & qui renovatur: eadem hominis natura seu substantia subjectum est modò peccati, modò justitiae, quemadmodum & materia prima modo sub una forma est, modo sub alia. Peccatum igitur originale, *id est*, naturae corruptio, substantia non est, sed in substantia. Est quidem totus homo corruptus: sed distinguenda est corruptio a re corrupta, sicut etiam renovatio à re renovata: justitia & sanctitas ab homine, qua fit ex injusto justus & sanctus. Simile: idem quoque homo est, qui modò aegrotat, modo curatus bene valet. Summa nulla est substantia, quae à Deo condita, ac proinde quae etiam bona non sit: peccatum autem & naturae corruptio ac concupiscentia non est ex Patre, sed ex mundo est, & a Diabolo; neque est res bona, sed mala. Qui igitur originale peccatum substantiam esse docent, evadere non possunt, quin aut cum Marceonitis & Manichaeis negent omnem substantiam esse à Deo conditam: aut contra Joan. Evangelistam contendant, concupiscentiam esse ex patre, 1. Joh. 2. 16. & contra omnes scripturas doceant peccatum naturaeque corruptionem esse rem bonam. Ita liquido apparet, quàm turpiter hallucinentur, cùm ita argumentantur. Tota natura, atque adeò animae substantia, corrupta est peccato originis: Ergò peccatum originale substantia est. Sic etiam consequeretur, tota vini substantia contagio veneni infecta est: igitur contagio veneni substantia est; aut tota corporis substantia pestilentia infecta est: pestilentia igitur substantia est. Discernatur ergò semper qualitas inficiens à substantia infecta. Ita quoque apparet illos falli, qui

qui putant non posse evitari, quin peccatum originale sit substantia, si contendamus mentem humanam, seu τόν νοῦν, quam corruptam esse peccato docent scripturae, esse substantiam. Quasi verò necesse sit, ut, quod inficit substantiam, fiat substantia: quod quàm falsum sit, satis abundè explicatum est. Juxta hanc horum hominum consequentiam evitare non poterunt ipsi, quin cogantur concedere, peccatum, quo pars animae praecipua, *id est* τὸ νοητικὸν, infecta est, esse & ipsum partem animae, & ejus δυνάμιν. Secus verò docet Apostolus, ut antè vidimus. Atque haec de primo loco.

De Ignorantia.

Alter locus, qui in iis versibus observandus venit, de ignorantia est, quam in omnibus Gentibus ad Christum nondum conversis fuisse scribit Apostolus. De ignorantia autem loquitur Dei, voluntatis ejus, rerumqúe divinarum: quoniam hanc statuit fuisse causam, cur alienati essent Gentiles à vita Dei, & ambularent in vanitate mentis suae.

De hac igitur haec mihi dicenda sunt. *Primum* illa tria statuenda sunt de hac ignorantia, quae de tota naturae corruptione D. Augustinus ex S. Literis conclusit, eam nempe & poenam peccati fuisse, & peccatum, & causam peccati. T. 7. contra Julian. Pelag. Ignorantiam hanc poenam esse peccati originalis, manifestum est: quia creatus homo fuit ad imaginem Dei, justus, sapiens. Subsecuta igitur est peccatum ignorantia, tanquam ejus poena. Apostolus confirmat, cùm ad *Rom.* 1. scribit. Qui videbantur esse sapientes, ideò stultos esse factos & traditos in reprobam mentem, quia Deum noverant, non glorificarunt. Esse etiam peccatum nemini dubium est: quia Deus sui suaeque voluntatis cognitionem mandat: Et Christus ait, Servus nesciens voluntatem Domini vapulabit multis plagis. Tantum igitur abest, ut excuset alia peccata, ut ipsa peccatum sit. Quicquid enim repugnat legi Dei peccatum est. Eandem verò causam esse aliorum peccatorum extra controversiam est: & locus Apostoli praesens perspicuus est: *Abalienati* (inquit) *à vita Dei, propter ignorantiam* (nempe Dei) *quae est in ipsis.* Hoc est unum.

Jam verò oritur *quaestio*, num Gentes omni prorsus Dei voluntatisque divinae cognitione destitutae fuerint, nec ne? Nonnulli simpliciter affirmant, si de cognitione veri Dei quaestio proponatur, déque hac locutum hîc esse Apostolum aiunt, cùm simpliciter dixit, διὰ τὴν ἄγνοιαν τὴν οὖσαν ἐν αὐτοῖς. Quò referunt & illud Christi ad Samaritanam, *Vos adoratis quod nescitis*: Jo. 4. Et illud ex Psal. 69. *Effunde iram tuam in Gentes, quae te non noverunt.* Et illud Psal. 46. *Notus in Judaea* (sola) *Deus verus.* Sed contra hanc sententiam multa afferri possunt.

Primò, ad Rom. 1. apertè dat illis cognitionem Dei tantam, quanta satis fuerit ad reddendos eos inexcusabiles: τὸ γνωστόν τοῦ θεοῦ (*scilicet veri*) φανερὸν ἐν αὐτοῖς fuisse dicit: sempiternam quoque ejus virtutem & divinitatem Gentibus perspectam fuisse scribit: imò ideò eos gravissimè peccasse & inexcusabiles esse factos, quia cùm cognovissent Deum (*verum*) non eum ut Deum glorificarunt. Quemnam Deum debuerunt glorificare? Deum verum. Cognoverunt

igitur

igitur Deum verum. Act. 14. ait, Deum apud Gentes non caruisse testibus & argumentis, ex quibus illum cognoscere potuerint.

Secundo, Accedunt testimonia piorum, qui ex libris Gentilium scriptorum quam plurima Christianae religionis dogmata confirmant, de Deo, de Filio ejus, déque Spiritu Sancto, de rerum creatione, gubernatione, resurrectione, vita piorum aeterna, aeternísque poenis impiorum, & de aliis multis. Noti sunt libri Justini Martyris, λόγος παραινετικὸς ad Gentes, item Monarchia Dei, item ἀπολογία ad Antonium Imperatorem, in quibus Christianam religionem ex ipsis Graecorum scriptis manifestissimè evincit atque demonstrat: usque adeò, ut dicat Christum fuisse ex parte notum Socrati. Praestiterunt idem & alii patres complures, Lactantius Firmianus in suis Institutionibus; Eusebius Caesariensis in libris illis praeclarissimis de praeparatione Evangelica; Augustinus de Civitate Dei; Theodoretus de afflictionibus Graecorum. Opus hoc cumprimis praestandum suscepit nostra aetate Augustinus Steuchus Episcopus Eugubinus, in lib. de perenni philosophia. Ac certè si illorum libri accuratè legantur, liquido apparebit Gentiles non fuisse planè ignaros rerum divinarum, quas nos è S. literis didicimus. Libri in primis Sibyllini, qui à Lactantio & aliis citantur, Hermetis item, Trismegisti, Platonis, Pythagorae referti sunt doctrina de Deo rebúsque divinis: ut jam de Aristotele, praesertim in libro περὶ τοῦ κόσμου, & de Cicerone in libris philosophicis, déque aliis compluribus taceamus. Notus est ille versiculus Catonis Ethnici, qui in Scholis legitur:

Si Deus est animus nobis ut Carmina dicunt,
Hic tibi praecipuè sit pura mente colendus.

Quid obsecro sibi etiam volunt tot praeclari libri Ethnicorum de moribus, de vitiis fugiendis, de virtutibus persequendis? Quid leges de justo & honesto, deque Deo semper colendo? Annon luculenter docent Gentes divinae legis, *id est*, voluntatis ignaras non fuisse? Quomodo igitur Apostolus τὴν ἄγνοιαν simpliciter illis tribuit? R. Ex iis, quae modo dicta sunt, liquet manifestissimè. Gentiles omni prorsus Dei divinaeque voluntatis cognitione spoliari non posse: quanquam ea in aliis fuit minor, imperfectior atque incertior, in aliis perfectior atque certior. Interim tamen, si illos excipias Gentiles, quos per suum Spiritum regenuit, ut Melchizedechum, Jobum, & similes, reliquos omnes salvifica Dei cognitione spoliamus cum Apostolo, ut aeternae veritatis sit hoc, quod ait Apostolus, Gentiles alienatos fuisse à vita Dei propter ignorantiam quae in illis fuit. Etsi enim multa bona & vera principia de Deo déque bono et malo habuerunt menti indita: inde tamen falsas educebant conclusiones, & ideo salvifica non fuit.

1. Pro explicatione igitur propositae quaestionis duplex distinctio observanda est. *Prima est*, Gentilium non renatorum tres fuisse ordines; juxta Aristotelis in Ethicis partitionem fuerunt primum οἱ πολλοὶ, imperitum vulgus: fuerunt secundo οἱ χαρίεντες ac politici, qui & καλοὶ vocantur; fuerunt tertiò οἱ σοφοὶ ac θεωρητικοί. Neque enim aequalem in omnibus Dei cognitionem statuimus fuisse: sed in prioribus ita modicam, obscuram & incertam, ut nulla ferè fuisse judicari possit. In secundis majorem agnoscimus, eam praesertim quae de divina est voluntate, seu de justo & iniquo, honesto & turpi, bono ac malo, quodque

Deus

Deus justis faveat, iniquos autem oderit: quales fuerunt illi, qui bonos mores coluerunt, déque eis multa praeclara scripserunt. In tertiis praeclariorem extitisse doctrinam de Deo divinarúmque rerum cognitionem, praeclari ipsorum libri testificantur, Platonis, Pythagorae, & aliorum, de quibus paulo ante diximus. Cum hoc tertio genere conjungimus eos, qui peculiari afflatu Dei illustrati & excitati ea de Deo Patre, Filio & Spiritu Sancto, déque Christo Redemtore, & aliis Christianae religionis mysteriis vaticinati sunt & scripserunt, ut plane Christiani fuisse videri aliqui possint; cùm tamen aut, quae dicebant, non intellexerint, aut praeter nudam cognitionem nihil in eis fuerit verae pietatis; quales fuerunt Sibyllae, & id genus hominum, de quibus multa apud Lactantium. Quale est obsecro illud Serapidis responsum de Deo?

πρῶτα Θεὸς, μετέπειτα λόγος, καὶ πνεύμασιν αὐτοῖς:
Σύμφυτα δή καλῶς τρία πάντα καὶ εἰς ἓν ἰόντα.

Haec igitur esto prima distinctio, qua declaratur in omnibus quidem Gentilibus cognitionem Dei aliquam fuisse, sed inaequalem.

2. *Altera* distinctio haec est: Cognitio Dei duplex est, una vera & efficax, ac proinde salvifica, altera non vera, neque ad salutem efficax. Prior est ea, qua verum Deum in Christo, per Spiritum Sanctum, ex auditu verbi ita verè cognoscimus, ut renovati Spiritu mentis nostrae, fiduciaque in Deum concepta, eum in Christo pro vero Patre agnoscamus, amemus, colamus, & ad praescriptum voluntatis ipsius totam vitam nostram componere studeamus: quò & ipse per nos glorificetur, & alii exemplo vitae nostrae adducti ad eundem in Christo convertantur & serventur. Cognitio haec Electorum est, & Renatorum in Christo. Proinde hac spoliantur ab Apostolo omnes Ethnici non credentes in Christum. Cognitio autem haec ideò vocatur vera: tum quia vera sunt, quae novimus, seu quia ita se res habent, sicut novimus: tum etiam quia verè novimus, *id est*, quia certo persuasi sumus per Spiritum Sanctum ex verbo rem ita se habere. Hujus enim verae cognitionis fundamenta & causae sunt hae tres: Christus, in quo solo verus Deus cognoscitur: Spiritus Sanctus, per quem solum vera fit persuasio veritatis: & Verbum, ex quo gignitur cognitio haec in animis nostris. Haec item cognitio non solum vera est, sed etiam efficax ad salutem, ídque ex iisdem principiis, ex quibus etiam vera & efficax fit in animis nostris. Parit enim fidem fiduciámque in Christum, per quam fimus filii Dei, regeneramur, servamur. Talis est nostra cognitio. Contrá igitur cognitio, qua donati fuerunt Gentiles nondum renati, neque vera fuit, neque efficax, cum neque verbo Dei niteretur, neque per Spiritum Sanctum sanctificantem haberetur, neque in Christo Deum conspiciendum praeberet. *Primo*, non fuit vera, quia licet vera pleraque essent, quae de Deo se cognoscere praedicabant: vere tamen illa non intelligebant, nec Deum verum verè cognoscebant, qui est Pater, Filius, & Spiritus Sanctus: quippe qui Christum ignorabant. *Secundo*, neque etiam efficax fuit, quia fiducia destituebantur, per quam solam salus contingit adultis. Nam sine fide impossibile est placere Deo. Cum igitur vera Dei cognitione, quae in solo Christo & per Spiritum regenerationis

rationis, & ex solo Dei verbo donatur, & in mentibus nostris concipitur, destituti essent Gentiles omnes, tam sapientes & politici quàm vulgares: merito Apostolus ignorantiam illis attribuit, & ait, *Alienatos fuisse à vita Dei propter ignorantiam, quae in ipsis erat: & ambulasse in vanitate mentis suae.* Vana enim in illis erat tota illa, qua donati erant cognitione & sapientia, quia ad hoc tantùm valebat, ut fierent inexcusabiles, ut Rom. 1. docet Apostolus. Quanquam non inficior quin fuerit etiam multis utilis. Erat enim ceu paedagogia quaedam, qua homines retinebantur in officio: & per quam Electi inter illos ad Christum porro recipiendum praeparabantur, sicut etiam lex paedagogus fuit ad Christum ipsis Judaeis.

Nunc igitur tenemus quomodo conciliandi sint illi loci Apostolici, in quibus cognitio Dei ipsis quoque Gentibus attribuitur, cum hoc praesenti & aliis similibus, in quibus negantur Gentes Deum cognovisse; hancque ipsorum ignorantiam legimus causam fuisse, cur alienati fuerint à vita Dei, & in omni peccatorum genere ambularint. Summa haec est:

I. Verus Deus quis sit non cognoscitur, nisi in Christo: verè autem non cognoscitur, nisi per Spiritum Christi, & ex verbo Dei. Ergo quicunque non noverunt Christum, idque ex verbo Dei, multa quidem attributa nosse potuerunt (ut esse Deum, Deum esse justum, omnipotentem &c.), at quis sit verus Deus illi non noverunt. Haec est una propositio.

II. *Altera:* Quicunque ex verbo Dei noverunt Deum verum, & quis sit verus Deus intellexerunt & intelligunt, sed non per Spiritum regenerationis, & in Christo; ii verum quidem Deum novisse dici possunt, sed verè novisse nullo modò dici queunt. Cùm igitur Gentes neque verbum Dei habuerint, neque Christum nôrint, neque Spiritum Christi & regenerationis habuerint: ii neque verum Deum, quis sit, neque etiam verè novisse dici possunt. Ac proinde meritò ab Apostolo ignorantiam Dei in eis fuisse dicitur. Et interim tamen etiam fatemur cum eodem Apostolo illos non prorsus ignorasse Deum.

III. Hanc porrò qualemcunque Dei cognitionem in eis à natura non fuisse, sed à Deo ipso, docemus. Peccatum enim originale crassissimae tenebrae consecutae sunt, & plena Dei ignoratio; id quod apparet in illis, qui Deum omnino esse negarunt. Non igitur à natura, sed à gratia Dei eam habuerunt. Deus enim aliquam sui cognitionem singulorum mentibus indidit. Quo pertinet illud ad *Rom.* I. Deus enim illis manifestavit: sed haec porrò confirmata & aucta in multis fuit: *primum* ex philosophia, seu ex rerum conditarum consideratione, *Rom.* 1: Invisibilia Dei per ea, quae facta sunt, intellecta conspiciuntur: cum quibus Apostoli verbis planè consentiunt verba Aristotelis in libro περὶ τοῦ κόσμου: c. 6. πάσῃ θνητῇ φύσει γενόμενος ἀθεώρητος, ἀπ᾽ αὐτῶν τῶν ἔργων θεωρεῖται θεος: *Deinde* aucta fuit etiam ex veterum Patrum traditionibus, qui, quae à primis hominibus progenitorîbúsque suis de Deo & religione per manus tradita acceperunt, illa posteris suis & revelabant & scripta relinquebant. Qua de re Aristoteles etiam in lib. περὶ τοῦ κόςμου, c. 6. Αρχαῖος μὲν οὖν τὶς λόγος, καὶ πατρίος ἐστὶ πᾶσιν ἀνθρώποις, ὡς ἐκ θεοῦ τὰ πάντα καὶ διὰ θεοῦ ὑμῖν συνέστηκεν.

Adde quod multi ex consuetudine cum Judaeis, tum in Ægypto tum in Assyria & Babylone captivis, quae Deus per Patriarchas, per Mosen & Prophetas

phetas revelarat, didicerunt. Taceo quòd nonnulli etiam scripta Mosis & Prophetarum legerunt, quemadmodum de Pythagora & Platone asseverant Justinus, Eusebius, Augustinus & alii. Quo pertinent Biblia 70 Interpretum in Graecam linguam conversa & inter Gentes dispersa: quae causa fuit, propter quam Apostoli Gentibus praedicantes Biblia non Hebraica sed Graeca adducebant. Norant enim ea Biblia Gentibus legi, sicut de Eunucho Aethiopo legimus Actor. 8. Accedit iis, quòd Deus peculiari afflatu multos inter Gentes singulis temporibus docuit, veràque sui cognitione donavit: quales praeter alios fuerant Melchisedech, Jobus, & alii Gentiles homines.

Ex quibus omnibus haec tria confirmantur.

Primum, ipsas etiam Gentes aliqua Dei rerúmque divinarum cognitione praeditas fuisse: *Deinde*, non aequali omnes, sed alios minori alios majori: *Postremò* hanc cognitionem illis non contigisse à natura, sed à gratia Dei, qui Gentes penitùs non deseruit, sed variis modis ad aliquam sui cognitionem adducere multáque per illas de se praedicare singulis temporibus solitus fuit. Ac de secundo loco satis.

De obduratione cordis.

Tertius locus est de obduratione cordium, quae est alterum principium & causa peccatorum omnísque generis scelerum; praesertim verò si conjuncta sit cum ἀναλγησία seu ἀναισθησία, de qua mox subdet Apostolus ὅιτινες ἀπηλγηκότες. Πώρωσις enim τῆς καρδίας aliquando omnem penitus sensum peccati omnémque dolorem exuit, sicut in iis, de quibus hîc loquitur Apostolus, & de quibus Psalmus: *gloriantur cum malefecerint*, & quemadmodum Diabolis omnibus contigit: aliquando retinet sensum peccati conscientiam accusantis atque pungentis, quemadmodum de Pharaone & de Juda legimus: Uterque obduratum habuit cor, occupatum à Satana, & quod resipiscere nescivit: interim neuter eò usque pervenit, ut nullo peccati sensu atque dolore tangeretur. Uterque enim fassus est se peccasse, & sibi doluisse quod egerat ingenuè testificatus est, quanquam sine resipiscentia.

De hac igitur obduratione mihi dicenda sunt haec.

I. *Quid sit.*

II. *Quotuplex sit.*

III. *Quae causa ejus sit efficiens.*

IV. *Quorum sit,*

V. *Quae ejus effecta.*

De primo capite ita sentimus.

1. Πώρωσις τῆς καρδίας denominatur aut à callo, quod, *scilicet*, illa corda dicantur habere πώρωσιν seu esse πεπωρωμένα, quae durum callum in peccando seu in peccatis & in malo obduxerunt; πώρωσις enim callum significat, & πεπωρωμένα μέλη membra, quae obdurata sunt callúmque obduxerunt, vocantur. Aut sic vocatur à poro lapide praeduro, qui non absimilis est marmori. Hunc aiunt ex aqua glutinosa atque viscosa sensim accrescere, majorémque simul & duriorem fieri. Tale quiddam in corde hominis impii fit. Cor enim, sua natura

 durum,

durum, ex consuetudine peccandi callum sensim obducit, & pertinacius fit in malo: id quod scriptura vocat obdurari cor & indurari, atque etiam incrassari, *Jes.* 6. Incrassa cor populi hujus: & tales pertinaces Deóque rebelles vocantur à Graecis σκληροκάρδιοι & σκληροτράχηλοι. Cor enim & cervicem opponunt Deo, ne ei obtemperent, & sese obfirmant in malo proposito, ut non Dei sed suam ipsorum voluntatem faciant.

Frequens est apud Hebraeos in Bibliis verbum *Cassa*, induruit, durum fuit: & durum apud Latinos dicitur quod non facilè cedit.

Cordis igitur obduratio est voluntatis à Deo aversae & ad malum conversae obstinatio in malo: qua quis ut faciat quod ipse, non autem quod Deus vult, adversus omnes Dei admonitiones sese pertinaciter opponit, ad suum, nisi per Spiritum Sanctum emolliatur, interitum. Qualis enim fuit Judaeorum obduratio? quibus Stephanus in Actis dixit, σκληροτράχηλοι *& incircumcisi corde & auribus, vos semper Spiritui Sancto resistitis*, ἀντιπίπτετε, obnitimini Talis fuit Pharaonis adversus mandata Dei per Mosen significata & miraculis confirmata obstinatio. Talis & Judae & Pharisaeorum adversus Christi admonitiones. Pertinacia igitur in malo proposito est haec cordis obduratio.

II. Est autem haec cordis obduratio triplex: *Una* naturalis omniúmque hominum communis. Omnes enim nascuntur cum duro corde, quemadmodum & cum tenebricosa mente. Proinde Deus in cujusvis regeneratione promittit se ablaturum cor lapideum, *id est*, durum, & daturum cor carneum, *id est*, tenerum & flexile. Ezech. 36.

Unde facilè est colligere, cur Deus dicitur aliquem indurare, non sic esse intelligendum, quasi aliquem ex molli faciat durum: sed sic ut, quod sua natura durum est, illud non solum durum esse sinat, sed etiam magis ac magis, ex accidenti tamen, pro suo justo judicio per operam Diabolorum durum efficiat. Quomodo per accidens? Quia Deus nil mali agit, sed beneficiis Dei alicui oblatis ad ejus indurationem abutitur Satan: atque ut impius eisdem sponte abutatur ad suum exitium efficit: quemadmodum in Pharaone videre est. Proinde neque in hoc genere obdurationis homo obduratur invitus sed voluntariè.

Altera est humana voluntariáque obduratio: cum, *scilicet*, homo sese in malo suo proposito obfirmat & indurat, ne audiat vocem Domini eíque obediat, beneficiis & admonitionibus divinis, quibus ad resipiscentiam invitatur, ad suum exitium abutens: quemadmodum fecit non solum Pharao sed etiam Judas, & ante eum Saul & alii, de quibus particulariter non legimus, sicut de Pharaone, quod Deus eos indurarit, sed tantùm quod in malo suo semel concepto proposito, contra omnes divinas admonitiones voluntariè pertinaces fuerint.

Tertia est divina judicialísque obduratio, qua nimirum Deus tanquam judex praeterita peccata voluntariámque impii pertináciam ulciscens, cor jam partim sua natura, partim multis ipsius hominis impii peccatis induratum, magis ac magis per ministerium Satanae pro suo justo judicio indurat: qualis propriè fuit induratio Pharaonis, de qua in Exodo saepè & ad Rom. 9. Praeter alia Exod. 9. sic legimus de Pharaone: *Et auxit peccatum* (ecce causam) *& ingravatum est cor ejus* (ecce poenam). Hanc enim minatus fuerat Deus dicendo,

Ego

Ego ingravabo cor Pharaonis ne dimittat populum. Ipse igitur Parao auxit peccatum: Deus autem in poenam peccati induravit cor ejus magis ac magis. Aliquando verò cum hac obduratione (*ut suprà monuimus*) conjungitur ἀναλγησία, de qua Apostolus οἵ τινες ἀπηλγηκότες, &c. Tunc ad summum ventum est desperationis & impoenitentiae gradum.

Est autem notandum de omni obduratione id quod de ignorantia quoque diximus: eam, *scilicet*, esse & poenam peccati, & peccatum, & causam peccati.

III. Hinc liquet quaenam sit causa efficiens obdurationis. Certum est peccatum peccandìque consuetudinem id esse, quo & per quod obdurantur corda impiorum: ideò Exod. 9. legimus de Pharaone: *Et auxit peccatum, & ingravatum est cor ejus.* Sed in iisdem Sanctis literis perspicuum etiam est & Deum, & Satanam, & hominem ipsum suum ipsius cor indurare: sed diverso sensu, diversàque ratione. *Deus indurat* nihil mali agendo, sed potius benefaciendo: eóque per accidens indurat; hominibus ad sui indurationem indulgentia beneficiisque Dei sua culpa abutentibus. Quid enim mali agere potest, qui summe bonus & justus, ipsùmque summum est bonum? Agit ergo Deus etiam in reprobis atque impiis (*in ipso enim vivimus omnes, movemur, & sumus, &c.*). Sed nunquam malè, semper autem benè agit agereve potest.

Iis porro modis indurat Deus.

Primum quidem privativè, permittendo impios ingredi vias suas, suúmque Spiritum illis non communicando. Quid enim aliud potest homo desertus à Deo quàm peccare, excaecari, obduraríque magis ac magis? Si solis, ignis, contactúsque tui calorem deneges cerae: quomodo illa ex dura non fiet durior? Sic verè nihil mali agit Deus, qui nemini quidpiam debet, nisi poenas iniquis. Quos autem deserit, justè deserit. Ergo hac ratione indurando nihil mali agit.

Deinde indurat activè, sed per accidens, nempe immittendo in ipsorum mentes cogitationes bonas, & ad eas corda movendo, sed quibus impii instigati à Satana assumunt mala, & inde pessima quaeque concludunt & agunt. *Exemplum.* Pharaoni hanc immittit Deus cogitationem bonam, Regis esse suum conservare & ditare regnum, atque ad hoc faciendum ejus inclinat cor. At ille falsum assumpsit. Non posse illud servari, si populus Israëliticus dimittatur, à quo tantum accipiebat emolumentum. Conclusit ergo contra mandatum Dei populum hunc dimittendum non esse. In hac certè induratione nil mali est à Deo, sed totum in Pharaone & Satana.

Tertio, indurat Deus externè per Prophetas & Ministros movendo, adhortando, comminando, & miraculis suum verbum confirmando, sed poenitentiam non donando, ut in Pharaone itidem liquet & in populo Israel: quorum ille per Mosen & Aaronem, isti per Mosen & Prophetas moniti fuerunt, sed occasione harum admonitionum facti sunt obduratiores & pertinaciores, ut Jes. 6. exemplo uno manifesta res est. *Vade* (inquit Deus) *ad populum hunc, & excaeca oculos ejus.* Quomodo? Praedicatione verbi. Per accidens igitur. Hìc etiam nemo habet quod de Deo conqueratur. Nam quod moneat miraculáque edat,

edat beneficium est, quod non donet poenitentiam cordàve flectat, praeterquam quod nemini tenetur id facere, justas etiam habet causas, licet occultas cur eam non largiatur.

Quartò, indurat Deus beneficia externa impiis conferendo, tam quae ad ornatum animi quam quae ad salutem corporis pertinent: sed quibus impii ad malum abutuntur, & ad cordium suorum indurationem. Exemplum in Pharaone manifestum est: quem Deus & hominem creavit multisque donis ornavit, & regem fecit eúmque potentissimum: sed Pharao tota sua potentia omnibúsque beneficiis adversus Deum & ad suum exitium abusus est. Praeviderat autem totum hoc Deus: sed quia volebat per eum suam patefacere potentiam, ut Apostolus explicat ad Rom. 9. ideò omnia illa beneficia in eum contulit, non in eum finem, ut illis abuteretur, sed ut, quando eis ille omnino abusurus erat, per hunc abusum Deus in Pharaone glorificaretur. Ergo ex accidenti factum est, ut ex Dei beneficiis cor Pharaonis induratum fuerit: sicut etiam ex accidenti est, quod per legem auctum sit peccatum. Beneficia enim Dei emollire potius debuissent cor Pharaonis ad Deum audiendum éique obtemperandum tanquam benefactori Deóque suo: sed vitio regis factum est, ut cesserint illi ad cordis obdurationem, eóque ad interitum.

Quinto, indurat etiam per Ministerium Satanae, dum ei facultatem facit efficaciter in filiis contumacibus operandi, ut loquitur Apostolus, Eph. 2. Exemplum illustre occurrit in lib. Reg. 1. cap. 2. Spiritus enim malus mittitur à Deo ad decipiendum Achab. Neque obscurum est exemplum Judae, in quem post receptam à Christo buccellam panis ingressus est Satan, qui animum ejus in malo obfirmavit, ut cite faceret quod facere cogitarat, quemadmodum praedixerat ei Christus dicendo, *Quod facis, fac cito.* Et locus 2. Thes. 2. perspicuus est, *Deum mittere efficaciam erroris ut credant mendacio, qui noluerunt dilectionem veritatis admittere.* Totum autem hoc semper justissimo suo judicio facit, nunquam malè agendo, semper autem benè operando omnia & ad optimos fines dirigendo.

Nunc tenemus, quomodo Deus induret, non per se, sed tum ex accidenti tum per ministerium Satanae, idque semper justissimis de causis, & ad fines optimos, 1. Ad gloriam suam & ad salutem Electorum: ita ut quod quis excaecetur aut induretur, nulla in Deum transferri possit culpa. Semper enim illud tenendum est, *Nunquid iniquitas apud Deum? absit.* Rom. 3. ver. 9.

2. Secunda eáque verior indurationis causa est Satan, & quidem per se. Efficaciter enim agit in filiis ἀπειθείας, tanquam divinae justitiae administer, ut modo explicatum est. Is in impiis agens bonis à Deo immissis in eorum mentes cogitationibus pravas sub praetextu boni assumit: sophisticè concludit: cor ad exsequendum inclinat: rationes quibus perficere possit, ostendit. Sed neque is propria est hujus mali causa: ratio, quia neminem ad peccandum eoque ad indurationem invitum cogit.

3. Tertia itaque & verissima & proxima indurationis causa est homo ipse, qui ad actiones simpliciter motus à Deo, & ad peccandum allectus atque actus à diabolo, sponte peccando & in peccatis perseverando sese ad resistendum Deo pertinaciter obdurat, rebus omnibus omnibúsque Dei beneficiis ad suum exitium

exitium abutens. Hoc est, quod Apostolus docere hîc voluit, cum dixit, *Propter obdurationem cordis ipsorum.* Tale enim intelligit obdurationem, cujus ipsi erant vera ac propria causa, juxta illud Exod. 7. *Pharao induravit cor suum.* Nisi enim voluntas hominis assentiretur, nulla fieret in ea obduratio: quando obduratur cor, nihil aliud est quàm voluntatem in malo proposito pertinaciorem fieri, ita ut sponte magis ac magis contra Deum peccare velit & studeat. Stat stareque debet firmum illud oraculum Prophetae Oseae 13. *Perditio tua ex Israel est: tantum ex me auxilium tuum.* Atque haec de causis. Accedo ad quartum caput.

4. Ex iis omnibus perspicuum fit quorumnam sit obdurari. Diximus supra triplicem esse obdurationem. Naturalem, voluntariam, & divinam. Harum itaque prima communis est omnium hominum: quia omnes nascimur caeci mente, & duri corde. *Secundae* obnoxii sunt itidem omnes tam electi ante regenerationem, quam reprobi. Electi enim sua ante regenerationem natura voluntariè resistunt Deo, ejusque tum beneficiis tum admonitionibus ad suum exitium non minus quam reprobi abutuntur, & ita, dum pergunt peccare, pertinaciores fiunt in malo, quemadmodum D. Paulo etiam, antequam ad Christum converteretur, contigisse legimus, & Augustino & aliis permultis, & ut quotidiana experientia docet. At post regenerationem non ita. Posito enim corde lapideo accipiunt à Deo cor carneum & flexile in obsequium Dei: ad quod peccent, id ex ignorantia & ex infirmitate carnis fideíque imbecillitate, non autem ex destinata malitia & pervicacia, qua sola verè obdurantur corda, illis contingit. At verò *tertium* obdurationis genus, cum, *scilicet*, Deus per ministerium Satanae impios indurat, excaecat, tradit in reprobum sensum: hoc, *inquam*, indurationis genus proprium est reprobatorum hominum, quales fuerunt Pharao, Saul, Judas & alii.

5. Quae vero sint hujusce obdurationis effecta paucis explicat Apostolus in ipso contextu. Praeterquam quod versantur pertinaciter hujuscemodi homines in vanitate mentis suae abalienati à vita Dei: eo tandem etiam abducuntur, ut dedolentes, *id est*, omni peccati sensu & dolore de commissis sceleribus exuti, conscientia quasi cauterio illis refecta, semetipsos dedant τῇ ἀσελγείᾳ εἰς ἐργασίαν ἀκαθαρσίας πάσης ἐν πλεονεξίᾳ.

Duo praecipua vitia indicantur, Luxuria & Avaritia: quorum unum ad corpus, alterum ad externa bona pertinet. In iis rebus, in voluptate, *scilicet*, & divitiis collocant suam felicitatem: ideo sese his captivos dedunt, idque pertinaciter in finem usque, & sine ullo conscientiae scrupulo. Proinde hinc patefit, quinam sint obdurati & planè perditi.

Atque haec de obduratione cordis ex verbis Apostoli dicta sunto.

De ΑΝΑΛΓΗΣΙ΄Α:

Sed neque illud in iis versibus praetereundum est, quod non omnibus Gentibus, sicut de ignorantia vidimus, sed quibusdam tantum attribuit, quod dedoluerint. Ait enim οἵτινες ἀπηλγηκότες, &c.

1. Quatuor verò docet iis verbis: Unum, tametsi peccatum originale consecutae

secutae sint in omnibus hominibus primùm densissimae mentis tenebrae, & secundo durities cordis pervicaciáque voluntatis: Deum tamen mentibus singulorum hominum non parvam, sicut sui, sic etiam suae voluntatis notitiam, rerúmque honestarum & turpium cognitionem indidisse, unde intelligere possint mortales, cúm peccant, se malè agere, se rem turpem & iniquam admittere, Deúmque, qui peccata punit, offendere: ex quo peccati sensu & cognitione aliquis etiam dolor consequi solet, quo homines se peccasse dolent; tum propter rei admissae turpitudinem, tum propter iram Dei. *Sicut enim oderunt peccare boni virtutis amore, sic oderunt peccare mali formidine poenae.* Hinc illae duae voces apud profanos etiam usitatae συντήρησις καὶ συνείδησις, Synteresis & Conscientia.

Συντήρησις conservatio est generalium notitiarum, justi & iniqui, honesti & turpis, in humana mente à Deo insculptarum, quibus norunt homines, verbo etiam Dei destituti, hoc esse vitandum illud verò faciendum. Haec est συντήρησις.

Conscientia verò est testimonium mentis nostrae, quo certiores & conscii fimus, tum ante factum, si hoc vel illud faciamus, nos benè vel malè acturos: tum post factum, quod à nobis admissum est, illud esse vel bonum vel malum.

Ac συντήρησις profert generales propositiones: Conscientia autem assumit in particulari de hac vel illa actione aut admittenda aut admissa. Conscientia enim appellatur, quia conscios nos efficit turpitudinis vel honestatis, quae in particularibus nostris actionibus insunt. Indidit igitur Deus omnibus hominibus tum notitiam eorum quae agunt, bonáne sint an mala, tum etiam sensum aliquem & dolorem peccati, ita ut omnes sint inexcusabiles. Hoc est primum quod docet Apostolus.

2. *Alterum* est, quosdam tamen eò adduci pervicacia suâ, ut omnem peccati sensum & dolorem amittant, id quod revera instar portenti est, quod in re perspicua, hoc est, in luce veritatis illis indita, quâ nemo non videt, cùm peccat, se peccare & malè agere, hujuscemodi tamen homines caecutiant, & tanta mala minimè doleant, sed potiùs rideant, non secus atque cùm quis phrenesi laborans moribundus nihil mali sentit. Et tamen hoc contingit non paucis, sicut ait Apostolus οἵτινες ἀπηλγηκότες.

3. *Tertio loco* docet Apostolus hujus ἀναλγησίας causam esse obstinationem pertinaciámque in peccatis contra conscientiam perpetrandis. Hâc enim fit ut tandem obducant callum durissimum, quô ceu cauterio conscientia paulatim refecta, nullo ampliùs peccati sensu purgantur: imò contrà quae etiam admittunt scelera, tam in primam quàm in secundam tabulam, tanquam bene facta & benedicta defendere non vereantur, dicentes bonum esse malum & malum bonum.

Docuit hoc Aristoteles ipse in suis Ethicis. Sicut enim qui ex frequentatis actionibus bonis bonos sibi habitus comparant, ex quibus porro operantes operantur sine ulla molestia sinéque ullo labore, sed summa cum delectatione: sic qui pertinaciter vitia sequuntur, ii ex vitiosis actionibus habitum vitiosum sibi comparant: Qui autem ex vitioso habitu agunt & peccant, ii eo adducuntur, ut sine sensu peccati sinéque ullo dolore, imo summa cum delectatione & approbatione, peccent ac malè agant: ita ut etiam glorientur cùm malè fecerint, ut loquitur Propheta David. Hanc causam

ἀναλγησίας

ἀναλγησίας indicavit Apostolus, cùm praemisit duritiem cordis, qua ambulasse dicit Gentes in vanitate mentis suae. Ergo discamus non repugnare συντηρήσει, nec peccare contra conscientiam, nec in talibus peccatis pertinaciter versari, ne tandem refecta conscientia fiamus ἀπηλγηκότες.

4. *Postremo* docet ex hac ἀναλγησίᾳ proficisci, ut tales homines impudenter ad omnem perpetrandam immunditiem cum perpetua & insatiabili peccandi aviditate sese captivos dedant ἀσελγείᾳ & protervitati, ex qua liberari ampliùs nequeant, donec in aeternum ruant exitium. Valeat igitur hîc regula Medicorum:

Principiis obsta, serò medicina paratur.

Hi quatuor loci sunt, quos ex tribus primis versibus tertiae partis, in quibus status & vita non renatorum hominum describitur, colligendos & observandos esse judicavimus.

Accedo nunc ad quinque alios versus, qui sequuntur, in quibus contrá renatorum conditio & vita, qualis sit esséque debeat, explicatur. Etsi verò multiplex doctrina ex hoc contextu hauriri potest; iis tamen duabus contenti esse debemus, quarum prima est:

De duplici cognitione

Christi, Efficaci una, Inefficaci altera.

Vos autem (inquit) *non sic didicistis Christum*, (nempe ut frigida tantum ejus cognitione contenti vivatis non secundùm Christi doctrinam & vitam, sine sensu & dolore peccati sinéque poenitentia, sicut Gentes, quae alienatae à vita Dei ambulant in vanitate mentis suae). *Si modo audivistis eum.*

Discere Christum est Christi cognitionem assequi: sed hanc duplicem facit, unam frigidam & inefficacem, quae tantum in mente & intellectu residet, & ad os usque progreditur, sed neque in cor penetrat neque vitae renovatione sese ad utilitatem proximi & ad gloriam Dei exerit: quae in sacris literis fides etiam mortua à Jacobo, & fides temporaria à Domino Jesu apud Evangelistas, & fides hypocritica à Paulo vocatur. Hujus oppositum est cognitio Christi efficax, fides ἀνυπόκριτος *fides viva*, *fides per dilectionem operans.* Unde & duplex ad Christum conversio, una fucata sine vitae renovatione, altera vera seriam resipiscentiam secum afferens.

Hinc duo hominum genera, qui Christum profitentur, haurimus: *unum* hypocritarum, qui cognitionem quidem Christi jactant, eumque verum Deum & verum hominem ac servatorem verbis confitentur, sed factis negant, in peccatis semper viventes, & nunquam resipiscentes. *Alterum* electorum ac renatorum, qui ita norunt Christum & credunt in eum, ut ad ejus quoque voluntatem vitaeque exemplum suam etiam componere semper studeant: ac si labantur in peccata, seriò dolent, & resumta in Christum de remissione peccatorum fiducia resurgunt, *exuentes veterem hominem & novum induentes.*

Primi

Primi generis homines, & quam jactant Christi cognitionem, indicat Apostolus cùm ait, *Vos autem non sic didicistis Christum.* Quasi dicat, sicut multi hypocritae, qui verbis quidem confitentur se nosse Deum & Christum, factis autem negant. *Alterius* generis, *id est*, veros fideles, & qua donati sunt vera Christi cognitione, ostendit cùm ait, *Si modo eum* (ita) *audivistis, & in eo edocti estis, sicut est veritas in Jesu.* Docet non omnes eodem modo novisse & didicisse Christum: quia alii homines tantùm Christum praedicantes audiunt, & ab illis docentur, sed Spiritu Christi destituti Christum intus animo loquentem non audiunt, nec per illius Spiritum docentur. *Non enim habent aures ad audiendum.* Alii, praeter externum ministerium, intus quoque Christum audiunt, & in illo ac per illum docentur non solum veram in Christum fidem sed & veram resipiscentiam, *qua deponunt veterem hominem & induunt novum.* Hanc cognitionis hujus efficacitatem exprimit cùm ait, *Edocti estis deponere veterem hominem & induere novum.*

Discamus ergo veram Christi cognitionem consistere non posse sine vera & perpetua resipiscentia, sine dolore & sensu peccatorum, sineque studio vitam nostram componendi ad exemplar vitae Christi, in quo solo est veritas veraque & perfecta vivendi ratio. De hac cognitione ejusque efficacitate locutus est Christus, cùm de Apostolis ad Patrem loquens ait, Joh. 17. *Verba quae dedisti mihi dedi eis* (id est, non per solum externum ministerium in eorum aures posui.) Nam hoc modo verba sua dederat etiam Pharisaeis, quibus praedicaverat; sed dedi eis per Spiritum meum in eorum corda insculpendo. Atque hoc est verè audire Christum intus docentem. Verba igitur sua verè dedit Apostolis Christus. Subdit, *Et ipsi acceperunt* (nempe non auribus tantùm corporis sed animi, & manu fidei). Atque hoc est doceri in Christo. Subdit: *Et cognoverunt verò.* En veram cognitionem Christi. Subdit: *Et crediderunt.* Haec est fides vera ex vera cognitione proficiscens. Paulo post subdit: *Et glorificatus sum in eis.* Haec est cognitionis & fidei verae efficacitas: Quam confirmat cùm paulo post ait, *Eos non esse de hoc Mundo.* Exuerant enim veterem hominem Apostoli magna ex parte, & induerant novum, & quotidie in hoc studium incumbebant. Locus ille apud Johannem illustrat hunc Apostoli, quaenam sit vera Christi cognitio, unde oriatur, quae item ejus efficacitas. Nec plura de hoc loco dicam in praesentia: quia quae supra dixi de vera & salvifica cognitione Dei ad hanc etiam pertinent.

De Regeneratione.

Alter locus majoris est momenti, qui est de Regeneratione: ea in hoc capite describitur potissimum depositione veteris hominis, renovatione mentis, & induitione novi hominis, qui secundum Deum creatus est in justitia & sanctitate, versibus 22. 23. 24., quanquam duo etiam praecedentes versus 20. & 21. eodem pertinent. De particularibus verò aliquot ejus effectibus disserit Apostolus reliquis versibus à vers. 25. ad finem usque: de quibus seorsim etiam dicemus.

De Regeneratione autem haec 9 capita ex praesenti Apostoli contextu colligo: I.

I. Quinam regenerentur: Electi cognitione & fide Christi donati. Ideò ver. 20. *Vos autem non ita didicistis Christum*: & totum hunc sermonem ad fideles dirigit.

II. Quidnam in homine regeneretur: Totus homo, tam corpus quàm anima, sed initio facto à mente. Ideò ait, *Renovari Spiritu mentis vestrae.*

III. Quis regeneret: Christus ut Deus, per se. Ideò ait, *Edocti estis in Christo.* Item, *Qui secundum Deum creatus est.*

IV. Ad quodnam exemplar perficienda sit regeneratio: ad exemplar justitiae & sanctitatis, quae est in Christo. Ideò ait, *sicut veritas est in Jesu.*

V. Quibus in rebus consistat regeneratio: In depositione veteris hominis & induitione novi. Ideò ait, *Deponere veterem hominem & induere novum.*

VI. Quae sint partes hujus hominis novi: Est vera sanctitas. Ideò ait, *Qui creatus est in justitia & sanctitate vera.*

VII. Ubi & quando fiat regeneratio: In hoc mundo incipit, dum vivimus. Ideò ait in praesenti, *Edocti estis renovari Spiritu mentis vestrae*, nempe jam estis edocti: sed perficietur in coelo, ut alibi habemus, Matth. 19.

VIII. Per quaenam fiat haec regeneratio. 1. per Spiritum Sanctum tanquam immediatam causam. Ideò ait, *Spiritu mentis*, id est, per Spiritum Sanctum qui in mentibus vestris habitat, 2. per cognitionem Christi, seu per verbum, cogitationem Christi adferens tanquam per organum. Ideò ait, *Si modo audivistis eum & edocti estis in eo.* Cum hoc conjunguntur Sacramenta, & in primis Baptismus, Ephes. 5.

IX. Ad quid, seu in quos fines fiat regeneratio: *ut serviamus ei in justitia, & in sanctitate coram ipso.* Item, *ut ingrediamur in Regnum coelorum.* Joh. 3.

X. De effectis aliquot speciatim in versibus insequentibus dicemus. In praesentia breviter de prioribus novem capitibus disseremus: sed si priùs aliquid dixero de nominibus & φράσεσι, quibus regeneratio haec in sacris literis significatur.

1. Primum igitur hîc nomen habemus *Renovationis*; *Renovari* (inquit) *Spiritu mentis vestrae.* Opponitur renovatio veteri corruptioni, quam habemus ex prima nativitate: quia *quod natum est ex carne caro est.* Johan 3.

2. Deinde habemus huic affine nomen, nempe nomen *novae nativitatis.* Joh. 3. *Oportet vos nasci denuò.* Opponitur enim primae veteríque nativitati, quae ex carne est corrupta: haec autem nova ex Spiritu. Joh. 3.

Consentit cum hoc nomen παλιγγενεσίας, quo Paulus usus est Tit. 3. *Per lavacrum* (inquit) παλιγγενεσίας. Cum superiori verò, *hoc est*, cum nomine Renovationis convenit quod ibidem subdit Apostolus, nomen, *scilicet*, ἀνακαίνωσις, Renovationis Spiritus Sancti. Nam hoc vocabulo explicat priùs docétque quid sit renasci, nil, *scilicet*, aliud, quam renovari: docet etiam per quem fiat, per Spiritum Sanctum: sic etiam hîc ἀνανεοῦσθαι Spiritu mentis. Opus igitur est non carnis sed Spiritus, & non è terra sed è coelo est. Eodem nomine vocatur ejusdem Consummatio, quae fiet in fine Mundi, Mat. 19. *Cum venerit Filius hominis in regeneratione*, ἐν παλιγγενεσίᾳ, *sedebitis & vos, &c.*

3. Exprimitur hîc eadem Regeneratio duobus nominibus, *depositione veteris*

hominis

hominis, & induitione novi. In his enim duobus consistit regeneratio, in depositione, *scilicet*, prioris formae terrenae, & in susceptione novae coelestis.

4. Cum iis consentanea est Φράσις apud Prophetas: *Auferam* (inquit Dominus) *cor lapideum, dabo cor carneum.* Ezec. 36. Item nomen frequentissimum apud Mosen, Prophetas, & Apostolos, nempe circumcisio cordis.

5. 2 Corinth. est alia Φράσις: Transformatio vocatur in imaginem Dei. *In eandem imaginem transformamur à gloria in gloriam.* Plura alia quoque leguntur nomina & Φράσεισ, quibus haec regeneratio significatur & describitur; sed haec satis. Eo autem haec spectant quae dixi, ut significarem his duobus nominibus, quae hîc apud Paulum habemus, nempe renovationis mentis, & depositionis veteris hominis induitionisque novi, nil aliud significari, quam ipsam παλιγγενεσίαν seu regenerationem, & quibus potissimum in rebus ea consistat. Nunc ad praemissa capita accedamus.

De primo.

Soli *Electi regenerantur.* Ratio: quia soli etiam illi vocantur efficaciter è mundo ad Christum, solique donantur fide, & soli justificantur qui fuerunt praedestinati. Rom. 8. Justificatio autem à Regeneratione non separatur. Ad solos igitur Electos pertinet Regeneratio.

1. Confirmant hoc verba Apostoli, qui illos solos renovatos Spiritu mentis docet, qui edocti sunt in Christo, *id est*, qui donati sunt vera & efficaci Christi cognitione et fide. Haec autem non est omnium, sed tantùm Electorum. Tit. 1.

2. Accedit quod Regeneratio non postrema est inter benedictiones Spirituales, quibus in Christo benedicúntur Electi omnes, & ii quidem soli. Ephes. 1.

3. Denique Regeneratio, quae hîc inchoatur, perficitur in finem usque vitae, cum in Coelum rècipiuntur animae sanctorum. Et Christus ait necessariam esse Regenerationem, si velimus ingredi in Regnum coelorum. Joh. 3. In illud autem Regnum non recipiuntur, nisi Electi. Rom. 4. Concludimus igitur ex hoc primo capite, qui se renatos esse sentiunt, id quod ab effectis regenerationis (*de quibus postea*) liquet: eos testimonium in se habere suae electionis: ac proinde certae & immutabilis salutis suae.

De secundo.

Sed quid in homine regeneratur & innovatur? Quidam sentiunt solam partem inferiorem, ut vocant: non enim superiorem, *id est*, τὸν νοῦν opus habere regeneratione. Sed Apostolus contra, *Renovari Spiritu mentis vestrae.* Mens enim & cor corruptum est. Alii igitur contrá solam Mentem renovàri aiunt, quia Apostolus dicit, *Renovari Spiritu mentis vestrae.* Hanc enim solam capacem esse hujus Renovationis, quae in hac vita fit: corpus tum demùm renovatum iri, cum excitabitur à mortuis: & hanc ob causam diem resurrectionis vocari diem regenerationis. Matth. 19 et alibi. Confirmare conantur, quia cúm Deus de hac praesenti regeneratione loquitur cor tantùm nominat, *id est*, voluntatem

tatem & mentem, dicendo, *Auferam cor lapideum, dabo carneum*, Ezech. 36. Et David, Psal. 51. *Cor mundum crea in me Deus.*

Respondeo. Aliquid isti dicunt, sed non totum. Certum est Regenerationem inchoari mente, quae constat intellectu ac voluntate, mentémque eam esse, quae cumprimis renovatur; sed quod negent corpus particeps esse hujus praesentis Renovationis, hoc prorsus pugnat cum Sacris Literis, & cum experientia, quae est in Sanctis Renatisque hominibus. Joh. 3. Totum hominem renasci docet Christus per Spiritum Sanctum, quia totus etiam natus est caro. Apostolus autem ad Corinth. passim docet corpora etiam nostra templum esse Spiritus Sancti. Spiritus autem Sanctus ibi non dicitur inhabitare, ubi vim Regenerationis non exerit. Vocantur etiam membra nostra membra Christi. *Tollens ergo membrum Christi, faciam membrum meretricis?* (inquit Apostolus :) & de corpore nostro loquitur 1 Cor. 6. Quod autem nullo modo particeps est Regenerationis, quae fit per Spiritum Christi, illud membrum Christi dici verè non potest.

Item sanctificantur etiam membra nostra: ergo regenerantur; sanctificatio enim regeneratio est. Corpora autem sanctificari docet Apostolus 1 Thes. 4. Dehortatur à scortatione, & ait hanc esse Dei voluntatem, ut unusquisque possideat vas suum in sanctificatione & honore. De corporibus autem sanctorum cumprimis loquitur. Ergo etiam illa sanctificantur & regenerantur.

Item c. 5. *Ipse autem Deus pacis sanctificet vos totos: & anima & corpus inculpate in adventum Domini Jesu Christi serventur.*

Sic igitur sentimus totum hominem hîc sanctificari & regenerari, sed initio facto à mente & corde: inde verè efficacitatem Spiritus derivari in totum corpus, quod Spiritus Sanctus subjecit spiritui & menti nostrae, ut ei inserviat. Sicut enim ex corde pravo pravitates ejus derivantur in corpus (*Prodeunt enim in corpus adulteria, in linguam blasphemiae, in manus homicidia, & anima impii movet pedes ad effundendum sanguinem & ad alia scelera perpetranda &c.* Rom. 15. 17.); sic etiam è corde bono & regenerato opera Sancti Spiritus educuntur in corpus, *ut sit castum, mundum, non furetur, non blasphemet, sed laudet lingua Deum, manibus operetur quod bonum est.* Hinc igitur discamus non minorem operam dandam nobis esse, ut hoc corpus exuat mores veteris hominis & induat mores novi, quam ut anima renovetur magis ac magis: imò si haec renovetur, fieri non posse quin etiam externi in corpore & per corpus mores mutentur. Nos enim totos, quanti quanti sumus, esse Christi ejúsque membra: ac proinde glorificandum esse Deum non solum in spiritu, sed etiam in corpore nostro, ad Corinth. scribit Apostolus 1. Cor. 6. Proinde Paulus non solum monuit, *ut renovemur Spiritu mentis nostrae, verum etiam ut non loquamur mendacium, ut ne furemur & ut nullus sermo corruptus exeat ex ore nostro:* quae omnia certè per corpus perficiuntur.

Ita ad Roman. 10. non solùm corde credendum esse docet ad justitiam: verum etiam ore confitendum esse ad salutem. Falluntur ergo qui jactant se habere cor renovatum ac regeneratum, cum interim corpus scateat ebrietatibus, libidinibus, obtrectationibus, aliisque sceleribus.

De

De Tertio.

Autor Regenerationis est Deus Pater, Filius & Spiritus Sanctus. Sicut enim cujusque hominis creatio à Patre est per Filium in Spiritu Sancto (ut loqui solet scriptura & Ecclesia:) sic etiam ejusdem regeneratio: unde etiam ipsa vocatur creatio, Ephes. 2. & regeneratus nova creatura. Opus certè divinum est non humanum, & è coelo non è terra, Johan. cap. 3. Opera autem Dei ad extra communia sunt trium personarum. Sed κατ' ἐξοχὴν Patri attribuitur, & in Christo ac per Christum regenerati dicimur, *Ephes.* 2. Ipsius opus sumus, conditi in Christo Jesu. Et *Ephes.* 5. dicitur Christus sanctificasse & purgasse Ecclesiam: haec autem est Regeneratio. *Item Johann.* 5. Quaecunque operatur Pater, eadem & Filius similiter operatur. Frequentissimè autem per Spiritum Sanctum fieri hanc Regenerationem legimus, ut hîc & suprâ capite tertio, & Johann. 3. & ad Titum 3. & alibi. Autor igitur Regenerationis est Deus, Pater, Filius, & Spiritus Sanctus. Proinde vocat hîc eam Apostolus novum hominem, qui secundùm Deum creatus est Quod igitur vocemur & simus filii Dei, illud tam Filio & Spiritui Sancto, quàm Patri acceptum ferendum est: sed Patri imprimis, tanquam fonti sicut totius Deitatis, sic omnium divinorum operum atque bonorum. Hoc in summa retinendum est, ex opere Regenerationis concludi tam Filium & Spiritum Sanctum, quam Patrem esse verum Deum: concludi item totam salutem nostram gratuitam esse, & opus Dei, non autem virium humanarum. Quis autem unquam se ipsum genuit? Haereditas autem datur filiis, qui filii sunt. Quare doctrina haec de autore Regenerationis tum contra Arianos facit, tum contra Pelagianos.

Caeterum etsi tota Regeneratio à Deo est & opus est Dei: interim non negatur, quin Deus ad eam continuandam & consummandam nostrum requirat consensum, studiùm atque operam. Neque enim operatur in nobis ut in stipitibus & faxis, sed ut in hominibus mente & voluntate praeditis: quanquam ipsum etiam velle ipse operatur in nobis. Philip. 2. Proinde Apostolus non solùm supra simpliciter dixit nos esse opus Dei conditos in Christo Jesu, & negavit hoc deberi operibus nostris: sed etiam hîc adhortationem adhibuit, curemus renovari Spiritu mentis nostrae: & ait nos edoctos esse in Christo. Ergo licèt opus sit Spiritus Sancti, cuique tamen Christiano danda est opera, ut haec inchoata indies perficiatur. Atque haec de tertio.

De quarto.

Exemplar, ad quod Regeneratio Renovatióque nostri perficienda est, ipsa est perfecta omnibúsque numeris absolutissima Christi justitia atque sanctitas: praesertim quia nunc in coelo, deposita omni carnis corruptione, vivit cum Patre. Ipse igitur est idea nostrae coelestis nativitatis, tum in terris inchoatae, tum in coelo perficiendae. *Primum*, quia sicut *neque qua Deus neque qua homo* habet à carne & sanguine ut sit Filius Dei, sed à Patre: sic etiam nos, ut modò dictum est. *Deinde*, in ipso est plenitudo Spiritus, justitiae, sanctitatis, gratiae & veritatis; ita ut perfecta sit Patris, *& qua Deus*, *& qua homo est*, imago,

imago, ad quam nos primò conditi & deinde regeniti sumus ex Patre perfectissimè, deposito toto veteri homine, in coelo regenerandi. Nunc enim de plenitúdine duntaxat ipsius nos omnes accipimus gratiam pro gratia & supra gratiam: *hoc est*, primitias tantum accipimus de ejus plenitudine, non autem plenitudinem ipsam. Ideo Apostolus ait, 1. *Corinth.* 1. Ipsum esse sapientiam nostram, justitiam, sanctificationem & redemptionem. Christus igitur cùm in terris aliás, tum nunc maximè in coelis perfectissima idea est nostrae regenerationis, per quam, deposito tandem toto planè veteri homine, futuri sumus sicut Angeli Dei, victuri in perfectissima justitia & sanctitate: sic enim edocti sumus in Christo, hujúsque rei complementum jam est in Christo Jesu: sicut Apostolus docet, cúm ait, *Quemadmodum veritas est in Jesu.* Nomine veteris hominis venit (*ut diximus*) totus homo, quatenus ex Adamo natus est animo & corpore corruptus. Ita duplex est naturae corruptio: una quae peccatum est, altera quae tantúm poena peccati. Christus illam veteris hominis partem non habuit, quam deponeret, illam, *inquam*, partem hominis, *id est*, naturae corruptionem, quaè etiam peccatum est & causa peccati: illam tamen habuit, quae tantúm poena peccati est, carnis nimirum infirmitatem, naturae imbecillitatem, & mortem, quia similis factus est nobis per omnia excepto peccato. Hunc veterem hominem moriendo deposuit, & novum resurgendo induit, gloriam, *scilicet*, immortalitatis, exaltatus supra omnes Angelos. At nobis duplex deponendus est vetus homo, nempe utraque naturae corruptio: & duplex novus induendus, tum ille qui in justitia & sanctitate vera consistit, tum ille coelestis de quo 1. *Cor.* 15. Sicut portavimus imaginem terreni, portabimus & imaginem coelestis. Utriusque autem veritas est in Christo Jesu. Cùm igitur Christus perfectissima sit idea totius nostrae regenerationis, in eum semper nobis intendendi sunt oculi fidei ac mentis nostrae, ut ex hoc intuitu in imaginem ejus magis ac magis quotidie transformemur juxta Apostoli exemplum & doctrinam dicentis: Nos àutem omnes retecta facie gloriam Domini ut in speculo intuentes, in eandem imaginem transformamur, ex gloria in gloriam, tanquam a Domini Spiritu. 2 *Cor.* 3. Ac de 4. capite satis.

De quinto.

Quintum caput est quibus in rebus consistat Regeneratio. Hoc ex iis, quae modò diximus, plus quàm manifestum est: in depositione nempe veteris hominis, & induitione novi: quam duplicem esse ostendimus: unam quae hìc inchoatur, & post mortem perficitur: alteram quae in resurrectione futura est. Prior in depositione peccati & assumptione justitiae posita est: altera in depositione mortalitatis & ignominiae, & in assumptione gloriosae resurrectionis ad aeternam vitam: de qua Apostolus 1. *Corinth.* 15. Seminatur (*corpus*) corruptibile, resurget incorruptibile: seminatur ignomisiosum, resurget gloriosum. Haec quidem speratur, prior autem hìc inchoatur, atque in hujus studium nobis incumbendum est, de qua propriè hìc locutus est Apostolus. Sic enim edocti sumus in Christo, deponere scilicet veterem hominem secundum priorem conversationem, & induere novum. Dicendo, secundum priorem conversationem,

conversationem, indicat se non de futura sed de praesenti veteris hominis depositione & novi induitione loqui. Ergo de futura non est cur simus solliciti, nisi ut illam certò expectemus. So'a enim Dei gratia fiet ut resurgamus, & perfectam justitiam ac sanctitatem consequamur: sed quam in hoc mundo consequi possumus, in ejus studio elaborandum est, atque hanc hortatur Apostolus.

De sexto.

Cum verò haec ita se habeant, quaeritur sexto loco, quaenam sint partes hujus novi hominis, qui induendus nobis est in hac vita.

Respondet Apostolus esse justitiam & sanctitatem veram, id est, sinceram sinéque hypocrisi. Qui creatus est (inquit) in justitia & sanctitate vera. Diximus autem ex Scholiis nomine justitiae intelligi quicquid debemus Deo in prima Tabula, & quicquid proximo in secunda. Nomine autem sanctitatis munditiem & puritatem vitae, quoad nos, conscientias & corpora nostra Apostolum igitur complexum esse quicquid Deo & proximo debetur, & omnem praeterea munditiem, quae in nobis esse debet corporis & animi. Hae sunt partes novi hominis: sicut contrà partes veteris hominis sunt injustitia & impuritas, de qua Apostolus, crediderunt se (inquit) ἀσελγείᾳ ad patrationem omnis impuritatis. Renati igitur quomodo illi dici possunt novaeque esse creaturae & filii Dei, qui externis caeremoniis & auditu concionum contenti, praeterquam quod sunt & in Deum & in proximum injusti, omni quoque impurae voluptatis genere diffluunt?

De Septimo.

Ubinam & quando fiat haec Regeneratio ex his quae dicta sunt perspicuum fit. In hoc mundo inchoatur, & dum sumus in hac vita: post mortem verò & in coelo perficitur. Quare si quis hinc decedat non renatus per Spiritum Sanctum, nec renovatus Spiritu mentis suae: huic post hanc vitam purgatio à peccatis & renascentia speranda non est. *Quando istinc excessum fuerit* (dicebat Cyprianus) *nullus jam locus poenitentiae est, nullus satisfactionis effectus: hîc vita aut amittitur aut tenetur.* Fuit haec doctrina Patrum omnium, sacrarum literarum testimoniis comprobata. Si post hanc vitam nullus est resipiscentiae locus: Ergo nec renascentiae aut renationis. Quid enim est resipiscentia, μετάνοια, aliud quàm mutatio & renovatio mentis? Ideò Christus, Operemini, inquit, dum dies est: veniet nox, quando nemo poterit operari. *Johan.* 12. Nisi ergo hîc deponatur vetus homo, qui corrumpitur secundum concupiscentias deceptrices, & induatur novus, qui secundùm Deum creatus est in justitia & sanctitate vera: nisi, inquam, hîc deponatur, id est, incipiat deponi: Non est cur perfecta depositio in altero seculo speretur. Nisi quis renatus fuerit (nempe hîc) ex aqua & Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei. Quare fabulae sunt Plutonicae, quae de igne purgatorio, quò animae defunctorum repurgentur in alio seculo, praedicantur & scribuntur. Hîc docemur in

Christo

Christo efficaciter dèponere veterem hominem & induere novum, & renovari Spiritu mentis nostrae. Non autem docentur mortui: hîc locus est huic doctrinae, non post mortem.

De octavo.

Octavum caput facilè expeditur, per quaenam fiat Regeneratio. Deus Pater & Filius & Spiritus Sanctus causa sunt efficiens, eaque per se *(ut supra ostensum est)* hujus regenerationis: sed ad hanc mediis etiam utitur externis, verbo nimirum, & sacramentis, atque inprimis Baptismate. De verbo, quo Christus cognoscitur, & fides in illum donatur, loquitur Apostolus cùm ait, *Siquidem audivistis Christum, & in eo edocti estis deponere veterem hominem.* Et Christus, *Mundi estis* (inquit apud Joan c. 15) *per sermonem meum.* De Baptismo & verbo simul infrà cap. 5. *Mundans* (inquit Apostolus) *eam lavacro aquae in verbo.* Et Petrus ait, *Aquae, in qua servatus est Noa cum familia per arcam, nunc respondere Baptismum nostrum, quo non corpore sordes abluuntur, sed quo fit ut conscientia à peccatis mundata & sanctificata Deum invocet, totáque ab ejus ore pendeat.* 1. Pet. 3. Baptismus internus est ipsa conscientiae à peccatis purgatio, mentis renovatio, hominis regeneratio: sed externus, *id est*, aqua sacramentum est interni, & organum, quo utitur Spiritus Sanctus ad nostri regenerationem, quemadmodum etiam utitur verbo. Sed ad utrumque necessaria est fides in adultis, qua quod significatur verbo, quod aqua praemonstratur, quod utroque offertur à Deo, illud à nobis recipitur. Ideo de fide legimus *Act.* 15. Fide purificans corda eorum. Hanc fidem Apostolus hîc significavit nomine cognitionis Christi, cum dixit, *Si modo audivistis eum* (fides enim est ex auditu) *& edocti estis in ipso*, id est, veram ejus cognitionem consecuti estis, à qua impellamini ut deponatis veterem hominem. Quia verò & verbum & Sacramenta per homines administrat: ideò etiam Ministri Ecclesiae organa sunt Dei ad hanc rem. Paulus ait, *Ego genui vos in Christo*, nempe ministerialiter. Haec igitur sunt vera & ordinaria media, quibus Deus ad nostri regenerationem utitur, Verbum, Sacramenta, Ministerium Ecclesiasticum, fides: Spiritu Sancto efficaciter per Sacramenta & verbum in nobis operante, fidem excitante, & per sanguinem Christi fide apprehensum corda conscièntiásque nostras à peccatis lavante atque purgante & in novam creaturam effingente. Proxima enim causa, per quam nos regenerat Deus, est vis & efficacitas Spiritus Sancti in corda nostra diffusi, ut *Tit.* 3. docetur, ubi sic loquitur Apostolus: Secundum suam misericordiam salvos nos fecit per lavacrum regenerationis & renovationis Spiritus Sancti, quem effudit in nos abundè per Jesum Christum Servatorem nostrum. Atque haec de octavo. Sequitur nonum de fine.

De nono.

Ultimus finis est ut possimus in Coelo tandem regenerari cum Christo. In illud enim nihil immundum ingreditur, ut *Apoc.* 21. & 22. describitur. Caro item & sanguis (*immundus*) regnum Dei non possidebunt, ait Apostolus 1. *Cor.* 15.

Cor. 15. Et Christus ait *Johan.* 3. Quod natum est ex carne carnem esse: nisi quis autem renascatur & ex carne fiat spiritus, eum non posse videre regnum Dei. Ut igitur in illud tandem regnum admitti possimus: necessaria est regeneratio, purgatio à peccatis, & ut novae fiamus creaturae. Hunc finem *Tit.* 3. expressit Apostolus, dicendo, Salvos nos fecit per lavacrum regenerationis, ut justificati gratia ipsius haeredes efficeremur vitae aeternae. Hic igitur ultimus finis. Sed alii sunt fines intermedii & subalterni, qui omnes eò reducuntur, ut facti novae creaturae, homines spirituales atque coelestes, novam etiam spiritualem atque coelestem vitam degere possimus, & fructus Spiritus proferre, verè cognoscere Deum, fidere Deo, amare Deum, legémque ejus servare, ad ejus gloriam & Ecclesiae aedificationem, utque tandem per viam bonorum operum in regnum Coelorum perducamur. Ideò Apostolus ait hunc novum & spiritualem hominem creari in justitia & sanctitate vera, ut, *scilicet*, possimus verè justa & sancta omnia praestare, & ut non amplius vivamus secundum priorem conversationem veteris hominis, sed secundum novum hominem: nec ambulemus amplius sicut caeterae Gentes, sed sicut filii Dei: atque (ut in cantico Zachariae habemus Luc. 1.) ut de manu inimicorum nostrorum liberati serviamus illi in justitia & sanctitate coram ipso omnibus diebus nostris, id est, vitae nostrae. Liberamur autem reapse de manibus inimicorum nostrorum, Satanae, carnis, peccati, per regenerationem.

Meminerimus ergò in quos fines baptisati & regenerati simus: atque in hos fines semper intenti simus, omniaque nostra studia dirigamus ad gloriam Dei & aedificationem Ecclesiae salutémque nostram.

De decimo.

Ex finibus colliguntur effecta. Proinde quosdam peculiares fructus veteris hominis subjicit Apostolus, & ab illis dehortatur, atque ad contrarios, qui sunt fructus Spiritus & novi hominis, nos exstimulat. Nunc de iis aliquid dicendum est ex versibus 25. & deinceps ad finem usque. Ac primum de vitando mendacio & persequenda veritate. Ait enim: Quapropter deposito mendacio loquimini veritatem, quia sumus invicem membra, &c.

De mendacio.

Tria dicit Apostolus.

1. Deponendum esse mendacium, *hoc est*, nullo modo amplius esse mentiendum, nempe nec verbis nec factis.

2. Alterum contra, sed semper sequendam esse veritatem, nempe & lingua & opere, *id est*, sincerè agendum esse cum fratribus.

3. Addit causam unam tanquam acutissimum stimulum, Quia *(inquit)* sumus invicem membra. Ita exposuimus hunc locum: damnari, *scilicet*, quicquid pugnat cum veritate: Veritatis autem nomine intelligi sinceritatem & candorem, tum in verbis tum in factis: hoc autem proprium esse membrorum Christi & filiorum Dei, nempe ut sint sinceri & candidi. Interim dubium non est quin

speciatim

speciatim damnet id, quod propriè vocamus Mendacium. Videndum igitur est

1. *Quid sit mendacium.*

2. *Quotuplex sit.*

3. *An ullum licitum sit & permissum Christiano homini: an verò omne mendacium damnetur, & etiam deponendum sit, ut verba Apostoli sonant dicentis, sine ulla exceptione.* Quapropter deposito mendacio, nempe omni, loquimini veritatem.

4. *An veritatem teneamur semper loqui & in omnibus, quia ait Apostolus,* sed loquimini veritatem: *an verò liceat eam aliquando subficere.*

5. *De causis, cur non sit mentiendum sed dicenda veritas.*

1. Ad *primum* quod attinet, Mentiri aiunt quidam Grammatici esse quasi contra mentem ire, cùm, *scilicet*, aliquid dicimus repugnante mente, et cum aliud ore loquimur quàm mente sentiamus. Ita mendacium quid aliud fuerit quàm verbum contra id, quod in mente habet, profectum, *id est*, prolatum? Ex qua Etymologia apparet omne mendacium sua natura esse iniquum & injustum. Neque enim lingua profert quod à mente dictatur, sed contrarium. Ergo inique agitur in homine cum mentitur. At lingua exprimit quod voluntas imperat. Verum est: sed hînc sequitur voluntatem igitur repugnare menti verum ostendendi. Quare semper mendacium erit iniquum.

Graeci mendacium vocant ψεῦδος, cujus Etymologia duplex est. Grammatici ferè omnes inde dictum putant, quod sit quasi Φεῦγος, a Φεύγομαι, quod mendacium tale sit vitium, quod omnes illud adversus se dictum naturaliter fugiant & fugiendum esse doceant. Quis enim ferat, quod alius sibi mentiatur? Ipsi etiam qui mentiuntur naturaliter norunt se facere rem nullo modo ferendam, quia nollent ipsi ferre mendacium sibi dictum. Aristoteles verò in Ethicis lib. 4. c. 7. aliam affert Etymologiam. Deducit enim ψεῦδος ἀπὸ τοῦ ψέγειν, quod est vituperare, improbare: quod ψεῦδος sit ψεκτὸν. Ait enim τὸ μὲν ψεῦδος Φαῦλον καὶ ψεκτὸν εἶναι: τὸ δε ἀληθὲς καλὸν καὶ ἐπαίνετον. Hac Etymologia Aristotelica constat omne mendacium rem per se esse omnino vanam & improbandam. Ita apertè scribit *omne mendacium pravum esse & fugiendum.*

Hebraei (*ne omnia nomina, quibus significant mendacium, sed communissimum referam)* mendacium vocant *Aven*, qua voce & iniquitas & mendacium significatur. Prudentissimè sanè ita locutus est Spiritus Sanctus. Significare enim voluit mendacium omne per se summam esse iniquitatem: quia *(ut supra dixi)* lingua & voluntas non respondent menti aliud dictanti, sed contrarium loquuntur. Atque haec de voce ac notatione.

Hinc *quid sit mendacium* facilè definiri potest. Augustinus T. 4. Contra mendacium ad Consentium, cap. 12. sic definit: mendacium est falsa significatio *(vocis)* cum voluntate fallendi. Semper esse falsam vocis significationem extra Controversiam est. Nam omne mendacium falsum continet, quatenus vel quod dicit falsum est, vel vult dicere falsum qui mentitur, etiamsi nesciens dicat verum. Vide August. de mendacio ad Consentium c. 3. Sed an in omni mendacio sit voluntas fallendi, multi negant, atque eam tantum in mendacio pernicioso esse contendunt. Verum si distinguas voluntatem fallendi in eam, quae vult fallere quidem, sed sine damno ejus qui fallitur: & in eam quae vult fallere, sed cum alterius damno: non video cur non possit cum omni mendacio conjungi fallendi voluntas. Certum

 enim

enim est, quicunque falsum loquitur sciens & volens, eum ideo ita loqui, quia non vult quod verum est ab eo qui andit intelligi atque cognosci. Tacere autem quod verum est, & dicere falsum, an non est fallere? Medicus, qui aegroto dicit medicinam quam offert non esse amaram, cùm tamen sit amara, falsum dicit, & ideò dicit, quia fallere vult aegrotum: verum non in ejus detrimentum, sed potius ad salutem, nempe ut fructuose deceptus & falsus absorbeat medicinam, atque ita convalescat. Ergò etiam in mendacio officioso inest voluntas fallendi. Idem dico de mendacio, quod jocosum vocant. Qui enim falsum jocando dicit, ideò dicit, ut fallat auditores: verum non ad damnum, sed ad voluptatem. Non malè igitur Augustinus mendacium definivit in genere, dicendo esse falsam significationem cum voluntate fallendi. Et in lib. de mendacio ad eundem Consentium, c. 3. sic definit: Quapropter ille mentitur, qui aliud habet in animo, & aliud verbis vel quibuslibet significationibus enunciat.

Alius sic: Mendacium est inaequalitas orationis & mentis, cum studio fallendi conjuncta. Non multum differt à superiori, sed clariùs explicat naturam mendacii. Veritas enim est quaedam aequalitas inter mentem & orationem, quatenus oratio consentit cum mente. Ergò mendacium inaequalitas est orationis & mentis. Sed si addamus nomen *voluntatis*, nomen item *falsi & veri*, clarior etiam fuerit, hoc modo:

Mendacium est voluntaria orationis falsum dicentis & mentis verum dictantis inaequalitas, cum studio fallendi conjuncta.

1. Tria itaque sunt in mendacio: 1. falsum dicere sive etiam scribere: idque contra veritatem in mente relucentem. 2. Quòd hoc fiat ex imperio voluntatis menti repugnantis. 3. Quòd ideò hoc fiat studio fallendi: sed hoc non eodem fine, quia volumus fallere aut ad perniciem, aut ad utilitatem, aut ad voluptatem. Ac duo priora materiam & formam mendacii continent, tertium finem proximum, qui postea ad alios eosque diversos ordinatur.

Juxta hanc definitionem apparet excipi à nomine mendacii topicas locutiones, parabolas Evangelicas, & hyperbolas, fabulas item Aesopicas & similes de moribus. Non enim aliud mente concipitur, aliud dicitur: sed propriis verbis omissis, hyperbolicis, tropicis, & similibus, idem verum efficaciùs aut elegantius & utiliùs explicatur. Deinde in illis, qui ita loquuntur, nulla inest fallendi voluntas sed potius efficaciùs verum significandi & docendi; & semper ad utilitatem. Hac de re Augustinus ad Consentium, c. 10.

De Secundo.

Hinc facilè apparet in quas species dividatur. Triplex in summa constituitur mendacium à triplici fine, quem jam diximus denominatum: Mendacium Officiosum, Jocosum, & Perniciosum. Omne enim mendacium eò spectat, ut aut prosit, aut noceat, aut oblectet.

Aristoteles aliter in Ethicis distinguit: Veritati duo opponit vitia contraria, jactantiam & εἰρωνίαν. Veritas enim est virtus in medio posita: hanc si excesseris, plus dicendo quam verum sit, jactantia fuerit: Si verò defeceris minus dicendo quàm verum sit, ironiam constituis. Proinde juxta Aristotelem omne mendacium est vitiosum: quia repugnat veritati, quae est virtus. Sed de iis in Ethicis.

Caeterum

Caeterum Perniciosum quoque dividimus in duas species, in Politicum & in Religiosum, seu in illud, quod committitur in religione & in doctrina de cultu rebúsque divinis: & in id, quod committitur in rebus politicis atque humanis: quorum unum longè perniciosius est altero, quo etiam pretiosior est anima quae perditur, qùam corpus: & gloria Dei quae blasphematur, quàm bona humana quae laeduntur. Ideò Augustinus ait peccare quidem illos graviter, qui viatores decipiunt iter perperam ostendendo: sed illos multò detestabiliores esse, qui circa pietatem mentiendo in errores homines abducunt, eóque aeternùm perdunt.

De Tertio.

Tertium caput sequitur. Est autem quaestio, an omne mendacium sit peccatum: an verò aliquod sit licitum & permitti possit viro bono. Omnes damnârunt perniciosùm mendacium, *id est*, illud quod nocendi causa dicitur; sed jocosum multi excusant, quia oblectandi causa & sine alicujus damno profertur: officiosum vero etiam laudant & sectandum esse docent, quia in salutem proximi tendit: quale fuit mendacium Ægyptiacarum obstetricum, quae ut pueros Hebraeorum recens natas servarent mentitae sunt Regi, dicendo Hebraeorum mulieres mira quadam pariendi celeritate donatas esse, ita ut, antequam veniant obstetrices, peperisse inveniantur. Quale fuit & mendacium Rabab Hierecuntinae, quae ut servaret exploratores populi Dei, totique illi populo benefaceret, civibus suis ingenioso mendacio imposuit. Mendacio simili servavit virum suum Davidem Michol filia Saulis: nec dissimilibus usus est Jonathan ad patrem suum Saulum, ut eundem servaret Davidem. Omnia haec officiosa fuerunt mendacia: & quia servandi proximum causa dicta fuerunt & prudenter excogitata, ideo à fine ea nonnulli laudarunt: & qui ita mentiti sunt, eos aiunt non peccasse: in qua sententia fuit Origenes, quem & Hieronymus secutus fuisse videtur, sed contradixit ei Augustinus aliquot epistolis, cùm disputat de loco ad Galat. 2. quando Paulus reprehendit Petrum, an colluserint simul ambo sancta quadam simulatione, an verò seriò Petrum reprehenderit Paulus, quòd verè peccasset sua dissimulatione. Augustinus igitur duobus libris de hac quaestione de industria conscriptis ad Consentium, Tom. 4. quorum prior titulum habet de mendacio, posterior contra mendacium; in iis, *inquam*, duobus libris permultis argumentis demonstrat nunquam licitum esse mentiri quávis de causa, & omne mendacium esse peccatum; ac si quae legantur Sanctorum virorum mendacia, laudandam quidem esse eorum pietatem ac charitatem, quâ voluerunt proximis prodesse, sed modum quo usi sunt, mentiendo *scilicet*, illum non esse probandum nec imitandum. Occasio contra mendacium scribendi haec fuit Augustino, eaque necessaria. Priscillianistae, qui hoc cum primis defendebant animam, *scilicet*, humanam esse de substantia Dei, praeter alios errores, hunc etiam & verbis docebant & suo exemplo confirmabant, licere non solùm in Politicis negotiis propter alicujus salutem mentiri, verùm etiam in religione, ita ut quod credis negare & quod non credis profiteri bona conscientia possis: modo veritatem fidei

fidei in corde salvam retineas. Et hoc praestabant ipsi. Ne enim agnosceretur quis a Catholicis esse Priscillianista, is inter Catholicos profitebatur doctrinam Catholicam, & improbabat Priscillianistarum dogmata: inter suos autem improbabat Catholicos, & suam, *id est*, Priscilliani doctrinam profitebatur; non secus atque nunc Libertini faciunt, qui inter Pontificios pontificiè loquuntur & vivunt; & inter Evangelicos Evangelicè: & quidvis inter quosvis sibi licitum esse putant. Accessit huc, quòd quidam ex Catholicis, è quorum numero fuit & Consentius, cùm non ignorarent illud de mentiendo dogma & factum Priscillianistarum, vicissim & ipsi cùm versabantur apud illos, quos Priscillianismi suspectos habebant, simulabant se esse Priscillianistas & Catholicis obloquebantur. Et cur hoc faciebant? Ut hac sua dissimulatione & mendacio latentes Priscillianistas è latebris eruerent, & in apertum productos erroris convincerent, atque ita eos ad fidem Catholicam converterent, aut si essent incorrigibiles, curarent saltem per Magistratum Christianum, ne illi amplius sua spargerent venena. Horum zelum probabat quidem Augustinus, sed modum, nempe quòd mendaciis hoc agerent, summopere improbavit. Haec fuit occasio dogma illud refellendi. Atque hoc est quod initio secundi libri ait, se delectatum fuisse Consentii litteris, eloquio, doctrina, memoría sanctorum, ingenii solertia, zelo denique, quo adversus latentes etiam haereticos tendebat: sed *(inquit)* non mihi persuadetur eos de latebris suis nostris esse mendaciis eruendos. Ut quid enim tanta cura vestigare atque indagare conamur, nisi ut captos, in apertúmque productos, aut etiam ipsos veritatem doceamus, aut certè veritate convictos nocere aliis non sinamus? At hoc ergo, ut eorum mendacium deleatur sive caveatur, veritas autem augeatur (nempe quaeruntur latentes haeretici). Statim verò subdit quàm iniquum sit hoc facere mendaciis, dicendo: Quo modo igitur *(inquit)* mendacio mendacia rectè potero persequi? An & latrocinio latrocinia, & sacrilegio sacrilegia, & adulterio adulteria sunt persequenda? Haec Augustinus. Et ita rationibus pergit hanc agendi rationem, nempe per mendacia, sceleratam esse atque sacrilegam demonstrare. Generatim verò, tam priori quàm posteriori libro, Christiano viro nunquam licitum esse mentiri, neque suae neque aliorum utilitatis vel salutis etiam aeternae causa, manifestissimè evincit è sacris Literis. Mendacium enim semper esse peccatum & iniquitatem: nunquam autem licere facere mala ut eveniant bona. Ex multis rationibus testimoniisque sanctorum praecipuas collegi, quibus & alias ex aliis autoribus adjeci. Has igitur observare operae pretium est, ut omnino discamus odisse mendacium, illúdque à nobis penitus profligare, juxta praeceptum Apostoli dicentis, *Quapropter deposito mendacio loquimini veritatem quisque cum proximo suo.*

1 Primum argumentum tale est: *Nunquam sunt facienda mala, ut eveniant bona.* Rom. 3. Qui enim hoc dicunt, horum damnatio justa est. Nunquam igitur vel ob nostram vel ob aliorum utilitatem aut salutem mentiendum est: multò minùs propter voluptatem & jocum. Consequentia patet. Mentiri enim semper sua natura malum esse, iniquitatem & peccatum, liquet ab ipso etiam nomine: Nam mendacium, *teste Augustino*, nihil aliud est, quam itio contra mentem. Si enim mentiri est ire contra mentem: utique mendacium est contra mentem itio, h, e.

aliud

aliud ore dicere quam mente sentias, & quasi mente repugnante loqui, quo sanè nihil potest esse vitiosius. Quòd si a menda mendacium derives, idem planè concludes. Nam sicut menda error est castigatione dignus: sic mendacium voluntarius error est, qui justam reprehensionem meretur. Eadem vis est Graeci nominis. Nam si ψεῦδος idem est quod εὖδος, i. dormitio, *ut Plato voluit*, significatur hoc nomine mendacium rem esse inertem, & viro bono minimè dignam. Si verò ψεῦδος idem esse velis quod φεῦγος, *ut Grammaticis placet*, ὅτι φεύγομεν ἅπαντες: idem planè evinces; adeò enim res exosa est mendacium, ut etiam à mendacissimo contra se feri non possit. Utut sit, de Etymologia nominis constat mendacium rem esse talem, quae à rectè institutis animis simpliciter abesse debet.

1. Quia pugnat ex diametro cum lege Dei, quae ait, *Ne falsum testimonium dicas:* Exod. 20. Quid est autem falsum testimonium dicere aliud quam mentiri? Ideo utrumque conjungitur, ut in *Psal.* 26. Insurrexerunt in me testes mendaces & loquentes iniquitatem. Scio non omnem qui mentitur eum falsum dicere testimonium: interim illa mendacii specie omne mendacium prohibet lex Dei: sicut & nomine fornicationis omnem immunditiem veneream. Sed explicatio praecepti est Levit, 19. 11. Ubi Deus expresse ait: *Non mentiemini quisquam in proximum suum.* Quam legem Paulus inculcat Coloss. 3. 9. Nolite mentiri invicem, & Eph. 4. 23. Deponentes mendacium loquimini veritatem. Et sanè quantopere Deus mendacium abominetur, apparet ex comminationibus huic praecepto additis: *Psal.* 5. Perdes omnes, qui loquuntur mendacium. *Prov.* 6. 17. Linguam mendacem odit Iehova, *Prov.* 12. Labia mendacia Dominus abominatur, *Hos.* 4. 1. Nulla veritas, nulla misericordia, nulla cognitio Dei est in hac terra, sed pejerare & mentiri &c. propterea lugebit terra, & infirmabitur quicunque habitat in ea. *Zach.* 8. 16. Loquimini veritatem quisque cum proximo suo, vèritatem ac judicium pacis judicate in portis vestris, atque juramentum mendax ne diligatis. Omnia enim ista sunt, quae odit Jehova.

3. Quia opponitur rectà veritati, quae praeclarissima est virtus. Quod autem opponitur virtuti vitium est: & quod benèfacto malefactum atque peccatum. Si autem omne mendacium, sive jocosum sive officiosum, opponitur veritati sua natura: sua natura igitur omne mendacium malum est & vitium. August. contra mendacium, Cap. 15. *Quod est contra veritatem justum esse non potest.*

3. Contra Deum loquitur qui mentitur, Deus enim veritas est: lex item ejus veritas: in Deum igitur peccat, qui mentitur. Adde quod veritas in mente existens, adversus quam mentiens loquitur, à Spiritu Dei est, omnis veritatis autore. Quid igitur fuerit mentiri aliud, quàm contra veritatem Dei in mente insculptam, eóque contra Spiritum Sanctum, linguam instruere?

4. Contrá mendacium omne ex Diabolo est, *est enim mendax & pater mendacii, & cùm loquitur mendacium ex propriis loquitur,* Joh. 8. Quod autem ex Diabolo est, malum sit necesse est: Ideo solus malus spiritus posuit verba mendacii in ora Prophetarum, qui seduxerunt Achab 1. Reg. ultimo.

5. 1. *Joh.* 3. Qui facit peccatum ex Diabolo est, quia ab initio Diabolus peccat:

peccat: Ergò qui etiam mentitur, ex Diabolo est *(ea parte, quà mentitur)* quia ab initio Diabolus mentitur. Omne igitur mendacium, cùm à Diabolo sit, malum est.

6. Abuti lingua aliisque membris peccatum est, Ideò *Rom.* 6. Nolite exhibere membra vestra arma iniquitatis peccato. Qui verò mentitur, annon lingua abutitur adversus mentem, in qua inest veritas? Vel solus hic linguae abusus evincit omne mendacium esse peccatum.

7. Ac si de omni verbo otioso reddent rationem homines in die judicii, quanto magis de omni verbo mendaci? Quare si omne verbum otiosum malum est, quanto magis omne mendacium? Matth. 11.

8. Praeterea qui pervertit ordinem à Deo constitutum inter homines, is graviter peccat. Hoc facit qui mentitur. Ordo enim est, ut per verba sensa mentis explicemus, unde & notae vocantur eorum quae sunt in animo. Mentiens autem aliud dicit, quam in animo habeat.

9. Pertinet huc nomen Hebr. *Aven*, quo & mendacium & iniquitas significatur: duplex item vocis ψεῦδους Etymologia, qua significatur mendacium rem esse detestabilem & omnino fugiendam.

10. Pertinet huc & definitio apud omnes recepta, quòd mendacium sit falsa vocis significatio cum voluntate fallendi: falsum autem & fallere per se mala sunt. Inaequalitas quoque, quae est inter mentem verum dictantem & inter linguam falsum proferentem, quid aliùd est quàm iniquitas?

11. Sed quid clarius testimonio conscientiae cujusuis hominis mentientis? Nemo hominum est, qui cùm mentitur non sentiat se à conscientia accusari malefacti. Cujus rei luculentissimum illud est testimonium, quod qui mentitur non vult videri mentiri, nec unquam fatebitur se mentitum esse. Quid ita? Quia nimirum naturaliter novit mentiri malum esse & scelus infamiae plenum. Ipsimet pueri cum mentiuntur, norunt se malè facere: ideò convicti mendacii erubescunt.

12. Quid? quod apud omnes Gentiles hoc omnino receptum est, ut nulla majori injuria affici posse virum bonum existiment, quàmsi ei dicatur, *Tu mentiris vel mentitus es*? Quid hoc communi hominum judicio efficacius ad demonstrandum mendacium scelus esse homine indignum? Neque id immerito. Homo enim ad imaginem Dei conditus est. Deus autem veritas est. Nil igitur homine indignius, quàm mentiri & mendacem esse: praesertim cùm hoc proprium sit Diaboli, teste Christo, Joan. 8. Cùm igitur liquido constet mendacium omne sua natura malum esse & peccatum: nunquam autem liceat facere mala ut eveniant bona, sicut docet Apostolus: necessario efficitur nunquam licitum esse mentiri, eòque nullum mendacium tam officiosum esse posse, quin contra officium sit, quod quisque debet Deo, nempe ut ne mentiatur neve falsum testificetur: sed deposito mendacio veritatem loquatur quisque cum proximo suo. Atque hoc esto primum argumentum.

II. Si salutis aliorum causa licitum est mentiri, quod vocant officiosum mendacium: licebit etiam idem facere salutis nostrae causa. Neque enim minus suam quisque salutem tueri debet, quàm aliorum. Atqui hoc non licet, nec quisquam licere docuit: alioqui Petrus non peccasset, cùm servandae

vitae

vitae suae gratia mentitus est, dicendo *se Christum* non *novisse*. Petrus certè veritatem retinuit in corde, quam lingua abnegavit, ut August. apertè docet contra mendacium, cap. 6. Cur tamen peccavit? Quia quod corde tenebat, ore negavit, cùm ad aeternam salutem non satis sit veritatem in corde retinere, nisi etiam lingua profitearis. *Corde enim creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem.* Rom. 10. Cùm igitur ei non licuerit suae vitae conservandae gratia veritatem abnegare: neque etiam ut aliorum vitam tueretur mentiri veritatémque abnegare licuisset. Quare nullum officiosum mendacium justum esse potest, nisi quis velit peccatum aliquod justum esse posse dicere.

III. Si officii & beneficii praestandi proximis nostris gratia licet mentiri, sicut obstetricum in Ægypto, & Rachab in Hierichunte, & aliorum piorum exemplis astruere conabatur Origenes: eandem ob causam licebit etiam fornicari cum Moabitibus, cum Judaeis, & aliis impiis foeminis, ut amore tui captae ad Christum convertantur, *id est*, fiant Christianae & baptizentur: licebit furari divitibus impiis, ut succurras pauperibus piis. Neque enim major ratio est horum peccatorum, quàm mendacii, cùm tam hoc damnet lex Dei quàm illa. Atque illa non licet admittere officii causa: Ergo nec hoc. Confirmatur hoc argumentum à simili in hoc cap. 4. ad Ephes.; sicut hîc ait: *Quapropter deposito mendacio loquimini veritatem quisque cum proximo suo:* sic infra ait, *Qui furabatur jam non furetur.* Sed quid si quis furetur divitibus impiis, ut det piis pauperibus? Non hac ratione vult piis pauperibus succurri, de alienis, *scilicet*, bonis furto sublatis, sed laboribus nostris. Magis autem *(inquit)* laboret operando manibus suis quod bonum est, ut possit impertiri ei, cui opus est. Sicut igitur simpliciter omne furtum damnat Apostolus, etiam quod fieri potest juvandi pios pauperes causa: sic simpliciter omne mendacium deponi vult, ita ut nunquam officii causa licet cuipiam illud resumere & mentiri.

Tractat hoc argumentum August, cap. 7. contra Mendacium, ubi praeter alia notanda est egregia sententia, *Quod sceleratissimum facinus, quod turpissimum flagitium, quod impiissimum sacrilegium non dicatur posse fieri rectè atque juste, nec impunè tantùm, verùm etiam gloriosè, ut in eo perpetrando non solùm supplicia nulla timeantur, sed sperentur & praemia: si semel concesserimus, in omnibus malis operibus hominum ideo non quid fiat, sed quare fiat esse quaerendum, ut quaecunque propter bonas causas facta inveniuntur, nec ipsa mala esse judicentur?* Dictum hoc Augustini opponendum est non solùm mendacii officiosi in rebus politicis defensoribus, sed etiam illis, qui mendacia in religione, ut de purgatorio igne déque aliis humanis traditionibus, hac ratione tuentur, quòd finis, propter quem haec tueantur, sit bonus: nempe ut homines contineantur in timore Dei & in officio. Sed Augustinus docet, non tam quare aliquid fiat, quàm quid fiat spectandum esse. Si, quod fit, pugnet cum verbo Dei, illud jam sua natura peccatum est. Si res sit ἀδιάφορα, tunc à fine res illa dici potest esse vel bona vel mala. At mendacium res ἀδιάφορα non est, sed per se mala, quia pugnat cum lege Dei, de qua David, *Et lex tua veritas.* Psal. 119.

IV. Denique si nullum perniciosum mendacium licitum est, neque etiam ullum

ullum officiosum vel jocosum ut vocant. Omne enim mendacium perniciosum est, si non illis quorum causa mentimur, nobis saltem qui mentimur, & vero etiam illis quibus mentimur. *Primum* enim cui mentiris injuriam facis, dum ei falsum pro vero obtrudis: & in ejus intellectum pro veritate falsitatem tua lingua instillas. Quid autem perniciosius humanae menti, quam quod falsum pro vero amplectatur, & lucem dicat tenebras esse & tenebras lucem? Laeditur praeterea auditoris fides, dum quae adhiberi debet veritati, ea mendacio tuo decepta praestatur. Totum hoc certè malum & perniciosum est auditori.

Deinde tibi qui mentiris perniciosissima res est mentiri: 1. qui saepe mentiendo, sive joci sive officii causa id facias, habitum tibi comparas mentiendi, ita ut deinceps vix verum aliquid dicere possis, quin aliquid immisceas mendacii. Videas plerosque, qui nunquam possunt loqui sine aliquo mendacio. Quid ita? Propter habitum mentiendi, quem sibi paulatim compararunt.

2. Quia mentiendo fidem tibi adimis apud omnes, ita ut si postea verum etiam dicas, non facilè tibi credatur: id quod Cicero optime expressit in lib. de Divinatione, dicendo: Homini mendaci ne vera quidem dicenti credere solemus. *Ratio:* quia, qui semel malus, semper praesumitur malus in eodem genere mali. Qui ergò semel deprehensus est mendax, verba ejus semper suspecta sunt. Quantum verò est hoc malum, quod sibi acquirit mendax. Praeterea quis cum illo amicitiam colat, de cujus fide certior esse nequeat? Ita mendacium tollit etiam omnem amicitiam. Quàm verò perniciosum sit homini nullum habere, qui sibi fidat, amicum, quis queat explicare?

3. Mentienti perniciosum est omne mendacium, quia mendaciis, quae peccata esse satis abundè ostensum est, iram Dei adversus se provocat. *Perdes omnes* (inquit David Psal. 5.) *qui loquuntur mendacium, nempe quodquod illud sit.* Et Sal. *Prov.* 6. Linguam mendacem perdit Dominus. Proinde contra, inter alias causas cur pii in coelum recipi dicantur in Apoc. c. 14., haec etiam non ut postrema affertur, quia *(inquit)* non est inventum mendacium in ore ipsorum. Hanc ob causam, quicunque sapit & suis rebus consultum vult, is mendacium oderit illúdque adversabitur, quia nunquam illi bene cadet. Quò pertinet illud Menandri, ψεῦδος μισεῖ πᾶς σοφὸς καὶ χρήσιμος. Quare cum nullum sit mendacium, quod non secum suum adferat malum suámque perniciem: consequitur, si omne perniciosum mendacium fugiendum est, nullum mendacium esse admittendum, quod nullum tam possit esse officiosum, quod non admittatur contra officium, nullúmque tam utile uni, quod non sit detrimentosum alteri. Ita (*ut credo*) satis abunde & perspicuè demonstratum est, nullum mendacium licitum esse viro bono hominíque Christiano, propterea quod omne mendacium vitiosum est & malum: malum, *id est*, peccatum, & malum, *id est*, noxium & perniciosum: ac proinde omne mendacium, juxta Apostoli adhortationem, esse deponendum.

Argumenta in contrariam partem nulla sunt. Nam quòd 1. afferunt exempla piorum multorum ex veteri Testamento: respondet Augustinus primùm, multa adferri tanquam mendacia, quae revera non fuerunt mendacia, & illud Abrahae de uxore sua, *Soror mea est:* Gen. 12. verum enim dixit juxta consuetudinem Hebraeorum:

Hebraeorum: quia erat filia patrui sui, qui nomine parentum vocabantur. Ut illud item Jacobi ad patrem Isaacum, *Ego sum primogenitus tuus Esau.* Gen. 29. Etsi enim non erat talis secundum carnalem nativitatem, erat tamen secundum divinam dispensationem atque oraculum, quia jus primogeniturae ad Jacobum transferendum erat, & major (*secundum carnem)* servire debebat minori. Augustinus ait eum respondisse Propheticè, sicut & Paulus, cùm dixit de summo Sacerdote se nescivisse illum esse summum Sacerdotem. *Act.* 25. Praedixit enim eum tanquam officio indignum percussum iri à Deo Ait etiam esse Ironiam in vers. 5. *Nesciebam &c.* Alia multa adferebant Priscillianistae *(ut recitat Augustinus)* quae revera non erant mendacia. Deinde, si quae verè fuerunt mendacia, ea tamen non probantur Spiritui Sancto in sacris literis. Proinde licet imitanda sit illorum sanctorum pietas, mendacia tamen, quibus usi sunt, ad imitationem trahenda non sunt nec ad regulam morum.

2. Adferunt etiam illud à fine actionum, eas dicendas esse vel bonas vel malas. Cum igitur quis mentitur propter optimum finem, puta, ut servetur populus Dei, sicut fecerunt obstetrices Ægyptiorum & Rachab Icticuntina, & Judith, &c., is non videtur improbandus propter mendacium.

Respondeo. In rebus ἀδιαφοραῖς, uti sunt multae civiles actiones, regula illa tenet: sed in praeceptis Dei voluntas Dei spectanda est, quid vetet, quid jubeat. Ita actiones nostrae dicendae sunt vel bonae vel malae, non à fine propter quem agimus, sed à lege Dei, cui sunt vel consentaneae vel dissentaneae. Cùm verò mendacium damnetur lege Dei, semper malum sit necesse est: ita ut nullo modo illud bono fine fieri possit bonum. Et huc pertinet illa egregia sententia D. Aug., quam ex libro contra mendacium c. 7. protulimus: Nullum facinus tam malum esse, quod non possit defendi, si non quid fiat, sed tantum cur fiat, consideretur. Interim non inficiamur graviora esse peccata illa mendacia, quae in malum etiam finem, *hoc est*, in fraudem & perniciem proximi dicuntur, illis quae officii & gratia dicuntur, & officiosa vocantur.

3. Quidam abutuntur illo dicto, è duobus malis minus esse eligendum. Atqui majus malum est, *verbi gratia*, quod verum dicendo autor sim, ut quis alium occidat, quam si mentiar, à mentiendo duo impediam mala: unum quod quis admittat homicidium, alterum quod innocens occidatur. Ergo, &c.

Respondeo. Regula illa de duobus malis politica est: & de duobus malis, *id est*, de duobus incommodis, non autem de duobus peccatis intelligenda est. Nunquam enim licet peccatum aliquid admittere, ut aliud evitetur: sicut neque unquam faciendum est malum, ut eveniat bonum. Hac in re peccavit Lothus, cum evitandi criminis Sodomitici gratia in Angelos, qui ad se diverterant, filias suas prostituit, Gen. 19. Aug. contra Mendacium cap. 9. & 10. improbat hanc regulam, cum, *scilicet*, ad peccatum trahitur.

Ad Minorem etiam respondetur.

Negamus te esse autorem homicidii, si non mentiendo impedias. Alia enim ratione quam mendacio impedire potes homicidium illud: nempe vel tacendo

tacendo veritatem, vel dicendo te quidem scire ubi sit ille sed nolle dicere: quemadmodum legitur apud Aug. fecisse quidam Episcopus Firmus nomine, de Mendacio ad Consent. cap. 13., quem vehementer laudat ab hoc facto.

4. Objicitur quod viri sancti etiam in Novo Testamento, uti fuit Paulus, promiserunt se aliquid facturos, quod tamen postea non praestiterunt, neque tamen damnantur vel accusantur. Licet igitur impunè mentiri.

Resp. Negatur illos propterea esse mentitos. Cum enim promisit Paulus se iturum in Hispaniam, item venturum ad Corinthios, nil dixit ore vel scripsit, quod non habuerit etiam in animo. Mentitus igitur non est. Quod autem non praestiterit quod promiserat, hoc fuit, quia Deus noluit *(ut ipse fatetur)*, qui impedimenta obtulit. Et sic Gelasius etiam in Decret. c. 22. q. 2. c. Beatus.

5. Denique Priscillianistae objiciebant hoc Apostoli dictum, *Quapropter deposito mendacio loquimini veritatem quisque cum proximo suo, quia sumus invicem membra, &c.* Atqui homines diversae religionis non sunt nobis invicem membra. Apud illos igitur licet uti mendaciis.

Resp. *Primum* sunt membra ejusdem corporis, *id est*, generis humani, quia omnes ex Adamo. *Secundo* possunt fieri membra ejusdem corporis, quod est Ecclesia, & haec est responsio Augustini. *Denique* fallacia admittitur, quae dicitur non causae. Unam adfert causam Apostolus, quae congruebat fidelibus, ad quos scribebat: sed non omnes attulit. Haec una certè generalis est: quia mendacium per se peccatum est & pugnat cum veritate: fugiendum igitur est. Ac de tertio capite satis.

De Quarto.

Caput quartum est, *an liceat aliquando supprimere veritatem.* Duplex distinctio praemittenda est. *Primum*, veritas duplex, una religiosa seu fidei, altera politica & quae ad fidem non pertinet. *Secundo*, de politica bifariam loqui possumus, nempe aut quatenus judicio agitur & a Magistratu interrogamur, aut quatenus extra judicium sumus & loquimur. His positis breviter respondeo.

Prima conclusio. Interrogati de fide nostra eam tenemur ingenuè confiteri, nec supprimere licet. *Rom.* 10. Corde creditur ad justitiam, ore fit confessio ad salutem. *Matt.* 12. Qui erubuerit me coram hominibus, erubescam & Ego eum coram Patre meo. Et praeceptum Apostoli perspicuum est, 1. Pet. 3. Parati estote ad respondendum omni petenti rationem ejus, quae in vobis est, spei. Caeteroqui pietas ipsa saepè postulat, ut veritatem taceamus, quòd, *scilicet*, non expediat vel ad gloriam Dei promovendam, vel ad aedificationem proximi procurandum, mysteria Dei liberè profiteri & praedicare. Quò pertinet illud Christi, *Nolite spargere margaritas ante porcos, & sanctum objicere canibus.* Matth. 7. Caeterùm, quia de hac veritatis confessione & praedicatione non loquitur Apostolus, sed de altera; ideò, hac omissa, venio ad politicam. Exactior enim de confessione fidei disputatio hîc non est necessaria. De politica igitur haec esto

Thesis

Thesis I.

In judicio legitimè instituto si tanquam testes de veritate dicenda, secundum formam juris, interrogemur: neque mentiri neque veritatem supprimere licet, de qua interrogamur. Ratio est: quia judex ut Minister Dei interrogat. Ut igitur non licet mentiri nec veritatem dissimulare Deo: sic neque judici nomine Dei, secundum formam juris interroganti. Sic enim peccatur contra justitiam publicam, cui quisque obtemperare tenetur. Pertinet huc Apostoli dictum *Rom.* 13. Qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit. Annon verò resistat potestati, qui in judicio de re aliqua legitimè interrogatus veritatem dicere recusat? Adde, quod ferè in judiciis praestito jurejurando de veritate dicenda interrogari solemus. Habemus item expressum hac de re mandatum. *Non dices falsum testimonium.* Hac enim negativa complexus est Deus affirmativam, nempe ut verum in judicio praesertim dicamus. Secus verò se res habet, si aut non sit legitimus judex, aut non legitimè & secundum formam juris interroget. De qua quaestione plura apud Jurisperitos.

Thesis II.

Ipse etiam reus, si in judicio legitimo, secundum formam juris, de crimine interrogetur, tenetur veritatem confiteri. Ratio eadem, quae jam allata est. Judicium enim est Dei: in Deum igitur peccat, qui in judicio recusat veritatem confiteri. Deinde peccat in judicem, cui denegat quod debet. Peccat denique in proximum accusatorem, qui, nisi reus veritatem confiteatur, poena talionis punietur innocens. Est igitur contra dilectionem Dei & proximi, si reus in judicio legitimè interrogatus crimen aut neget, aut non fateatur. Exempla non affero brevitatis causa: praesertim quia de hac veritatis confessione in judicio non loquitur Apostolus in hoc cap., sed de privata, qua quisque cum proximo suo agere & negotiari debet. Ad hanc igitur venio.

Thesis III.

Et licet & saepe expedit veritatem supprimere.

1. Quia nulli jubemur omnem veritatem, & ubique, & apud omnes, & omni tempore explicare. Nam quod scriptura ait, *Loquimini veritatem*, *primum* praecepta affirmativa non obstringunt ad semper, ad omnia loca, & ad omnes. *Deinde* sensus est, ut sincerè cum proximo agamus, & sine defraudatione: hoc autem fieri potest, etiamsi non omnem explices veritatem.

2. Quia charitas saepè postulat ut multa celemus. Quo pertinet illud, Charitas opperit multitudinem peccatorum.

3. Quia si sapientis est omnia ad finem optimum dirigere: Ergo licet ea celare, quae si revelentur, impediunt ne finem optimum consequamur. Atque hoc proprium est sapientum virorum. Nec solum licet celare, sed debent celari. Valde inconsultum esset Reipub., si Senatores, quicquid decernitur in Senatu, revelarent.

Pertinent

Pertinent huc etiam exempla Sanctorum & Christi. Christus certè non omnibus sese patefecit ante passionem, quis esset, nempe naturalis Dei filius. Quid ita? Quia impeditum fuisset consilium Dei de morte ipsius. Quò illud Apostoli pertinet. 1. Cor. 2. Si cognovissent, nunquam Dominum gloriae crucifixissent. Dixit etiam, Vobis datum est nosse mysteria regni Dei, caeteris autem per parabolas. Item, Multa habeo quae vobis dicam, sed non potestis ferre. Matth. 13. Joh. 16.

4. Nemo certè laudari potest, si quae per infirmitatem admisit crimina, eáque secreto, ea omnibus & ubíque indulget. Nemo enim se debet infamem reddere. Rursus nemo etiam debet, quaecunque accepit dona, ea jactare & passim praedicare. Quid enim ineptius atque putidius? Licet ergo, imò expedit, multa vera tacere. Confirmat argumentum hoc Apostolus suo exemplo, qui primum, licet peccata quae palam admiserat adversus Christum & ejus Ecclesiam, palam etiam confessus sit, & lingua & scriptis, quod hoc videbat cedere in gloriam Christi; secreta tamen non publicavit. Quid ita? quod videret hoc non decere nec expedire. Rursus, licèt semper & ubique praedicaret gratiam Dei erga se, ac quaecunque in se erant bona, ea dona esse Dei inculcaret: non omnia tamen explicavit neque jactavit. Quid ita? Quia non expediebat, ne videretur gloriari in illis donis. Atque hoc est quod ad Cor. scribit. Si gloriari voluero, non ero insipiens: parcam vero, ne quis de me existimet ultra quod videt in me, aut audit ex me. 2. Cor. 12. Quis non videat his verbis illos insipientiae perstringi, qui dona accepta singula praedicant, dèque iis gloriantur? *Sapientis igitur est multa tacere, quae vera sunt.* Sed interim non licet negare, quae quis habet dona, humilitatis seu modestiae causa: quoniam hac ratione mentiretur, quod nunquam licitum esse abundè demonstratum est. Pertinet huc Salomonis dictum, *Eccles.* 3. Omnia tempus habent, tempus est loquendi, tempus etiam est tacendi, nempe quae etiam vera sunt. Semper verò cum fratribus agendum est sincerè sine dolo & fraude; & hic est sensus Apostoli Ephes. 4.

Si quis adversus hanc doctrinam excipiat, dissimulationem esse vitiosam, quia opponitur candori, tacere autem verum nil aliud esse quam dissimulare: Huic facilè respondetur non omnem dissimulationen esse vitiosam, neque candori veritatique opponi, sed eam tantum, quae fraudi esse potest proximo tuo. Deus certè dissimulat peccata nostra. Et Christus suam Deitatem plerisque omnibus ante passionem dissimulavit. Hoc enim utile erat humano generi, ut supra dictum est: & nemini faciebat injuriam. Illa igitur, quae cum injuria & fraude proximi conjuncta est, dissimulatio vel simulatio vitiosa est, & Christianum hominem non decet: quae vero eò spectat, ut ne bona consilia & decreta impediantur, ac proinde quae potius in utilitatem proximi quam in damnum cedit, ea mala non est, sed summopere laudanda. Sic Christus coram duobus illis discipulis, qui ibant Emaunta, dissimulavit se esse Christum, & simulavit se esse peregrinum quendam. Quorsum? Ut eorum incredulitatem ab ipsis extorqueret & reprehenderet, convincerétque è sacris literis Christum oportuisse pati. Et tamen verum etiam erat illum esse perigrinum. Simulavit item se longius iturum. Quorsum? Ut accenderet in eis sui retenendi desiderium. Neque tamen falsum simulavit, revera enim procul iturus erat,

nempe

nempe in Coelum. Ergo cum in illa simulatione & dissimulatione nihil fuerit falsi, utraque autem fuerit sine fraude proximi, imò cum ad illorum utilitatem referretur: sancta fuit simulatio & dissimulatio: & quaecunque his similes sunt tantum abest ut improbari possint, ut summopere sint laudandae. Ac de quarto capite satis.

De Quinto.

Ex iis omnibus facilè colligi potest quas ob causas deponendum sit mendacium, & sequenda dicendáque veritas: ac proinde sincerè & candidè agendum sit cum proximo nostro.

1. Apostolus unam exprimit causam dicendo: *Quia sumus invicem membra*; sed non ideo hanc solam esse docuit. Valet haec maximè inter eos, qui sunt Christiani Christíque membra: sed aliae etiam sunt, quae reliquos homines ad deponendum mendacium & ad sequendam veritatem permovere debent: nimirum, quia veritas per se bona est & laudabilis, mendacium autem, ut cum veritate pugnans, semper & per se malum est atque peccatum.

2. Quia lege Dei cavetur ne mentiamur, jubemur autem loqui veritatem.

3. Quia qui loquitur veritatem, similis Deo sit: qui autem mentitur, Diabolo.

4. Quia veritas ad conservandam humanam societatem & amicitiam pertinet, mendacium autem ad eam evertendam.

5. Quia Deus diligit veritatem, odit autem mendacium.

6. Quia veritas pars est justitiae, mendacium autem injustitiae.

7. Quia mendacium semper alicui est perniciosum, veritas autem, suo loco & tempore prudenter pronunciata, semper utilis est.

8. Quia qui mentitur fidem sibi adimit, ne deinceps sibi vera etiam dicenti credatur, eóque autoritatem movendi, arguendi, docendi amittit. Qui autem veritatem semper loquitur, majorem sibi apud omnes conciliat autoritatem & fidem.

9. Quia denique *(ut Paulus ait)* sumus invicem membra, sub uno capite Christo, qui est veritas ipsa: alter igitur alterum fallere & decipere non debet: fallitur autem mendacio. Meritò igitur audiendus est Apostolus, qui ex Zach. 8. hortatur nos ad deponendum mendacium, *scil.* omne, & ut loquamur veritatem quisque cum proximo suo.

Plura ad ea, quae de mendacio diximus, non addam. Multas quaestiones proponit Augustinus in utroque libro ad Consentium, & de mendacio & contra mendacium: sed ad omnes ex iis, quae diximus, facilè potest responderi.

De Furto.

Qui furabatur, jam non furetur: magis autem laboret, operans quod bonum est manibus: ut habeat quod communicet cui opus est.

Tria

Tria praecipua facit Apostolus iis verbis. *Primum*, damnat furtum, tanquam rem pugnantem cum lege Dei & Naturae, ac proinde ab illo dehortatur filios Dei, tanquam illis indignissimo; & hoc dicendo: Qui furabatur non amplius furetur; haec est autem prima pars resipiscentiae, ut recedas à malo.

Deinde remedia ostendit, quibus per Dei gratiam vitium hoc furandi curare possimus: quorum primum est ne sinant se pii homines per ignaviam & otium opprimi à paupertate, ut non habeant unde vivant, sed honesto potius aliquo exercitio occupentur, eoque sibi victum aliáque necessaria comparent: & hoc dicendo, *μᾶλλον δε κοπιάτω ἐργαζόμενος τὸ ἀγαθὸν*. *Alterum* est, ne etiam quicquid lucrantur aut habent bonorum, illud per prodigalitatem profundant, sed frugaliter vivendo aliquid sibi & aliis ut boni patres familias in posterum reponant.

Tertium est, ut neque avarè omnia sibi retineant, sed, superata per charitatem avaritia, fratribus egentibus de suis bonis communicent. Utrumque hoc secundum & tertium illis verbis docet, *ἵνα ἔχῃ μεταδιδόναι τῷ χρείαν ἔχοντι*. Si enim debemus habere quod possimus egenis distribuere: non vult igitur omnia à nobis prodigaliter consumi: deinde etiam non vult omnia à nobis avare retineri.

Sunt haec tria apta ad evitandum furtum remedia: quia horum contrariis ad furandum adigimur, furtúmque fovetur. Atque haec est altera pars poenitentiae, ut, *scilicet*, faciamus bonum. Ergo ex consequenti tertio loco tres praecipuas furti causas indicat: *primò*, paupertatem cum ignavia & otio conjunctam: *secundo*, prodigalitaten, quam solet sequi paupertas. *Denique* & avaritiam, qua fit ut non contenti bonis nostris alienis etiam insidiemur.

Notandum verò est in verbis Apostoli postremis includi bonorum furto sublatorum restitutionem. Si enim de nostris communicandum est egenis: multo magis igitur aliena sunt restituenda; ideò de hoc etiam nonnihil dicendum erit.

Certum autem est Apostolum nomine *furti* hoc loco intellexisse omnem actionem, qua aliorum bona nobis, quo jure quave injuria, *hoc est*, iniquè usurpamus; quae duplex esse solet, *una* occulta per fraudes & dolos pérque clandestinas surreptiones; *altera* manifesta, per vim apertam: quarum prior propriè furtum, posterior rapina & violenta extorsio appellari solet. Caeterum quia vox *κλέπτειν*, qua utitur Apostolus, propriè ad priorem actionis speciem refertur (est enim *κλέπτειν*, si Grammaticis credendum est, quasi *καλύπτειν*, cùm, *scilicet*, quis occulta fraude, dolo & actione, aliena sibi usurpat bona aliisque erepta sua facit) hac de causa, omisso peculiari loco de rapina & violentis extorsionibus ac depopulationibus, quae propriae sunt potentiorum adversus impotentiores, locum duntaxat de furto explicandum suscepimus.

Haec autem octo capita discutienda nobis sunt.

1. *Quid sit furtum: ac proinde quinam fures dici possunt.*
2. *Quotuplex sit. Haec enim duo supponit Apostolus tanquam cognata, cùm ait*, Qui furabatur, non amplius furetur.
3. *An semper peccatum sit, & quàm grave.*
4. *Quot modis quis crimine furti teneri possit.*
5. *De causis furti.*

6.

6. *De restitutione rerum furto sublatarum, vel earum compensatione.*
7. *De remediis ad furtum porrò evitandum.*
8. *Ad extremum de usura nonnihil dicemus, quatenus licita sit & quatenus non sit. Videtur enim & ipsa species quaedam esse furti. Ad rem accedamus.*

I. *Quid sit furtum.*

Furti notationem variam esse lego apud Latinos. Varro voluit dici *furtum* quasi furtum, quod atrum apud veteres Romanos significabat: & ita appellari docuit, quod obscurè & clam, obscuráque & atra nocte, tanquam commodissimo tempore, admitti soleant furta. Alii à fraude, quod per fraudem fiant. Alii à ferendo, *id est*, auferendo. Alii à Graeco deducunt Φὼρ, quod furtum significat: & Φὼρ esse ἀπὸ τοῦ Φέρειν, ab auferendo: furto enim auferuntur aliena bona. De quibus Instit. lib. 4. Tit. 1. § 2.

Proprietas certè furti est, ut clanculum fiat, & bona auferantur occultè & tectè. Hoc etiam significat vox, qua utitur Apostolus, Κλέπτειν. Aiunt enim esse, (*ut supra dixi*) quasi καλύπτειν, abscondere, quod furari nihil aliud sit, quam tectè & in abscondito, ac praeter conscientiam Domini, bona ejus auferre.

Hebraica vox *Ganabh* idem ferè significat: quanquam ad alia etiam refertur, quàm ad furta. Est enim propriè *Ganabh* aliquid ita clanculum moliri aut auferre, ut conscientia ejus, cujus interest, fallatur. *Gen.* 31. Laban ait ad Jacob: Furatus es cor meum, & non indicasti mihi, & abduxisti filias meas. Furatus es cor meum, id est, me clam fefellisti, dum me inscio furtim te cum filiabus meis subduxisti.

Theologi Scholastici aiunt ad rationem furti tria pertinere: *primum*, ut quis rem alienam sibi usurpet, ideò rectè dicitur à ferendo, *id est*, ab auferendo aliena. *Alterum*, ut fiat non circa personam, *id est*, non tangat, quemadmodum fit adulterium & homicidium, sed circa rem possessam, eam, *scilicet*, auferendo. Et huc facit praedicta Etymologia. *Tertium est*, ut occultè ac clam pérque fraudem alienum occupetur. Atque huc competit, quod dicitur esse à furto, & a fraude vóx Graeca & Hebraica adstipulantur.

Hinc sic definitur à quibusdam: Furtum est occulta & fraudulenta rei alienae ablatio & usurpatio. Sic ferè Thomas.

Justinianus in Instit. lib. 4. Tit. 1. sic:

1. Furtum est contrectatio fraudulosa, lucrifaciendi gratia, vel ipsius rei, vel etiam usus ejus, possessionísve: & ait prohiberi lege Naturae. Nomine contrectationis ablationem quoque complexus est, quatenus nil potest auferri, quin contrectetur.

Sed praeter hanc aliae quoque furti species sunt, quae licèt non possint dici ablationes, contrectationis tamen nomine rectè significantur. Exemplum: Potest aliquis rem alienam, puta vestem, quam apud se vel nomine depositi vel pignoris loco habet, contrectare, *id est*, sibi usurpare, usúmve illius capere, ut suis vestibus parcat (id quod inter furta connumeratur) nec tamen vestem illam cuipiam aufert. Quia igitur generalior est vox contrectationis, quàm abla-

ablationis, Justinianus maluit furtum definire nomine contrectationis quàm ablationis.

2. Vocavit fraudulosam, quia hoc est essentiale in furto, ac ceu formalis differentia, & ad omnes furti species pertinet fraus. Nam si non adsit fraus, furtum propriè dici non potest: ita in omni sive ablatione, sive contrectatione, & usurpatione rei alienae, quae furtiva dici possit, semper inest fraus. Ideò fur non est, cui non est animus furandi.

3. Materiam furti in res alienas & in earum usum distinxit. Omnis enim fur aut res furatur & usum: aut res non usum, ut qui equum furto sublatum alii donat: Aut usum & non res, ut qui aliena veste vel equo, quem pignoris loco servat, ad suam utilitatem cum damno proximi utitur.

4. Finalem causam adjecit, dicendo, lucri causa. Haec est manifestissima. Nam quicunque furatur, hunc ferè sibi habet scopum & finem, lucrum. Dico ferè, quia fieri potest, ut quis etiam furetur tantùm ut noceat proximo, puta inimico suo, aut etiam alium ob finem: sed ferè lucrum & commodum finis est furum.

Hanc igitur Justiniani definitionem tanquam plenam & perfectam retineamus. Paulo post eam contrahit, ita ut etiam rapinae conveniat, cúm ablato nomine fraudis ait: Furtum esse contrectationem rei alienae invito Domino.

Nunc tenemus quid sit furtum, & ex consequenti quinam fures dicendi sint & furari.

II. *Quotuplex sit furtum?*

Justinianus *lib.* 4 *Tit.* 1. duo furtorum genera facit: manifestum & non manifestum; sed ad Judices haec distinctio pertinet. Nos Theologicum quaerimus. Quotuplex igitur sit definiri potest aut à variis rerum generibus, quae furto tolluntur: aut à variis modis, quibus talia admittuntur furta. Ad res quod attinet, illae sunt aut privatae, *id est*, alicujus hominis privati, aut publicae; & hae aut profanae aut sacrae. Ex hac partitione rerum tres furti species colliguntur.

Prima vocari solet Simplex furtum & Furtum simpliciter: cùm, *scilicet*, bona privati hominis intervertuntur & auferuntur seu contrectantur, inscio & invito Domino.

Altera Peculatus, cùm nimirum bona Reipub. vel Principis furtim auferimus, alienamus, nobis usurpamus.

Tertia appellatur Sacrilegium, cùm, *videlicet*, res Ecclesiasticae & quovis modo Deo consecratae furtim abripiuntur & fraude tolluntur aut contrectantur, inque nostrum usum convertuntur.

His additur *quarta*, quae *Plagium* nominatur: atque hoc committitur, cùm personae sub aliena potestate constitutae, sive liberi sive servi, per fraudem alienantur à Dominis ipsorum, & ad nostros usus atque obsequia abducuntur: de quo furti genere etiam 1. Tim. 1. & Exod. 21. ubi lex habetur, ne quis hominem furetur. *Plagium* autem vocatur, & qui hoc admittunt *Plagiarii*, quod tales fures lege Flavia plagis punirentur apud Romanos.

Atque hae sunt quatuor communes & omnibus notae furti species à rebus desumptae, quae & plecti solent, & pro furtis ab omnibus agnoscuntur.

Sed alia quoque sunt furtorum genera, quae quia à Magistratibus non puniuntur, idcirco à paucis etiam pro furtis agnoscuntur: cùm tamen coram Deo vera sint furta: sumuntùrque à variis modis, quibus admittuntur: qui quoniam observari omnes non possunt, sic neque horum furtorum species omnes recensere necesse est. Nam quot modi sunt defraudandi, circumveniendi & per imposturam ac dolos bona aliena ad nos pertrahendi, tot etiam furti species admitti dici possunt.

Non incongruè autem (*docendi & memoriae causa*) praecipui defraudandi modi revocari possunt ad haec capita: ad substantiam, ad quantitatem, ad qualitatem, ad relativa, ad tempus, ad locum. Ex iis enim omnibus rationes defraudandi peti possunt & in singulis furtum admitti.

In substantia: ut si quis mihi debeat sed ignorem, ille verò debitum non fateatur eóque nec solvat, furtum est in tota substantia, quia non datur quod debetur, sed per fraudulentum silentium retinetur. Hac ratione furantur nonnunquam pupillis tutores, principibus administri & quaestores, famuli dominis, & alii aliis.

In quantitate: ut cùm non totum das quod debes, sed per fraudem aliquid retines, furtum est in quantitate, vel discreta vel continua. Sic furantur plerumque institores & mercatores, qui mensuras, quibus merces vendunt, falsas, *id est*, minores habent: Operarii quoque, qui non tantum operae tibi praestant, puta in agro colendo, quantum debent, integrum tamen pretium volunt & accipiunt.

In qualitate verò, ut si malum pro bono vendas, adulterinas & corruptas merces pro sinceris, vinum aqua mixtum pro mero, argentum pro auro, plumbum pro argento: furtum est in qualitate; atque hoc furti genus, sicut & superius in quantitate, frequentissimum est inter mercatores & institores. Sic omnes operarii & famuli, qui non bona fide serviunt, & bonam tamen mercedem accipiunt, furantur.

In relativis etiam (docendi causa sic liceat distinguere & loqui) furtum admittitur hoc modo: ut si quod debes patri, à quo nosti tibi nihil de debito remissum iri, illud ideo des filio prodigo, quià aliquid tibi remittit: furatus es patri hac fraude in mutatione personarum. Idem dico de dominis & servis, de viro & uxore, de aliis similibus.

In tempore quoque & loco fraus admittitur, eóque furtum: ut si non des quando & ubi debes, cum meo damno, tuo autem commodo, ídque per fraudem, vel dissimulando vel mentiendo te non potuisse tunc vel ibi solvere, furtum est: & fraus ista ratióque furandi ex tempore & loco sumpta est. Ita apparet juxta varias circumstantias varias admitti fraudes, eóque varias furti species.

His addo juxta hosce modos admitti furta non solum in rebus politicis, bonísque ad corpus pertinentibus, verùm etiam in religione, bonísque ad animum spectantibus. Nam Christus falsos etiam Prophetas & Doctores, qui non intrant per ostium, sed aliunde, *id est*, per posticum introeunt in ovile, vocat fures & latrones.

Primum igitur, qui bona veris Episcopis & Ministris destinata accipiunt, nec tamen officium faciunt ministrorum, furantur. Qui minus laborant in verbo, quam debent: qui malam doctrinam pro bona proponunt: qui sub praetextu longae precationis domos viduarum comedunt: ad summam, qui bona Ecclesiae iniquè possident & per fraudes ad se convertunt: omnes ii furtum admittunt, imò sacrilegium.

Sed secundo loco fures sunt pestilentiores illi, qui animos populorum suis imposturis & haeresibus furantur Deo, & tradunt Diabolo. Verùm de hoc furti genere non loquitur Apostolus. Nunc igitur tenemus & quid & quotuplex sit furtum.

III. *An omne furtum semper sit peccatum, & quàm grave sit?*

Furtum omne peccatum est, & quidem per se grave, quanquam aliud alio gravius esse potest. Pugnat enim cum lege naturae,. ut ait Justinianus, cum jure gentium, cum lege divina: ac proinde ubique etiam punitur. *Zach.* 5. Omnis fur judicabitur. 1. *Corinth.* 6. Fures regnum Dei non possidebunt.

Ac duo sunt in omni furto, quae omnino peccata sunt: *unum*, quià quod alienum est tibi usurpas: hoc verò pugnat cum justitia, *quae unicuique dat quod suum est.* Proinde peccatum hoc non dimittitur sine restitutione, ut leges omnes mandant. Unde Zachaeus: Si quem defraudavi, reddo quadruplum. *Luc.* 19.

Deinde in furto est fraus, quae per se peccatum est: pugnat enim cum veritate & fide, qua inter homines vivere & versari debemus. Unde illud, Inter bonos bene agier oportet & sine defraudatione.

Objiciuntur quaedam.

Primum, furtum Israelitarum, qui spoliarunt Ægyptios per fraudem.

Resp. duplex, *prima:* Quidam concedunt fuisse sua natura furtum, quia aliena surripuerunt & per fraudem: sed non fuisse peccatum, quia Deus jussit: sicut de immolando etiam Isaaco ad Abraham, & de ducendo scorto filiisque ex scortatione suscipiendis ad Hosaeam intelligunt.

Secunda: non fuisse furtum, quia rem non alienam sed suam pro molestiis & poenis iniquè perlatis sibi debitam acceperunt: idque non per fraudem, sed ex judicis Dei sententia modoque praescripto. Unde Textus ait, *Et fecerunt sicut praeceperat Deus.* Sap. autem cap. 10. sic legimus, *& Justi tulerunt spolia impiorum.* Item, *& reddidit Justis mercedem laborum suorum.* Sic etiam Thom. 22. *q.* 66. *ar.* 5. exemplum affert judicis, qui mandat innocenti, ut eat & accipiat bona sibi debita: idque clanculum, vel hoc vel illo modo.

2. *Proverb.* 6. *Non est grandis culpa, cùm quis furatus fuerit. Furatur enim ut esurientem impleat animam.*

Respondeo *primò:* Comparativè loquitur. Gravius enim est adulterari, quàm furari. Ideo subdit, *qui autem adulter est, propter cordis inopiam, perdit animam suam, &c.* Ecclesiasti. *Potior est fur, quàm qui assiduè mentitur*, id est, minus peccat.

Secundo: Alii de furto propter extremam necessitatem admisso, quia ait, *furatur enim ut esurientem impleat animam*, non autem lucri causa. Talis autem necessitas efficit, ne sit peccatum: quia in hujuscemodi casu omnia sunt communia. Etiam Apostoli ibant per alienos agros, vellebant spicas & edebant, cùm fame premerentur. Prior tamen interpretatio est genuina illius loci, Prov. 6.

3. Objicitur exemplum etiam Josebae, ex 2. Reg. 11. quae, cùm vidisset Athaliam propter mortem filii sui Ochosiae interficere totum regium semen, furata dicitur fuisse Joas filium Regis demortui, illúmque abscondisse apud summum Sacerdotem in templo &c. Furtum fuit (*inquiunt*). Quis tamen illud dicat fuisse peccatum?

Legitur quoque non dissimile factum Abdiae dispensatoris domus Achabi. Ille enim Prophetas centum clanculum abscondit à facie Jesabel, & pavit in spelunca.

Respondeo. Nego vera fuisse furta de quibus loquimur, & verbum illud *Ganabh.* in 2. Reg. 11. nil aliud ibi significat, quàm clanculum eripuisse Joas è periculo mortis & tyrannidis Athaliae matris suae, eúmque servasse in templo. Opus fuit caritatis, non autem furtum propriè dictum. Eandem ibi habet significationem *Ganabh* quam & 2. Sam. 19. ubi Hebraicè legimus: *Et furatus est se populus in die illo, ingrediendo civitatem, &c.* id est, clam se subduxit.

His responsionibus quicquid è sacris literis adferri potest, quasi pugnans cum doctrina Apostoli, facilè dissolvitur.

Hoc modo respondetur etiam illis, qui interrogant num furtum admittat uxor, quae cùm maritum habeat deglubatorem bonorum omnium in popinis, cum scortis & ludis, aliquid clanculum seponit ad liberorum sustentationem: vel quae furioso marito abscondit gladium.

Respondeo: Non; quia hoc opus est charitatis, non in damnum mariti, sed in salutem & ipsius & liberorum totiúsque familiae: neque hîc est animus defraudandi sed benefaciendi. Quare dubitandum non est, quin omne furtum, si verè furtum esse convincatur, peccatum sit, & quidem tale peccatum, quod à regno Dei excludat, nisi resipiscas: *quia* (ut Apostolus ait) *fures regnum Dei non possidebunt*: sicut neque increduli, aut adulteri, aut idololatrae. 1. Cor. 6.

IV. *Quot modis quis furti teneri possit.*

Justinianus loco antè ex Institutionibus citato duos statuit modos, quibus quis furti teneri possit: nempe *Consilium & Opem*: hoc est, vel consilium solum, vel opem solam, vel opem & consilium simul, §. *interdum.*

Interdum quoque furti tenetur, qui ipse furtum non fecit: qualis est is, cujus ope & consilio furtum factum est. Sic ille.

Sed nos qui quaerimus, non qui in judicio humano, sed quinam etiam in judicio divino furti teneantur, sub nomine *Consilii*, quod concipitur animo & verbis datur, complectimur omnem consensionem, adhortationem, mandatum, voluntariam etiam permissionem, furti facti approbationem, laudationem, occul-

occultationem. Nomine autem *Opis* intelligimus omnem cooperationem & participationem.

Furti ergò tenetur coram Deo, qui consilium dat ut furtum admittatur: aut vias & modos, quibus commodi fieri queat furtum, docet: qui item ad hoc hortatur: graviùs etiam qui mandat & praecipit, ut fiat: imò isti graviùs peccant, quàm qui furtum reipsa admittunt. Illi item qui furtum admissum approbant, & laudant furum prudentiam seu furandi dexteritatem, ut Lacedaemonii. Nec non qui & furtum & fures occultant, Magistratuíque eos quaerenti falso negant se vidisse, &c. Imò illi etiam crimine furti non liberantur, qui cùm possint illud impedire, recusant & nolunt. Quid enim haec omnia aliud concludunt, quàm eos, qui ita aut dissimulant aut loquuntur, in furta consentire?

Non solùm autem peccant qui faciunt, sed etiam qui consentiunt facientibus. Haec omnia sub voce *Consilii.*

Sub nomine autem *Opis* continetur omnis cooperatio, quaecunque illa sit, si fit voluntaria. Quicunque igitur sciens & volens operam aliquam praestat furi ad furandum, aut qui eum tuetur, furti reus est, & verus fur. Cúm ergò Apostolus ait, *Qui furabatur non jam amplius furetur*: intelligit, ut non solum nos ipsi re ipsa aliena bona non furemur, sed neque cum furibus ulla ratione consentiamus furtíque eorum participes fiamus. Ac de Quarto satis.

V. *De causis furti.*

Causae furti, ex contextu Apostoli collectae & explicatae, sunt tres. Una est, *Paupertas cum ignavia & otio conjuncta:* secunda, *Prodigalitas*: tertia, *Avaritia.* Non ignoro causam quidem generalem & primam esse cordis malitiam & impietatem: quia Christus ait de corde exire etiam furta, Matth. 15. Sed hîc quaerimus speciales causas, quibus homines ad furandum adducuntur.

De paupertate dixit Salomon, *Mendicitatem & divitias ne dederis mihi: sed tribue tantùm victui meo necessaria.* Prov. 30. 9. Cur detrectat mendicitatem? *Ne egestate* (inquit) *compulsus furer & perjurem nomen Dei mei.*

De otio & ignavia paupertati annexa, & undè paupertas oritur & fovetur, idem ait, Prov. 10. *Manus remissa parit egestatem.* Hoc itaque non ignorans Apostolus jussit unumquemque laborare & operari manibus suis. Quidnam verò? Quod bonum est, honestum nimirum & utile.

De prodigalitate idem manifestum est: quia haec parit egestatem & homines ad extremam redigit inopiam, ut exemplum prodigi filii in Evangelio luculenter docet. Si igitur egestas causa est furti, ut ostensum est; ipsa quoque prodigalitas causa furti sit necesse est. Quotidiana etiam confirmant.

De avaritia quid dicam? Non aliundè adducuntur divites ad furta, ad defraudationem, ad oppressiones pauperum, ad rapinas, ad depopulationem, quàm ab avaritia. De hac Apostolus 1. Tim. 6. *Qui volunt divites fieri, incidunt in laqueos & in tentationes Diaboli.* Inter alios laqueos etiam studium furandi, &

& quo jure quáve injuria omnia ad se rapiendi. Si quis igitur effectum vitare velit, causas tollat oportet.

VI. *De restitutione rerum furto sublatarum, vel earum compensatione.*

Venio ad sextúm, *de Restitutione.* Dixi Apostolum, dum ad veram resipiscentiam à furto exigit, ut qui furabatur non solùm non ampliùs furetur, verùm etiam de suis bonis communicet fratribus penuriam patientibus: multò magis postulare, ut, quae furto ablata sunt, restituat illa Domino, cujus erant bona: vel si bona illa non habet, aliis aliàque ratione compenset.

Hanc igitur necessariam esse dicimus restitutionem ac compensationem: *quoniam* (ut aiunt Canones) *non remittitur peccatum, nisi restituatur malè ablatum.*

Docent hoc non solùm Ecclesiastici Canones, sed lex Dei, & praeterea leges piorum Imperatorum, in Cod. & in Institutionibus. Exod. 22. *Si quis furatus fuerit bovem aut ovem, & occiderit vel vendiderit: quinque boves pro uno restituet, & quatuor oves pro una ove.* Haec lex alibi repetitur saepiùs. Et Zachaeus in Evangelio in testimonium suae verae resipiscentiae dixit Christo: Ac si quem defraudavi, reddo quadruplum. Et cuinam reddebat? Ei quem defraudaverat. Alteram quoque partem, quam Apostolus docet, nempe ut de bonis nostris communicemus pauperibus, praestitit Zachaeus, ideò dixit: Ecce dimidium bonorum meorum do pauperibus. Ergo manifesta est lex Dei de restitutione bonorum furto sublatorum illi facienda, cujus erant bona.

Quid verò, si non habeat unde reddat?

Lex Dei Exod. 22. jubebat, ut venderetur fur, nempe ut inde aliqua compensatio fieri posset. Legalis fuit poena: sed inde colligitur quod aequissimum est, nempe ut aliqua ratione compensentur quae furto sublata sunt.

Hanc autem restitutionem sive compensationem juris esse naturalis, inde liquet, quia etiam Gentiles hanc requirebant, nempe ut restitutio fieret, vel dupla vel quadrupla. Legatur *Justin.* Instit. lib. 4. Tit. 1. Et C. lib. 6. Tit. 2. de furtis & servo fugitivo: per aliquot leges declaratur haec quaestio.

Summa: Ad veram poenitentiam restitutio necessaria est: quantum autem ampliùs praeter rem furtivam reddendum sit, hoc ad poenam pertinebat, atque hoc variè fuit definitum, etiam lege Dei: aliquando duplum reddi jubebatur, aliquando quadruplum, aliquando septuplum. Ut Proverb. 6. Legatur Exod. 22. & alibi.

VII. *De remediis ad furtum porrò evitandum.*

Post resipiscentiam & restitutionem rei furtivae factam danda opera est, ne relabamur ad furta facienda: ut verò haec furta evitentur quaerenda sunt remedia. Remedia autem haec opponuntur causis ad furtum faciendum impellentibus, de quibus initio hujus tractationis. *Contraria enim contrariis curantur.* Sunt autem haec.

1. *Ut quisque laboret ut habeat unde vivat, & aliis quoque dare possit.*

2.

2. *Ne bona sua prodigalitate consumat.*
3. *Adversus avaritiam oremus Deum, ut eam eradicet, ac renitamur affectui huic, & exerceamus nos in liberalilate.*

Anabaptistae censent optimum fore remedium contra furtum, si omnia sint communia, nihil cuique proprium. Sed hoc dogma ab aliis satis est refutatum.

VIII. *De usura, an sit species furti, nec ne; eoque ea sit licita vel illicita?*

Quae faciliora mihi visa sunt de furto, ea breviter explicavi: de usura quaestio ad secundum cap. videbatur pertinere; sed quia difficilior est reliquis, & longiorem postulat explicationem; idcircò eam ad extremum retulimus, explicandámque suscepimus.

Quaestio haec per se quidem difficilis est, sed difficiliorem reddiderunt eam tot támque varii Interpretes, qui de ea disseruerunt, Theologi tum veteres tum medii, & Scholastici, cum postremi ut nostri, Jurisperiti item & veteres & nostri temporis. *Pand. Tit.* 1. *lib.* 22. *Tit.* 1. *C. lib.* 4. *Tit.* 32. *&. lib.* 5. *Tit.* 56. *de usuris pupillaribus. In Auth. Coll.* 9. *Tit.* 11. *de usuris Nauticis.* Denique Canonistae in Decreto, *C.* 14. *q.* 3. 4. 5. *Extra lib.* 5. *Tit.* 19.

Praeter alios nostri temporis Jurisperitos scripsit ingens volumen Carol. Molinaeus. Inter Theologos nostri temporis omnium (*meo judicio*) doctissimè & religiosissimè scripsit Bucerus in Psal. 15. & in opusculis Anglicanis. Ego omissis multis disputationibus breviter quid de hac re sentiam 5. capitibus explicabo.

1. *Quid sit usura.*
2. *Quotuplex.*
3. *Quaenam sit illicita, & quae licita, ac quatenus.*
4. *An liceat pacisci de aliqua certáque summa lucri cum eo, qui accipit mutuum.*
5. *Quantum debeat esse illa summa.* Hinc facilè ad omnia argumenta in contrarium respondebitur. Ac *primum* de nomine dicam, quia inde definitio nascitur.

I. *Quid sit usura.*

Usura Latinis ab utendo est, & apud Ciceronem duplex est hujus vocis significatio: Aliquando imò saepissimè & propriè pro usu cujusvis rei capitur, ut usura lucis (*usuram lucis capere, pro Rabirio*) usura temporis (*usuram unius horae alicui dare ad vivendum, in Catil.)* Hoc sensu dare pecuniam ad usuram officium est charitatis, quia datur ad usum & commodum ejus, cui datur mutua. *Secundo:* Aliquando pro ea capitur pecunia, quae in foenore sorti accedit. Ut in Verrem, & alibi. In qua significatione nos accipimus in praesenti. Quicquid ergo propter pecuniae usum alteri concessum accipitur usuram vocabant Latini: ut usura sit (*ut quidam volunt*) quasi usus aeris, quia ex usu aeris accipitur & nascitur. Qui usus ex aere non semper malus est: sed & bonus & malus esse potest, ut multis locis ex probatis authoribus demonstrari potest. Quic-

Quicquid igitur ultra sortem numeratam accipiebatur usuram vocabant: id quod fieri poterat aut justè aut iniquè. Interim tamen usus jam obtinuit, ut nomen usurae in malam tantùm partem accipiatur: praeter usum certè linguae Latinae.

Quod Latini juxta alteram significationem, modo ex Cicerone expressam, vocant usuram, Graecis vocatur τόκος, partus: unde & Latina vox, *foenus*, quasi foetus: quòd foenus nascatur ex sorte: id quod & legitimè & illegitimè fieri potest: quemadmodum etiam filii alii illegitimi alii legitimi nascuntur. Si enim ex sorte, quam quis accepit, factum est magnum lucrum: hujus lucri pars jure datur autori sortis: ita foetus est legitimus, sicut illegitimus est.

Ergo vox etiam Graeca, τόκος, sicut & Latina, *Usura*, in bonam & in malam partem accipi potest, quanquam Aristoteles noster in malam partem semper accipit, ut in Ethicis lib. 5. Et Polit. lib. 1. cap 7. ubi scribit rem esse iniquissimam & contra naturam, quod nummum nummus pariat. Quo loco non rectè intellecto abutuntur illi, qui omnem prorsus usuram damnant: sed nil contra nos facit, ut videbimus.

Hebraeis sunt duae voces: una est *Neschek*, morsus, quo, *scilicet*, mordetur, *id est* damno afficitur ille, qui mutuam accepit pecuniam, dum, scilicet, *verbi gratia*, pro centum cogitur reddere centum, & praeter hos aliquid ampliùs, sive parum sive multum. Quicquid igitur cum damno ejus, qui accipit mutuam pecuniam, ab eo praeter sortem exigitur & capitur, illud *Neschek* est, *id est* morsus, quasi serpentis seu aspidis. Unde Chrysost. in Matth. c. 5. talem usuram vocat rectè morsum aspidis venenatum. Contra igitur quod non cum damno debitoris accipitur, puta si accipiatur pars lucri illius, quod ex accepta tua pecunia fecit, illud nequaquam *Neschek* vocari potest: quia pecunia tua malum & damnum illi non attulit, sed lucrum: ac proinde non infertur proximo morsus detractione partis è lucro per Dei benignitatem facto. Tantùm enim particeps fit creditor illius divinae benignitatis. Scriptura autem passim mandat, ne morsus inferatur proximo tuo. Quare *Neschek* semper apud Mosen & Prophetas in malam partem accipitur, & peccatum est gravissimum.

Altera vox est *Taiebith*, *à Jabah*, quod est crescere, augere. Vocem hanc habemus Levit. 25. & Num. 32. Significatur autem hac voce usura sese multiplicans, cùm, *scilicet*, usura (*nempe iniqua*) non persoluta novam parit usuram: quam certè damnat lex Dei. Lev. 25. vers. 36. ubi utramque vocem conjungit, *Neschek* & *Thaiebith*,, & utramque damnat, cavétque ne fiat. Quare neque haec vox in sacris literis in bonam partem accipi potest. Atque illam primam usuram, quae *Neschek* dicitur, vocant Jurisperiti nostri usuram simplicem: alteram usuram usurarum, cùm, *scilicet*, usura non exacta parit novam usuram. Et Graeci vocant ἀνατοκισμόν: quasi dicat repetitam usuram.

Ex iis, quae diximus de vocibus, facilè intelligitur & quid sit usura ac quotuplex, & an omnibus sit prohibita, & illicita nec ne sit: sed videamus de definitione.

Duplex (*ut brevitati studeamus*) adferri solet: una in genere, altera specialis.

Primùm, *Usura est lucrum, quod supra sortem mutuò datam, accipitur.*

Definitio

Definitio haec latè patet, & tam lucro, quod legitimè accipitur, quàm ei, quod illegitimè, convenit. Quid enim si qui sortem à me accepit 100. flor., ex qua sorte magnum fecit lucrum, puta 50., sponte & ex animi gratitudine ac liberalitate unà cum sorte det aliquid, *verbi gratia*, sex flor. ex lucro facto? Num, si accepero, hoc fuerit malè & illegitimè acceptum? Nequaquam: potest enim quisque facere de suo quod vult. Erit igitur lucrum supra sortem acceptum, nec tamen fuerit usura damnata lege Dei, quae *Neschek* tantùm damnat.

Rursum potest quis hoc lucrum supra sortem accipere cum injuria & damno ejus, qui sortem accipit. Itaque haec definitio omne genus usurarum complectitur, & licitum & illicitum.

Altera definitio videtur restringi ad usuram lege Dei damnatam: quae haec est, *Usura est lucrum supra sortem exactum, tantùm propter officium mutuationis.*

Vox *Exactum* includit pactum aut tacitum aut expressum: & contra excludit debitoris voluntariam & spontaneam renumerationem. Sed adhuc tamen non concludit haec particula tale lucrum esse illicitum.

Potest enim, qui dat sortem mutuò alicui mercatori, cum illo legitimè pacisci conditione legitima, nempe ut, si ex hac pecunia per Dei benedictionem magnum faciat lucrum, se quoque faciat participem, cùm hoc fieri possit sine illius damno: & cum vicissim sese privet sua pecunia, ídque cum suo incommodo & periculo totius sortis, ut illi commodaret. Quid igitur si postea suo tempore lucrum exigat? Num exactio illa iniqua fuerit? Non: quia pactum fuit factum liberè, sine fraude & sine ullius injuria. Ergo exactio quoque non potest esse iniqua. Quare nomen illud *Exactum* differentia specifica iniquae usurae esse non potest. Adjecit igitur Phil. Mel. differentiam, dicendo: *Tantùm propter officium mutuationis.*

Particula haec meliùs distinguit iniquam usuram à non iniqua: quia illa non respicit lucrum ex mutuata pecunia factum, sed tantùm officium mutuationis: ita ut debitor, sive lucrum fecerit sive non fecerit, teneatur propter hoc duntaxat, quod accipit mutuò pecuniam, dare aliquid creditori ultra sortem. Hoc verò iniquissimum est.

Altera verò non hoc officium respicit, neque pro causa illud adfert, sed aequitatem spectat, *id est*, aequam lucri participationem, propter interesse, ut vocant, quod passus est creditor: & contra propter lucrum, quod ex hujus pecunia facit debitor. Ergo particula haec meliùs explicat differentiam: & quae sit usura mala & illicita. Neque enim vult Christus, ut propter officium mutuatonis quippiam vel exigamus, vel etiam speremus: cum dixit, Mutuum date nihil inde sperantes: *Luc.* 6. Ergo particula haec, *tantùm propter officium mutuationis*, conjuncta cum voce, *exactum*, non malè perficit verae & iniquae usurae definitionem.

Caeterum mihi nondum videtur explicata esse illa propria differentia, quam scriptura indicat voce *Neschek*, qua significatur, ut dixi, morsus, *id est*, damnum. Sic ergo meliùs videtur definiri posse usura illa, quam vetat Deus sua lege, si sic definitionem componamus:

Usura lege Dei damnata est lucrum, quod supra sortem cum damno debitoris propter mutuam pecuniam exigitur aut accipitur.

Parti-

Particulam hanc, *cum damno debitoris*, addendam esse in definitione manifestissimè docent sacrae literae, quae, ubi de hac usura loquuntur in veteri Testamento, semper utuntur voce *Neschek*, quae, ut dixi, morsum, *id est*, damnum quod infertur debitori, significat. Legantur loca, Exod. 22. Lev. 25. Deuter. 23. Nisi enim addatur haec particula, *cum damno*, non exprimitur vis vocis divinae. Ac nisi frater afficiatur damno, lucrum quod accipis à fratre, cui pecuniam mutuam dedisti, non poterit dici *Neschek*, eóque usura non erit illa, quam Deus damnat. Et ratio in promtu est, quia regula actionum omnium nostrarum cum proximo est caritas. Unde Paulus, *qui diligit proximum, legem implevit. Et plenitudo legis est dilectio, Rom.* 13. Quicquid igitur pugnat cum caritate, illud malum est & peccatum: si verò non pugnet, actio tua cum illo peccatum non fuerit. Pugnat autem, si damnum ei inferas, ac proinde si lucrum ab eo accipias cum ejus detrimento: non pugnat verò, si nullo eum damno afficias nullave injuria. Quae autem injuria est & quod damnum, si benedictionis divinae, quam ex tua pecunia accepit, particeps fias: ídque ex mutuo consensu bonáque illius gratia? Ergo rectè non definitur usura damnata lege Dei, nisi particula haec addatur, *cum damno debitoris, &c.*

Dixi verò, *quod exigitur aut accipitur:* quia saepè, etiamsi non exigatur, accipitur tamen, cum debitor nolit quidpiam contra conventionem factam retinere.

Retinenda igitur est haec definitio: quia haec reliqua omnia reddit facilia: & ut Aristoteles benè dixit, *principium hoc*, id est, *vera* & *plena definitio est plus quam dimidium totius:* Et, *Dimidium facti qui benè coepit* (id est, benè definivit) *habet.*

2. *Quotuplex sit usura.*

Nunc igitur facilè est videre quotuplex sit usura. Infinitas penè partitiones Jurisperitorum omitto, & cum Bucero usuram distinguo *primum* in usuram non mordentem & in usuram mordentem. Si enim datur mordens, datur & non mordens. Quid sit mordens jam definitum & declaratum est. Quid autem sit non mordens liquet à contrario, ablata, *scilicet*, propria mordentis differentia, quae est, *cum damno debitoris.*

Usura igitur non mordens erit lucrum, id est, *pars lucri, quae supra sortem, sine damno debitoris, ex lucro tua mutuata pecunia facto à creditore percipitur.* Sed hac omissa resumamus priorem.

Rursus ergo usuram mordentem dividimus in usuram simplicem & in conjunctam, seu in usuram sese multiplicantem: quarum illa *Neschek* altera *Thaiebith* à Mose vocatur. A Jurisperitis prima simplex usura, secunda conjuncta & usura usurarum appellatur.

Rursus simplicem illam dividunt Jurisperiti in Terrestrem & in Nauticam: & Terrestrem denuò in multas species. Sed hae subdistinctiones nihil ad rem nostram: qui tantum quaerimus: An omnis usura sit illicita, eoque species furti nec ne sit? Ergo illa duplici partitione contenti esse debemus in hoc argumento tractando.

3. *Quaenam usura sit licita & illicita, ac quatenus.*

Nunc facilè expeditur tertium caput in quo principalis status hujus causae consistit.

Thesis igitur haec esto.

Usura, id est, *lucrum quod ultra sortem cum damno debitoris accipitur, illicita est: quae autem sine damno, licita.*

De primo membro hujus θέσεως nulla est controversia.

1. Manifesta enim est lex Dei, Exod. 22. ver. 25. *Si pecuniam dederis mutuam populo meo pauperi ipsi, qui est tecum, ne esto ei tanquam foenerator, nec imponas ei Neschek.* Quae lex repetitur Levit. 25. ver. 36. & 37. Item Déut. 23. v. 19. & 20.

2. Ac passim Prophetae damnant eos, qui dant ad usuram: & contra *eos justos esse & habitaturos in domo Domini & in monte sancto ejus praedicant, qui non dederunt ad usuram.*

3. Manifestè certè pugnat cum charitate & cum lege Naturae à Christo confirmata: *Quaecunque vultis ut faciant vobis homines, & vos facite illis.*

4. Pertinent huc omnes & Ethnicorum & piorum Imperatorum leges, quibus cavetur ne similes usurae exerceantur.

5. Item quae Philosophi, ut Aristoteles, adversus usuram scripta reliquerunt: quod nil sit iniquius tali foenore. Est igitur extra controversiam lege Dei & naturae talem usuram damnari & iniquissimam esse.

Sed alterum membrum nostrae θέσεως non omnibus probatur. Quidam enim sentiunt, etiamsi non cedat in damnum fratri, tamen per se esse iniquam omnem usuram & lege Dei damnari, quae simpliciter dicit: Non dabis ad usuram, &c. Alii sentiunt, quod dat debitor propter sortem, id non dari sine ejus damno: quia de lucro per eum facto accipitur, eíque detrahitur: qua in re falluntur, cùm nihil det debitor de suo, sed quod alteri jure aequitatis debetur & gratitudinis.

Restat igitur, ut alterum membrum rationibus confirmemus petitis è sacris literis & à lege Naturae.

Ratio 1. Non prohibetur lege Dei neque Naturae. Lex enim Dei *Neschek* tantum damnat & *Thaiebith*, Lex etiam Naturae hoc duntaxat vetat, ne, *scilicet*, faciamus aliis, quod nobis nollemus fieri, *id est*, ne noceamus proximo. Ergo quod sine damno proximi accipitur, illud non prohibetur. Quae usura sine *Neschek* licita est à contrario.

2. Quae fit cum damno proximi prohibetur. Ergo quae sine ejus fit detrimento non damnatur. Quis autem dicat illum accipere damnum ex mea pecunia sibi mutuata, si lucri, quod ex mea fecit pecunia, participem faciat? Quod enim fecit lucri, id fecit non tam sua industria, quàm beneficio pecuniae meae, Deo utrique benedicente.

3. Ab aequitate: Æquum est ut, qui cum suo commodo & periculo rerum suarum alterum sua pecunia juvit, is vicissim ab altero juvetur: si hoc prae-

praesertim sine alterius damno fieri possit. Est autem certum participatione lucri ex sorte juvari eum, qui sortem dedit, ídque sine damno alterius, qui ex sorte lucrum fecit.

4. A simili. Sicut particeps est mali facti, puta furti, qui opem ad illud faciendum attulit: Sic benefacti esse debet, qui ope juvit. Ad lucrum autem faciendum maximè juvit sua pecunia creditor sortis: Ergo &c.

5. A charitate. Quae postulat charitas, ea licita sunt: Est enim charitas finis legis 1. *Tim.* 1. Atqui Christus postulat, ut qui ex mea pecunia magnum fecit lucrum, is ejus lucri me faciat participem. Sum enim ei hac in parte prae aliis proximus. Partem igitur ejus lucri accipere mihi non prohibetur.

6. Cum hoc argumento conjunge regulam Christi ad hoc propositum pertinentem, *Quaecunque ergo vultis ut faciant vobis homines, & vos eadem facite illis.* Matt. 7. Quis autem est, qui nolit (*& quidem non sine recto judicio*) ejus lucri particeps fieri, quod ex suae pecuniae communicatione factum est, cum hoc sine damno debitoris fieri possit? Tenetur ergo lege naturae & caritatis, qui ex mea pecunia lucrum fecit non parvum, me ejus lucri facere participem. Ac proinde & mihi licet accipere, atque etiam petere.

7. Subscribunt huic doctrinae quàm plurimi viri, tùm eruditione tum pietate clarissimi, quos singulos nominare ac recensere non est necesse.

8. Dixi de Bucero & Calvino, Theologis praeclarissimis, à quibus non dissensit Petrus Martyr, ut de aliis propè infinitis taceam.

9. Pertinent huc leges hac de re aequissimae piorum Imperatorum, *in C. de usuris*, qui etiam statuerunt, quantum supra sortem accipere liceat.

10. Accedit usus ac consuetudo in Ecclesiis etiam reformatis confirmata. Nullo itaque modo dubito, quin talis usura licita sit; ac Car. Molinaeus Jurisconsultus clarissimus, & qui veram pietatem professus est, idem concludit in magno volumine, quod de usuris conscripsit.

IV. *An liceat pacisci de lucro, &c.*

Sed quaestio restat, an liceat de certa aliqua summa cum eo, qui sortem accipit, pacisci? nam plerisque videtur non esse iniquum, ut, qui pecuniam dedit mutuam, particeps fiat lucri, quod ex ea factum est; sed an liceat de certa quantitate pacisci dubitant.

Respondemus igitur hoc omnino licere: sed adhibita semper conditione vel expressa vel tacita, atque in mente pii creditoris confirmata: nempe, ut si certo compereris, cui tuam dedisti pecuniam, eum vel parum vel nihil lucri fecisse, ídque non sua culpa aut negligentia, sed propter res adversas, & quia Dominus noluit ejus laboribus benedicere: tu quoque vel nihil vel minùs, quàm erat in pactis, accipias. Nam alioqui lucrum, quod accipias, fuerit fraudi ipsi debitori, & non sine ejus damno acceperis: ac proinde non fuerit ampliùs talis usura, qualem definivimus ac licitam esse defendimus, sed fuerit *Neschek*. Imò hoc animo esse debes, ô creditor, ut si debitor non solùm non fecit lucrum, sed etiam accepit damnum, tu quoque damni aliquid cum illo patiaris: hoc enim postulat aequitas & caritas.

Sic

Sic etiam Bucerus in Psalm. 15. postquam conclusit neminem esse tam ignarum, qui ex 100 non possit tantùm lucrari, ut creditori possit saltem dare quinque, si adsit Dei benedictio, subdit: *Jam quod utrinque* (inquit) *rectè fieri potest, haud indignum bono viro fuerit ab altero stipulari: modo suus τῇ ἐπιεικείᾳ omnium legum atque contractuum moderatrici servetur locus: nullae alioqui leges, nullae vivendi rationes tam juste excogitari possunt, quantum quidem ad externa illa hominum negotia attinet, à quibus non saepè aliquid remittendum sit Christiano, cujus est omnibus prodesse.* Haec ille. Et paulò post: *Christiano homini usuras pacisci licebit, dum animus modo sit illas numquam cum proximorum injuria exigere, aut etiam ultro oblatas recipere.* Haec ille.

Ab hac sententia non discedo: quia aequissima mihi videtur, & cum caritate Christiana consentanea.

V. *Quanta debeat esse pacti lucri summa.*

Quanta verò esse debeat illa summa, de qua pacisci licet, sic, praeter ea quae dicta sunt, sentio: servandas esse leges & honestas Regionum consuetudines. Justin., *in C. Ad summam*, permisit nobilibus accipere 4. de centum: Vulgo sex: Mercatoribus octo: In Trajectitiis in singulos menses unum.

Ad consuetudines quod attinet, eas esse varias non ignoro. In Imperio receptum est ubique, ut 4. & 5. pro 100. accipiantur in singulos annos: Genevae Magistratus ipse plus dat. In Helvetia itidem non una & eadem ubique est ratio. Inter Mercatores Justiniani adhuc permissio servatur, ut 8. dentur pro 100. & sic cum Mercatoribus transigatur.

Caeterùm in toto hoc negotio de usuris multae circumstantiae sunt attendendae & piis conscientiis considerandae.

1. Primum, quibusnam liceat dare pecunias ad foenus.

Respondeo: Omnibus, sed inprimis illis, qui cùm omnia sua bona in pecuniis habeant, & aut certam sedem non habent, aut propter valetudinem vel aetatem, vel sexum, vel imbecillicatem, vel ignorantiam alicujus honestae artis, pecuniis suis ad negotiationem aliquam uti non possunt: istis (*inquam*) in primis pecuniam ad usuram aliis dare licere sentimus. Quid enim isti aliud agant, quam ut suas pecunias aliis dent negotiationum peritis, qui inde sua industria lucrum faciant, quod ipsi facere non possunt?

2. Sed quibúsnam ad foenus dandae sunt? Iis duntaxat, qui honestum faciunt quaestum: aut piis Principibus & Magistratibus, qui ad res honestas illis utuntur.

3. Quomodo dari debent? Cum commodo ejus, qui accipit, non cum damno, ne fiat *Neschek.*

Item paciscatur qui dat cum eo cui dat, cum ea ἐπιεικείᾳ, quam supra explicavimus: ut, *scilicet*, nolit accipere cum alterius damno.

4. Rursus gratitudo servetur ab eo qui accepit, & cujus beneficio lucrum fecit: sciátque hoc illi deberi ex justitia.

5. Denique semper adsit charitas utrinque: haec enim est unctio, quae docet,

docet, quid quisque agere debeat, de qua. 1. *Joh.* 2. Ipsa unctio docebit vos.

Nunc facilè ad argumenta omnia, quibus simpliciter omnis usura improbari videtur, responderi potest.

1. Ad omnia loca, quae ex veteri Testamento adferri possunt, respondetur explicatione vocis *Neschek*, illâ non significari nisi morsum, *id est*, damnum, quod facit debitor ex pecuniis à te acceptis. Vetat igitur ne mutuò dentur cum damno fratris, qui accipit.

Quod si quis excipiat, permittit tamen Deus dari ad *Neschek* ipsis Gentibus, Deuter. 23. Charitas verò vetat ne cuipiam malum & damnum inferamus: Non igitur *Neschek* damnum semper significat, sed simpliciter quicquid ex mutuata pecunia accipitur, sive cum damno sive citra damnum ejus, qui accipit, illud fiat; si quis, *inquam*, ita excipiat, respondetur: Non valet consequentia: Deus enim voluit Gentes illas damno affici ab Israëlitis propter ipsarum peccata, sicut etiam per eundem suum populum spoliavit Ægyptios. Licet igitur charitas in genere nolit, ut quempiam, quamvis Ethnicum, damno ullo aut injuria afficiamus: quando tamen Deus illud mandat ex speciali suo judicio, parendum est. Est enim Deus judex omnium justissimus: nos verò ejus famuli. Manet igitur responsio à voce *Neschek*, & eam semper significare morsum ac damnum liquet. Licuisse autem Judaeis morsum hunc inferre Gentibus, non quidem ex generali regula charitatis, sed ex speciali Dei judicio & permissione.

Confirmatur responsio data ad loca Veteris Testamenti ex circumstantia locorum, quae inde afferuntur. Dominus enim loquitur de pauperibus in populo suo, qui pecuniam aut aliquid aliud accipiebant ad suas necessitates: hoc liquet *Exod.* 22. Si pecuniam mutuam dederis populo meo, pauperi ipsi, qui est tecum, &c. Est haec particula explicatio prioris. Restringit enim legem ad pauperem, qui eget tuo auxilio.

Hoc idem confirmat quod sequitur, Si pignore acceperis vestem proximi tui, dum inclinat Sol restituito illi. Nam id solum operimentum ejus est, &c. De pauperibus ergo loquitur, qui necessitatis & vitae sustentandae causa mutuum petunt: non autem de divitibus, qui lucri faciendi augendique gratia petunt.

Idem clariùs explicatur *Levit.* 25. *vers.* 35. Cum facultatibus attenuato fratre tuo vacillabit manus ejus, confirmato illum; &c. ne accipito ab eo usuram, &c. *Item*, nec in foenus dato cibum tuum. De pauperibus igitur loquebatur Dominus. Fatemur autem talibus pauperibus ita mutuam dandam esse pecuniam, panem, vinum, & alia, ut nullam ab eo usuram vel accipias vel exspectes, quia accipi non potest sine ejus damno, & quin sit *Neschek*: *Neschek* autem semper damnatur & in omnibus, exceptis tunc temporis Gentibus, propter certa Dei judicia. Sic autem omnia, quae apud Salomonem, in Psalmis & Prophetis de usura leguntur, intelligenda sunt & ad legem examinanda.

2. Neque aliter Christus locutus est, cùm dixit *Luc.* 6. Mutuum date, nihil sperantes: δανίζετε μηδὲν ἀπελπιζόντες. Loquebatur enim de benefaciendo, & mutua danda quavis re, non tam illis, à quibus possis paria accipere, quàm illis

illis à quibus nihil tale sperare possis, nullàmve beneficii compensationem. Hoc enim demum futurum Deo gratum, & ab eo etiam propterea exspectandam esse retributionem.

Hoc liquet ex praecedentibus & subsequentibus. Dixerat, *Si benefeceritis illis, qui vobis quoque benefaciunt, quae vobis est gratia?* (scilicet apud Deum) Et *si mutuum dederitis illis, à quibus speratis accipere* (scilicet paria & similia officia) *qualis vobis est gratia? Nonne & peccatores mutuum dant* ἵνα ἀπολαβῶσι τὰ ἴσα? *Quin imò diligite inimicos vestros, & benefacite, & mutuum date nihil sperantes: & erit merces vestra multa: & eritis filii altissimi, quia ipse benignus est erga ingratos & malos.* Loquebatur ergo de mutuo dando illis, à quibus parem gratiam & simile beneficium sperare non possis; quales sunt pauperes & ingrati atque etiam inimici.

Sed nunquid volet haec sequela: *Diligite eos, qui vos non diligunt:* Ergo nolite diligere, qui vos diligunt? *Benefacite & mutuum date illis, à quibus* τὰ ἴσα *sperare non potestis:* Ergo nolite dare illis, à quibus τὰ ἴσα sperare potestis? Christus ita jubet ut demus mutuum pauperibus, parem gratiam ab eis nullam sperantes, ut interim non prohibeat, quin mutuum demus etiam divitibus, qui τὰ ἴσα rependere possunt: ac proinde non prohibet, si isti divites par pari referant, quin illud accipiamus. Sicut enim humanitatis officium est etiam amicis & divitibus, cùm opus habent, nostris officiis gratificari; sic aequitatis est, ut illi, cùm possunt, par pari referant: eóque par beneficium accipere cum aequitate non pugnat.

Simili loco illustro hunc praesentem.

Apud eundem Lucam, cap. 14. Dominus Jesus dixit ad quendam, à quo fuerat invitatus: *Cùm facis coenam aut prandium, noli vocare amicos tuos neque vicinos divites, ne quando & ipsi te vicissim invitent, ac rependatur tibi beneficium; sed voca pauperes, &c. & beatus eris, quia non possunt rependere tibi: rependetur enim tibi in resurrectione justorum.* Haec D. Jesus.

Quis hìc dicat prohiberi simpliciter à Christo, ne invitentur unquam amici & vicini divites? Neque enim haec humanitatis officia damnat Christus: Ergo neque prohibet, si inviteris ad coenam ab eo, qui priùs à te fuerat invitatus, quin eas & par beneficium accipias. Sed quid sibi voluit Dominus, & hìc cap. 14. & cap. 6.? Nihil aliud nisi non solum gratificandum esse eóque mutuum dandum illis, qui possint vicissim gratificari tibi, verum etiam pauperibus, qui non possunt id rependere, quòd hoc verè sit Deo gratum.

Notandum igitur à tribus fontibus fluere, ut homines mutuum aliis dent: aut ab avaritia, aut à naturali humanitate cum aequitate conjuncta, aut à mera charitate & propter Deum.

A *primo* adducuntur hominis impii: hoc verò semper improbavit Christus.

A *secundo* viri civiliter boni: hoc autem nunquam damnavit Christus, imò probavit illa lege naturali repetita: *Quaecunque vultis ut faciant vobis homines, & vos eadem facite illis.* Luc. 6.

A *tertio* adducuntur Christiani & verè pii: atque hoc est, quod locis antè ex

ex Luca citatis voluit Dominus. Cum igitur humanitatis sit & aequitatis beneficium pro beneficio rependere: beneficium autem sit non vulgare, quod tibi meam mutuam dederim pecuniam, undè magnum fecisti lucrum: Christus non damnat, si tu è lucro facto detrahas partem, eámque benefactori in testimonium grati animi & aequitatis communices: ac proinde neque damnat, si hanc lucri participationem à te exspectem & sperem.

Potuisset duobus versibus responderi ad hoc argumentum: quia tamen omnes nituntur hoc loco Christi, sed detorto: idcircò volui fusiùs explicare.

3. Aristoteles Pol. lib. 1. cap. 7. *Usuraria acquisitio est maximè contra Naturam: quia nummus sterilis est & non potest gignere nummum.*

Cic. in 3. Off. idem confirmat, dicendo, *Detrahere alteri, & hominem hominis incommodo suum augere commodum, magis est contra naturam, quam mors.*

Respondeo. Uterque damnat eam usuram, quae fit cum proximi damno, & eam tantùm ob causam, quòd mutuam dederis pecuniam.

Verba primum Aristotelis hoc docent, qui ait: Nummum sterilem esse, eóque non posse parere númmum: nempe, si solus sit, & per se. Quis hoc neget? Nummus in cista, nummus item in necessaria insumtus, non gignit nummum. Sed quin possint emi merces, & ita industria humana ex nummo possit fieri lucrum quis neget? Dicimus autem ex lucro posse accipi lucrum, non autem ex nudo nummo nummum.

Ciceronis verba sunt apprimè consentanea cum lege Dei de *Neschek*. Ait enim, detrahere alteri, hominem hominis incommodo *(id est damno)* suum augere commodum esse contra naturam quis dubitet? Nos verò defendimus illum ex pecunia mutuata fructum, qui capitur sine alterius incommodo, licitum esse aequum & honestum.

4. *Aiunt etiam esse iniquum, quia foenerator plus accipit quam dederit: dedit* 100. *accipit* 105. *Hoc autem iniquum est.*

Respondeo. Negatur Consequentia. Ratio: quia accipit illud amplius sine alterius damno: & tantùm fit particeps illius lucri, quod ex sua pecunia factum est. Etiam qui dat pauperi unum propter Deum, centuplum accipiet: Ergo iniquum accipit? Non igitur simpliciter & in omnibus vera est propositio, *Qui plus accipit quam dederit, iniquè agit.*

2. Dicimus non plus accipere, quam dederit. Dedit enim virtute quod accipit, quia ex pecunia factum est lucrum hoc. His responsionibus reliqua omnia solvuntur argumenta.

De Ira.

Locus de ira compescenda explicandus nobis est, ad quem pertinent non solum vers. 25. & 26., sed etiam vers. 31. ubi ait, *Omnis amaritudo & excandescentia & ira & clamor & maledicentia tollatur ex vobis, cum omni malitia*: cui à contra additur vers. ultimus, *sed estote alii in alios benigni &c.* Multa de Ira docet nos Apostolus iis paucis versibus.

1. Ac *primum* quidem non omnem Iram esse peccatum, sed aliquam: ac proinde aliquam etiam esse bonam & laudabilem, ut liquet Ecclesiast. 7. *Melior est ira risu, quoniam per tristitiam vultus corrigitur animus delinquentis.* Et hoc docet Apostolus dicendo, *Irascimini, & nolite peccare.*

Ita trifariam accipi posse nomen Irae ex Apostolo colligere licet: aliquando pro affectu naturali, qui per se neque laudabilis neque vituperabilis moraliter esse potest. Aliquando pro Ira sancta & laudabili. Saepissimè verò pro vituperabili & quae peccatum est. Hoc est primum.

2. *Deinde*, de ea, quae peccatum est, docet quomodo cohibenda sit, ne effervescat in animis nostris, néve in odium convertatur, & tandem in vindictam erumpat, qui est Diaboli scopus. Et hoc docet cum ait, *Sol non occidat super iracundiam vestram*, id est, etsi subita Ira peccatis, nolite tamen eam noctu favere in sinu & lecto vestro. Subdit, *Nec detis locum Diabolo*, nempe ut ad ultionem perveniatis. Huc enim spectat Diabolus suis suggestionibus, cum noctu Iram fovetis in cubilibus vestris.

3. Ita *tertio* ex consequenti docet tres esse Irae, quae peccatum est, species: unam, qua quidam cito quidem irascuntur, sed cito etiam iram deponunt, neque eam secum ferunt in lectum, qui ab Aristotele 4. Ethic, cap 5. ἀκρόχολοι ὀξεῖς vocantur. Super horum Iram Sol non occidit. Alii sunt, qui non facile deponunt, sed eam intra seipsos continent, corde amaro & pleno felle, quos Aristoteles vocat πικρούς, & ait esse δυσδιαλύτους: quanquam ii non semper ulciscuntur, aut quia non possunt, aut quia certis de causis nolunt. Super horum iracundiam multoties cadit sol. Denique alii sunt, qui nunquam possunt adduci, ut Iram deponant, donec injuriam acceptam ulciscantur: quos Aristoteles vocat χαλεπούς. Ii sinunt Solem super suam iracundiam tamdiu occumbere, donec ultionem sumant de suis hostibus & inimicis: id quod nil aliud est quam locum dare Diabolo.

Has tres Irae species videtur Apostolus innuere etiam vers. 31. Primam vocat θυμὸν, ab inflammato corde; est enim vehemens accensio sanguinis circa cor: Secundam vocat πικρίαν, sicut etiam Aristoteles: Tertiam ὀργὴν, fortè ἀπὸ τοῦ ὀρέγομαι, quod haec omnino vindictam velit. Aristoteles enim ait ὀργὴν esse ὄρεξιν τιμωρίας μετὰ λύπης.

4. Subdit *deinde* Apostolus in eodem versu trigesimo primo effecta quaedam irae, & gradus per quos se effert: *Unus* est κραυγὴ, etiamsi sit sine contumelia aut convitio. *Alter* est βλασφημία, maledicentia, & aperta Contumelia. *Tertius* est ipsa κακία, *id est*, maleficium, & vitio malitiosa. Κακία enim aliquando pro effectis, & praesertim πικρίᾳ καὶ κακίᾳ, atque maleficio opponit in versu insequenti χρηστότητα καὶ εὐσπλαγχνότητα, & ut nos nobis invicem condonemus injurias, sicut & Deus nobis in Christo. Quare apparet omnia ferè, quae de ira dici possunt, hîc Apostolum paucissimis verbis complexum esse, ut non immerito locum hunc de ira hîc explicandum susceperimus.

Dicam igitur, juxta ordinem Apostoli triplicémque nominis irae significationem, *primum* de ira, quatenus eo nomine significatur affectio seu πάθος, id est, passio naturalis, naturalis, *inquam*, etiam ante peccatum. *Deinde* de eadem, quatenus ea in sacris literis nedum à philosophis comprobatur. *Denique* de ea quae improbatur & peccatum est. 1.

1. Ad primum quod attinet duo mihi dicenda sunt, quid sit, & qualis sit haec Ira.

Ira *(ut a notatione Etymologiae incipiam)* Latinis dicitur ab effectu, quod hominem percepta injuria ita inflammet ad vindictam, ut faciat illum quasi extra se Ire: id quod à contrario declarant, quia, cum deferbuit Ira, dicitur ad se rediisse. Undè & suo modo Deus quoque, cum irascitur, dicitur apud Jesaiam facere opus non suum, & ita quasi à sua natura misericordiae plena ad alienam naturam transire, id quod per metaphoram quandam intelligendum est. Graeci duo praecipua habent nomina, θυμὸς, θυμὸν καὶ ὀργὴν: quorum *unum* propriè significat furorem, *hoc est,* perturbationem illam, qua homo ex accepta injuria statim afficitur, cum sanguis incipit ebullire circa cor: hic est θυμός. *Alterum, id est,* ὀργὴ propriè significat ipsum, post turbationem cordis, conceptum appetitum vindictae: ita ut una vox definitionem materialem (ut vocant) altera formalem respiciat. Materialis enim haec est: *Ira est accensio sanguinis circa cor;* formalis haec: *Ira est appetitus vindictae propter injuriam vel nobis vel amicis illatam.*

Hebraei multas quoque iram significantes voces habent, sed una frequentissima est. *Anaph* est irasci, unde abjecto *Nun*, *Aph* ira & furor. Propriè autem *Aph* est nasus: sed ea voce significatur ira, quod qui ira accensi sunt, plus solito & frequentiùs & vehementiùs flent per nares. Nec mirum, cum accensus sit novus ignis circa cor. Quanquam per Synecdochen etiam nasus pro tota facie poni queat, & dici sic vocari iram, quòd per nares totámque faciem patefiat. Qui enim irascitur, hujus facies aut expallescit aut inflammatur.

Ex quibus omnibus effectibus apparet iram passionem seu affectionem esse naturalem, eámque in parte sensitiva, nempe in irascibili, id quod vel nomen ipsum indicat. Et sic omnes docent. Damascenus libro secundo capite 33. adfert definitionem unam à causa materiali efficiente, alteram à formali ductam: *Prima,* θυμός ἐστι ζέσις τοῦ περὶ καρδίαν αἵματος ἐξ ἀναθυμιάσεως τῆς χολῆς ἢ ἀναθολώσεως γινομένη: διὸ καὶ χολὴ λέγεται καὶ χολος, id est, *Ira est accensio sanguinis circa cor, ex evaporatione seu exuscitatione bilis proveniens, &c. Altera* ex Arist. Ethic. lib. 4. desumta haec est, Ira ἔστι ὄρεξις ἀντιτιμορήσεως. Αδικούμενοι γὰρ ἢ νομιζοντες ἀδικεῖσθαι θυμούμεθα, καί γιγνέται τότε μικτον τό πάθος ἐξ ἐπιθυμίας καί θυμοῦ. Haec altera definitio etiam ad iram Dei quodammodo accommodari potest. Nihil enim aliud est, quam justissima voluntas ulciscendi injurias puniendíque peccata. Tam sanctae irae quàm malae convenire potest. Sic igitur possumus ex definitionibus duabus unam plenam concipere, irámque in genere sic explicare: *Ira est appetitus vindictae post accensionem sanguinis circa cor, ex injuria vel nobis vel amicis nostris, sive verè sive nostro judicio facta, conceptus.*

Appetitum esse vindictae jam ex iis quae dicta sunt extra controversiam est. Excitari item post accensionem sanguinis circa cor dubium non est, quia primo sentitur vulnus, deinde ad vindictam appetitus excitatur. Appetitus autem iste potest esse vel justus vel injustus. Justus, si irascimur quibus debemus, quomodo, quando & quibus de causis debemus. Contrá verò injustus. Concipi verò ex apprehensa injuria nemo hominum dubitat. Additur autem, vel nobis vel amicis nostris facta: quia sancti etiam magis irascuntur propter injurias

 factas

factas Deo & Ecclesiae, quam propter proprias; & sic veri amici omnes. Denique adjecimus etiam cum Damasceno, vel verè vel nostro judicio facta: quia saepè judicamus esse injuriam, quae non est. Haec de definitione generali Irae, quam naturalem passionem esse diximus. Ex qua definitione colligimus haec etiam duo:

1. *Primum* quidem proprium Irae *objectum* esse bonum: appetit enim vindictam mali injuriarúmque ultionem. Ultio autem injuriarum ad justitiam pertinet per se: quod si ultio sit injusta, hoc fuerit ex accidenti: quia, *scilicet*, aut ulciscitur ille qui non debet, aut id, quod non debet, cum non sit vera injuria, aut eo modo, quo non debet, aut non in eum finem, in quem debet. Caeterum per se & sua natura ultio injuriarum & mali vindicta bona est. Ideò Deus hanc sibi reservat, dicendo, *Mihi vindictam &c.* Deut. 32. Et Magistratui in hunc finem dedit gladium, ut ulciscatur injurias, quae fiunt vel Deo vel hominibus.

2. Constat ex eadem definitione causam Irae efficientem esse illatam injuriam, sive vera sit sive apparens injuria. Non enim oppetimus vindictam, nisi propter injuriam factam. Proinde qui punitur propter sua scelera, non habet cur conqueratur, nisi de seipso. Ipse enim sui mali causa est. Quo illud, *Nemo laeditur nisi à seipso.* Imprimis verò contemtus atque despectio causa efficiens est Irae in majore ac superiore adversus inferiorem, ut in patre adversus liberos, viri adversus uxorem, Domini adversus servum, &c. Ratio est, quia primum quod superior requirit ab inferiore, est honor, juxta illud, *Honora Patrem &c.* Cùm igitur vident se contemni & dehonorarì: tum maximè ad Iram concitantur. Sic nihil magis provocat Iram Dei, quam illius contemtus, & religionis, qua maximè colitur, contaminatio.

II. Sed *(ut ad alterum caput veniamus)* qualis est ista naturalis passio? Stoici putarunt esse per se sempérque malam, nunquam bonam, praesertim si turbationem ipsam consideres, quae est accensio sanguinis circa cor, unde mentis turbatio. Nam appetitum vindictae aliquando justum esse posse, & bonum rationíque consentaneum, negare non poterant: sed illam cordis perturbationem & sanguinis accensionem non nisi malum esse posse credebant: quorum praecipua ratio haec erat, quia Ira, cùm sit accensio sanguinis circa cor, turbat mentem judiciúmque rationis: omnis autem mentis turbatio mala est. Non potest igitur Ira esse nisi mala.

1. Sed fallebantur in ϑέσει: Non enim omnis turbatio mala est: sed quae injusta est, & si quis turbetur de re, de qua turbari non debet: quae autem justa est, & propter justam causam, laudabilis est & bona, ut quòd quis turbetur propter injurias, quas videt vel Deo vel innocentibus hominibus fieri, *id est*, propter scelera quae impunè admittuntur, & alia hujus generis. Christus certè turbatus fuit saepè peccatis Judaeorum: ita ut cum summo furore ejecerit templo vendentes &c. & dixerit, *Zelus domus tuae devoravit me.* Joh. 2. 17. Item legitur quod turbaverit seipsum in morte Lazari, considerans tantum malum, *id est*, mortem venisse in Mundum propter peccatum. Quis tamen pius dicat tales in Christo perturbationes fuisse malas? Neque si pater turbetur vitiis filiorum, improbari potest, imò contra, si non turbetur & non commoveatur.

2.

2. In hoc etiam errabant, quod non distinguebant inter tempus illud, quo passio Irae turbat mentem, nempe antequam mens judicet an sumenda sit vindicta necne: & inter illud, quo passio ipsa obtemperat rationi ad exsequendum id, quod mens jam pacata justum esse judicavit. Antequam mens rectè judicare possit, turbatur apprehensione mali facti: *id est*, injuriae. Sed haec turbatio necessaria est, alioqui de justa vindicta judicare non poterit. Itaque neque haec turbatio est simpliciter mala, cum serviat menti ad bonum. Postea verò quàm judicium à ratione factum est rectum de justa ultione sumenda: Ira tantum abest ut adversetur menti ac rationi, ut ei potius inserviat ad fortiter quod decretum est exsequendum. Qua de causa Aristoteles dixit 7. c. 1. Ethic. Appetitum sensitivum esse rationalem, non quòd in se rationem habeat, sed quia obedit rationi. Alibi verò speciatim de Ira scribit, Iram servire fortitudini, fortitudinisque esse instrumentum.

3. Denique in hoc etiam reprehensione digni erant Stoici, quòd materiale tantùm in Ira considerabant, & non conjungebant cum formali. Materiale est illa tantum accensio sanguinis circa cor: formale ipse appetitus justae vindictae. Sicut igitur non propterea generatio hominis & cujusvis rei improbanda est, quia praecedit corruptio: Sic neque Ira, quae formaliter (ut ita loquar) est laudabilis, bonúsque appetitus justae vindictae, vituperari potest & mala dicenda est, quia fieri in hominibus non potest sine praecedente aliqua mentis turbatione ex apprehensione injuriae; praesertim cùm (ut dictum est) ipsa quoque passio postmodum rationi inserviat. Melius igitur senserunt Peripatetici, qui non omnem Iram, sed tantùm injustam, malam esse dixerunt: justam autem esse bonam & optimam, pertineréque ad vitiorum castigationem virtutum autem conservationem & promotionem. Neque certè in alium finem Deus hanc affectionem hominibus indidit.

Eò igitur magis nos sententiam hanc retinebimus, quod etiam S. Literis est consentanea, & à Patribus confirmata & laudata. Christus non dixit: Quia irascitur fratri, sed qui irascitur temerè, sine justa causa, reus erit, &c. Math. 5. Ubi Chrysost. Qui sine causa irascitur, reus erit; qui verò cum causa, non erit. Nam si Ira non fuerit, nec doctrina proficit, nec judicia stant, nec crimina compescuntur. Christus etiam ipse iratus fuit saepè peccatis Judaeorum: fuit tamen sine peccato. Non igitur Ira per se & semper mala est.

Tractavit hanc quaestionem praeter alios D. August. T. 5. de Civit. Dei. lib. 9. c. 4. & 5. & sententiam Peripateticorum, quae & Platonicorum fuit, praefert Stoicorum opinioni: quanquam ex Cic. de finibus & ex Gellio demonstrat Stoicos verbis magis quàm sententia dissentire à Peripateticis.

Haec de primo capite, hoc est de Ira, quatenus affectus est, seu affectio & passio naturalis.

Ad alterum quod attinet, *hoc est*, ad Iram laudabilem & bonam, duo etiam breviter dicam. 1. quid sit. 2. quotuplex sit.

1. Gregorius in Moral. lib. 5. c. 31. vocat eam Iram per Zelum, quia à zelo justitiae formatur, sicut vitiosam vocat iram per vitium, quia ea vitium impatientiae excitat: unam igitur esse ex virtute, alteram ex vitio.

Ac

Ac de ira per zelum duo affert exempla contraria: unum Phinees, in quo ira illa per zelum excelluit, cùm zelo Dei affectus Israelitam & Madianitidem fornicantes gladio transfodit: Num. 25.; alterum Heli, in quo nulla fuit, ac proinde filiorum vitia non correxit. 1. Sam. 3. Atque de hac sancta Ira per zelum interpretantur haec Apostoli verba, Irascimini & nolite peccare. Ait enim irascendum esse & nostris & alienis vitiis, ut corrigantur. Hanc igitur Iram per zelum sic definiri posse censemus: *Est pius rationabilisque vindictae appetitus, ex vero zelo justitiae in nobis excitatus, quo vitiis tum nostris tum alienis magis quàm personis irati vitia & peccata legitimè vindicare cupimus, ut personae salvae fiant: & ut ira Dei placata Regnum Christi gloriáque ejus promoveatur.*

Explicatio confirmatióque hujus definitionis ex iis, quae suprà diximus de naturali Irae passione, tota ferè pendet. Quò tamen melius intelligatur, breviter eam percurremus.

Denuò igitur notandum est affectiones in nobis naturales duplicis esse generis: quaedam ita sua natura & ratione objecti, in quod tendunt, malae sunt, ut nullo modo bonae & cum recta ratione consentaneae esse fieríve possint: veluti est passio invidiae. Hanc primum naturalem vocamus passionem, non quod à Deo indita sit hominibus, sicut amor, spes, timor, laetitia, ira & aliae, sed quod peccatum naturaeque corruptionem consecuta sit in omnibus hominibus. Per se porrò mala est & peccatum semper, nec bona fieri potest, quia cum rationis rectitudine nunquam congruit, nec potest congruere. Quid enim est invidia? Dolor est & tristitia de bono alieno. Hoc verò semper pugnat cum recta ratione & cum lege Dei, ut quis de alieno tristetur bono. Ergo passio haec tam mala est sua natura, ut nunquam fieri possit bona & λογικὴ, *hoc est*, rationalis.

Rursus aliae sunt quae & bonae & malae esse possunt, nempe quatenus cum recta ratione cúmque lege Dei aut congruunt aut pugnant, ut amor, odium, timor, & similes. Si enim ames, vel odio habeas quae amanda sunt vel odio habenda *(utrumque enim fieri potest)* idque facis & eo modo, & in eum finem, quem recta ratio & lex Dei postulat: amor iste & istud odium bonum fuerit, quia cum lege Dei rectàque ratione congruens est: ac proinde rationabilis & laudabilis amor odiúmque verè appellari poterit. In hoc passionum genere est etiam Ira, ut supra explicatum est: ut meritò dixerit Gregor. Alia est Ira, quam impatientia excitat, alia quam zelus justitiae format: illa ex vitio, haec ex virtute generatur. Moral. lib. 5. cap. 13.

Nunc tenemus primam definitionis partem, Iram, *scilicet*, esse piam rationabilémque justae vindictae appetitum ex vero zelo justitiae in nobis excitatum: & dicimus ex vero zelo, quia datur etiam falsus zelus, quo, *scilicet*, multi praetexunt justitiam atque gloriam Dei, sed falso. Sequitur in definitione:

Quo vitiis tum nostris tum alienis magis quàm personis irati vitia et peccata legitime vindicare cupimus, &c.

Est enim hoc proprium sanctorum prudentiúmque virorum & bonorum parentum, ut irascantur vitiis, quae oderunt, non personis, quas amant. Quod si etiam personis irascantur, non aliam ob causam irascuntur, quàm propter vitia,

vitia, quae in ipsis sunt, aut crimina, quae admiserunt. Ideò diximus, vitiis magis quàm personis.

Diximus etiam, tum nostris tum alienis: non minùs enim suis irascuntur vitiis sancti quàm alienis, eáque detestantur & in se & in aliis. Pertinet huc quod scribit Gregorius, loco supra citato ex Moral. lib. De hac Ira *(inquit)* per Psalmistam dicitur, Irascimini & nolite peccare: quod nimirum non rectè intelligunt, qui irasci nos nobis tantummodo, non etiam proximis delinquentibus volunt. Si enim sic proximos ut nos amare praecipimur, restat ut sic eorum erratis sicut nostris vitiis irascamur. Haec ille: ubi quod primò dixit, irasci nobis & proximis delinquentibus, postea explicans dixit, irasci erratis & vitiis tam nostris quàm alienis.

Adjecimus, quo cupimus legitimè vindicari vitia & peccata. Pia enim Ira, à vero zelo justitiae excitata, nil contra justitiam cupit, sed ut omnia legitimè fiant. Proinde pii viri injurias sibi factas non ulciscuntur ipsi, sed ultionem permittunt Deo & Magistratui. Prudentes etiam patres familias liberorum vitia puniunt, sed legitima ratione.

Finis hujus sanctae Irae multiplex est: *unus*, ut personae salvae fiant. Quò illud Apostoli pertinet, *se quosdam tradidisse Satanae, in interitum carnis, ut spiritus salvus fieret.* 1. Cor. 5. *Alter* finis, ut Ira Dei placetur. Quo illud etiam Apostoli. 1. *Cor.* 11. Si nos ipsi judicaremus, non utique à Domino judicaremur. Exemplum. Postquam justa Ira Josuae punivit Acham, Ira Dei placata fuit: id quod & de Phinees legitur, quod, postquam divino zelo utrumque adulterum & adulteram transfodisset, cessaverit plaga Dei à filiis Israël; & alia hujus generis exempla sunt innumera in Sanctis Literis. Hinc sequitur *tertius*, Regni Christi gloriaeque divinae promotio. Hoc per se manifestum est: & exemplis Josuae in Acham, Phinees in adulteros, Mosis in seditiosos, & aliorum in alios confirmatur: de quibus legimus, quòd post punita scelera placata fuerit Ira Dei, & Regnum gloriáque illius illustrata & promota. Quid igitur sit pia sanctáque Ira abundè tenemus, quae qùam sit ad vitiorum scelerúmque correctionem, ad salutem hominum, ad Rerumpub. & Ecclesiae conservationem, eóque ad gloriam Dei promovendam necessaria, satis supérque dictum est.

II. Alterum caput breve est & facile: quotuplex sit haec pia & rationabilis Ira. Duplex est, *una* in voluntate, *altera* in appetitu sensitivo.

Prior nil aliud est, quam motus voluntatis, quo quis non ex passione sed ex rationis judicio injuriae vindictam, *id est*, peccati punitionem appetit & infligit: de qua Chrysost. in illud Christi, *Qui irascitur fratri sine causa, &c.* Haec in quovis homine mitissimo & placidissimo, ut fuit Moyses, esse potest: imò iis, quorum est vitia corrigere & scelera punire, necessaria est: atque ita necessaria, ut, si hac careant, peccent, sicut de Heli Sacerdote, ex judicio etiam Gregorii, suprà dictum est. Quomodo enim vir bonus ille esse dicive potest, in cujus voluntate non insit odium peccati?

Altera est in appetitu sensitivo, & nil aliud est quàm motus appetitus sensitivi ad obsequendum rationi, ad peccati ultionem & correctionem. Haec enim necessariò sequitur judicium rationis, & imperium rectae justaeque voluntatis:

qua

qua in parte semper quaedam est commotio ac perturbatio, ut in exemplo Phinees videre licet. Ita enim fuit in voluntate appetitus ille scelus ulciscendi, ex zelo gloriae & justitiae divinae excitatus, ut redundarit in sensum, & is secutus sit voluntatem. Imò & in Christo, cùm ejecit vendentes & ementes è templo, idem videre est: quanquam omnis in Christo affectus expers semper fuit peccati, quod de aliis non ita dici posse credimus.

III. Venio nunc ad Iram, quatenus peccatum est; de qua dicam:

1. *Quid sit.*
2. *Quotuplex sit.*
3. *An una sit gravius peccatum altera.*
4. *De ejus effectis.*
5. *De remediis ad eam compescendam.*

1. Contrario modo definienda est Ira mala ei, quo definita est bona. Est igitur iniquus & irrationabilis vindictae appetitus, ex sensu injuriae factae atque ex impatientiae vitio in nobis excitatus: quo hominibus magis quam vitiis irati, illorum ultio, quo jure quàve injuria, ut fiat exoptamus: nulla hominum salute, nullòve bono publico aut gloria Dei, sed nostra tantùm libidine spectata atque proposita.

Non opus habet alia explicatione haec definitio: cùm ex iis, quae dicta sunt de bona, à contrario fiat perspicua: praesertim cùm exempla eorum, quae hoc genere Irae nascuntur, luculenter haec omnia confirment.

2. De partitione etiam non est cur multa dicam, quando quae de principio retulimus ex Aristotele in Ethic. & quae consentanea esse diximus cum Sanctis literis, ad hanc vitiosam pertineant Iram. Non gravabor tamen eandem partitionem confirmare ex Damasc. lib. 2. c. 33. Ille sic scribit, εἴδη δε τοῦ θυμοῦ τρία: prima ὀργὴ, ἥτις καλεῖται χόλη καὶ χόλος, *id est*, cholera & indignatio, (est πρόσκαιρως:) secunda species est μήνις iracundia, *id est*, Ira permanens: tertia κότος (ὀργὴ καιρὸν ἐπιτηρούσα εἰς τιμωρίαν). Singulas species ita explicat: θυμὸς μεν γὰρ ἀρχήν καὶ κίνησιν ἔχων, ὀργὴ καὶ χολὴ καὶ χόλος λέγεται, μήνις δέ χολὴ ἐπιμένουσα, ἤγοῦν μνησικακία: εἴρηται δε παρὰ τοῦ μὲνειν, καὶ τῇ μνήμῃ παραδιδοται, *id est*, à manendo & memoriae tradendo. Κότος δε ὀργὴ ἐπιτηροῦσα καιρὸν εἰς τιμωρίαν. Εἴρηται δε καὶ τοῦτο παρά τοῦ κεῖσθαι, *id est*, à jacendo. Haec Damascenus de speciebus Irae. Atque haec de secundo.

Quatuor tamèn species hominum, qui irascuntur, facit D. Gregorius primus in Moral. lib. 51. Quidam citò irascuntur, sed citò etiam iram deponunt. Quidam tardiùs irascuntur, & tardè etiam ab Ira liberantur. 3. Alii citius iracundiae flammas accipiunt & tardius deponunt. Addit quartum, quod est tolerabilius: 4. Nonnulli verò has flammas Irae tardiùs accipiunt & citiùs deponunt.

3. Tertium etiam caput perspicuum est, non omnes has species aequalia esse peccata. Primam negare nemo potest quin peccatum sit. Ait enim Apostolus, *Omnis indignatio & ira tollatur à vobis*. Ergò prima etiam species tanquam mala tollenda est. Omnem enim Iram intelligit, quae non à zelo justitiae proficiscitur, de qua supra diximus: sed quae (*ut ait Gregorius*) à vitio indignationis exoritur. Illam item, quae licet à zelo bono proficiscatur, modum tamen irascendi excedit. Denique omnem Iram vult à nobis tolli, eóque damnat

nat

nat Apostolus, quae cum recta ratione legéque Dei consentanea non est. Talis est autem haec prima, de qua loquimur, Irae species, ut ex ejus descriptione constat. Caeterum, quis nesciat alteram speciem gravius esse peccatum, quia quis diu servat iram? vertitur enim in odium: quia odium nil aliud est quam Ira inveterata. Tertiae verò speciei iram peccatum esse gravissimum extra controversiam est. Nam iram tamdiu in sinu tuo fovisse, donec ulciscaris injuriam, plus quàm Diabolicum est. Christus si non tres species irae, saltem tres gradus, per quos se exercet, ostendit, quando Matth. 5. primo dixit, *si quis irascitur fratri sine causa* (haec est occulta & interna:) Secunda, *si quis dixerit Racha:* haec est expressa, sed sine manifesto convitio: Tertia, *Qui dixerit fatue, &c.* Gravem esse primam docuit, graviorem secundam, gravissimam tertiam. Quid postea de ea, qua gladio vel aliis rebus ulciscimur injurias?

4. De effectis irae malae, quaecunque illa sit & cujuscunque speciei, multa mihi dicenda essent: sed brevitatis causa remitto lectorem ad legenda ea, quae scripta reliquit Gregorius primus, in Moral. lib. 5. c. 31. Prodest haec cognitio ad hujus peccati iracundiae detestationem, cùm sit tot tantorùmque malorum, quae ibi recenset Gregorius, causa.

Ipsi etiam Ethnici multa de effectis irae scripta reliquerunt: quale est illud Menandri, ὀργὴ δε πολλὰ δρᾶν ἀναγκάζει κακὰ. Et illud Catonis: *Impedit Ira animum ne possit cernere verum.*

5. Verum quid prodest (*ut Gregorius monuit*) nosse quot quantorúmque malorum causa sit Ira, nisi quibus etiam remediis compescenda sit intelligamus?

Remedia haec duplicis sunt generis: quaedam, quae ad Iram alienam, quaedam, quae ad nostram compescendam valent.

Adversus alienam haec cumprimis prosunt: 1. Silentium, *hoc est*, ne Irato & vociferanti contumeliisque agenti respondeas. Ecclesiast. 8. *Ne litiges cum homine litigioso, nec struas ligna in igne ejus.* Iracundia ignis est: responsiones ligna sunt, quibus magis accenditur. Non igitur respondendum. Nam *Prov.* 26. Cum defecerunt ligna, extinguetur ignis: *Rom.* 12. Non vos defendite, carissimi, sed potius date locum irae. Scriptum est enim, Mihi vindictam.

2. Quia verò saepè contingit, ut cogamur respondere praesertim interrogati, & ex silentio tunc magis exacerbatur ira irati, quia putat se tuo silentio contemni, ut ira Pilati contra Christum, Joan. 19. idcircò alterum remedium est, lingua mollis: *hoc est*, ut modestè & humiliter respondeas. *Prov.* 29. Lingua mollis confringit duritiem. Exemplo sit Abigail erga Davidem iratum.

3. Honor tum officiis tum beneficiis declaratus. *Prov.* 25. & *Rom.* 12. Si esurit inimicus tuus, ciba eum, &c. Sic enim faciendo congeres carbones ignis in caput ejus.

Si enim ira accenditur ex contemtu, extinguitur ergo honore & officiis. Ex contemtu Nabalis ira Davidis inflammata fuit: ex reverentia verò & officiis Abigail extincta.

Remedia ad nostram iram compescendam haec sunt:

1. Commemoratio passionis Christi, ídque pro peccatis tuis. Cur non tu quoque aliquid patiaris? Sic Apostolus ad calcem, Condonantes vobis invicem, sicut

sicut & Deus in Christo condonavit vobis. Exemplum eorum imitare, qui respiciebant in serpentem aeneum: Sanabantur à serpentibus ignitis: Ira est ignitus serpens.

2. Comprime Iram silentio. *Prov.* 22. Fatuus statim indicat iram suam. Ubi glossa, Natura irae est, ut prolate magis ferveat, occultata languescat, *Eph.* 4. Clamor & blasphemia non exeat ex ore vestro. Item *Prov.* 26. Qui imponit stulto silentium, iram mitigat.

3. Consideratio causae, *id est*, tuorum peccatorum. Nil adversi contingit tibi, quod non promereantur peccata tua. *August.* Irasceris Patri tuo, & peccas: irascere tibi ipsi, ne pecces.

4. Fides de providentia Dei. Nil dicitur tibi vel fit, quod non fuerit ordinatum à Deo. *Joan.* 18. Calicem, quem dedit Pater, non vis ut bibam? *Item*, Non cadet capillus de capite vestro sine voluntate Patris vestri. Matt. 10.

5. Commiseratio status ejus, qui ad iram provocat: est insanus & stultus: item instrumentum Dei ad tuam patientiam exercendam. Exemplum Davidis de Simei, *Dominus mandavit illi, ut mihi malediceret.* 2. Sam. 16.

6. Eccles. 7. *Memor sis novissimorum & in aeternum non peccabis.*

7. Si verò iratus es, quid faciendum? Apostolus ait, *Sol non occidat super iracundiam vestram.*

Dominus Deus suo Spiritu impetus carnis nostrae compescat, & pro sua bonitate efficiat, ut, si omnino irascendum est, non peccemus.

CAPUT V.

V. 1. *Imitatores igitur Dei estote, ut filii dilecti, &c.*

In hoc capite *primum* quidem resumit & concludit Apostolus adhortationem, quam in calce capitis quarti habuit, de condonandis nobis invicem injuriis, exemplo Dei, qui omnia nobis condonavit peccata in Christo. Quia verò haec condonatio injuriarum neque facilè impetrari à nobis potest, neque quidpiam coram Deo valet, nisi ex charitate fiat: ideò statim exemplo Christi ad fraternam dilectionem hortatur: nempe & quomodo Deus condonavit nobis peccata in Christo, & quanta sit Christi charitas erga nos.

Deinde repetito argumento à diversa status, in quo fuerant antè Ephesii, & ejus in quo jam erant, conditione, dehortatur à multis aliis vitiis, quae non decent filios Dei, & contra hortatur ad multa officia, quae illis conveniunt.

Postremò novam adhortationem instituit de subjectione, qua alii aliis debent esse subjecti, eámque speciatim ad conjugatos applicat: uxores subjectas esse debere viris suis, sicut & Ecclesia Christo, ubi de admirando conjugii inter Christum & Ecclesiam mysterio disserit. Hoc est argumentum & summa totius capitis quinti.

Seco igitur illud in tres partes. *Prima* continetur duobus prioribus versibus: cum quibus ultima particula capiti quartis conjungitur, nempe χαριζόμενοι ἑαυτοῖς καθὼς καὶ ὁ Θεὸς ἐν τῷ Χριστῷ ἐχαρίσατο ὑμῖν. Se-

Secunda continetur à v. 3. usque ad 21.

Tertia à v. 21. ad finem usque capitis.

Ad primam partem quod attinet, tria nobis praecipuè explicanda sunt. *Unum* de imitatione Dei, quomodo debeamus imitari Deum, cum in aliis rebus tum maximè in condonandis injuriis. *Alterum* est de charitate seu dilectione, in qua jubemur ambulare, sicut & Christus dilexit nos. *Tertium* est de sacrificio Christi, quo & Deus Pater, quomodo nobis condonavit peccata, luculentissimè patefecit, & Christus ipse Filius Dei suam immensam erga nos dilectionem declaravit.

De Primo.

Illa propositio, *Imitatores igitur estote Dei, sicut filii charissimi*, est quidem generalis, pendens ex superioribus, ut etiam apud Matthaeum docuit Christus, ut simus perfecti sicut & Pater noster perfectus est: Math. 5.; interim hoc in loco ad specialem illam particulam refertur, χαριζόμενοι ἑαυτοῖς καθὼς καὶ ὁ θεὸς ἐχαρίσατο ὑμῖν. Nam in hunc finem subjiciuntur etiam illa, quae sequuntur de dilectione Christi, déque ejus morte & sacrificio, quo expiata & condonata nobis sunt peccata.

Primum igitur examinanda nobis est illa locutio χαριζόμενοι ἑαυτοῖς, &c. Qui condonat injuriam, alteri condonat, non sibi ipsi: ait tamen ἑαυτοῖς: Sic Col. 3. Nil aliud autem intellexit, quàm ut frater fratri condonet. Docet igitur nos esse unum corpus in Christo: ita ut si quis fratri condonet, sibi condonare videatur atque verè dicatur. Quis est autem, qui sibi ipsi non condonet, si qua in re sibi ipsi fecit injuriam? Ergò magnam ἔμφασιν habet haec locutio. Dicebat Abraham ad Loth, *Ne sit jurgium inter me & te, quid ita? fratres enim* (inquit) *sumus*, Gen. 13. Annon verò major est conjunctio inter membra corporis nostri, quàm inter fratres? Si igitur illa ratio fuit efficax, *fratres enim sumus:* multò major est haec, *sumus enim membra ejusdem corporis.* Sibi igitur verè condonat, qui fratri in Christo condonat: quia membrum membro. Est enim amicus (ut Ethnici etiam dicebant) alter Ego: multò magis, qui frater est in Christo, est mihi alter ego.

Secundo, illa particula expendenda est, καθὼς καὶ ὁ θεὸς, &c. Haec particula aliquando significat aequalitatem, aliquando similitudinem. *Æquilitatem*, ut cùm Christus de se & Patre loquitur, ut Joan. 10. καθὼς γινώσκει me Pater, sic ego novi Patrem. *Similitudinem,* ut cùm sermo est de Deo & nobis, ut *Joan* 17. Ut sint unum sicut & nos sumus. Ita etiam hîc. Quae enim proportio finiti ad infinitum? Significat ergo Apostolus in condonatione injuriarum imitandam esse Dei bonitatem atque clementiam, de quibus suprà cap. 4. v. ultimo.

Cum verò Deus offensas condonarit non rogatus à nobis, sed potiùs sua naturali clementia nos anteverterit: quaeritur num & nos eodem nos modo condonare injurias debeamus? Videtur hic locus & alii similes id concludere: sed contrà Christus docere videtur Matth. 5. & Luc. 17. Ubi docet, Si frater, qui offendit, venerit poenitens, & petat ut sibi condones, tum demùm esse condonandum.

Resp.

Resp. Duplex est remissionis injuriarum genus: *Unum*, quo non rogati, *alterum*, quo rogati ignoscimus: Primum cuique offenso, propter suam ipsius, *alterum* propter fratris, qui offendit, salutem necessarium est. Etsi enim tu fratri condones, à quo offensus es: nisi tamen ille resipiscat, eóque veniam à te petat (est enim hoc verae resipiscentiae testimonium) Deus illi non remittit. Ut igitur nos servemur, exigit Deus ut etiam non rogati ex animo injurias condonemus, ad animum nostrum quod attinet. Ut verò fratres ad poenitentiam excitentur & ita serventur, postulat ut tum demùm disertis verbis declaremus nos illis condonare, cum agnito suo peccato veniunt & veniam petunt.

De primo modo ait Matt. 6. Si non remiseritis offensas fratribus, nec Pater remittet vobis. Ideò in precatione ponimus, Remitte nobis, sicut & nos remittimus. Cùm igitur quotidie precari debeamus Patrem ut remittat nobis, quisque tenetur ex animo fratri remittere offensas. De altero autem modo Luc. 17. disseruit: ubi de modo, quo debemus fratres corrigere & lucrari Christo, docemur. Utroque etiam modo Deus remittit nobis peccata nostra: *primum*, non rogatus & ante nostram poenitentiam, imò ante nostri creationem in aeterna electione, quatenus contemplatus est nos in Christo, ea decrevit non imputare: & praeterea in Christo, cum pro nobis pateretur, illa expiavit: & deinde cum nos vocat, & excitata in nobis fide ac poenitentia nos justificat, tunc re ipsa remittit peccata. Atque huc spectant scripturae nos justificari per fidem, &c. Ergò cùm Apostolus jubet, ut condonemus fratribus καθὼς & Deus condonavit nobis: priorem quidem modum propriè intelligit, sed alterum non excludit: quorum unus (*ut supra docuimus*) ad nostram propriam salutem necessarius est, alter ad proximi. Jubemur enim tam proximum quam nos ipsos diligere.

Secundo, quod ait, Deum condonasse ἐν τῷ Χριστῷ docet remissionem peccatorum nemini donari, nisi in Christo & per Christum: per Christum tanquam Mediatorem, per quem solum expiata sunt: in Christo item tanquam in capite, in quo electi omnes insiti sunt per Spiritum fidei. Nemo enim re ipsa consequitur remissionem, nisi per fidem fideíve Spiritum Christo insitus sit.

Tertio, considerandum, quî fiat, quod hîc Pater dicitur condonasse in Christo: Col. autem. 3. dicitur Christus condonasse: *quemadmodum* (inquit ibi Apostolus) *Christus condonavit vobis, ita & vos, &c.* Duo docemur: Christum non minus quàm Patrem esse verum Deum: solius enim Dei est propriè remittere peccata. Deinde Remissionem non fieri à Patre, nisi intercedat Mediator sua voluntate & passione ac sacrificio. Et rursus, Mediatorem non remittere, nisi ex Patris voluntate misericordia atque gratia *Joan.* 5. Quaecunque facit Pater, eadem & Filius similiter facit. His ita explicatis, quae sunt ad callem cap. quarti: faciliùs intelligemus quid sibi velit Apostolus, cum ait initio cap. quinti:

Γίνεσθε οὖν μιμηταὶ τοῦ Θεοῦ ὡς τέκνα ἀγαπητά.

His verbis *primo* proponit nobis Deum ad imitandum. Sed quanam in re? In

In condonandis potissimùm offensis. *Secundo* docet, quorum propriè sit Deum imitari: filiorum, idque eò magis, quo magis diliguntur à Patre & diligi cupiunt: quae duo sunt instār calcarium ad Deum in ea parte & in bonitate imitandum.

1. Ad primum quod attinet, *hoc est*, ad imitationem, sunt qui hunc locum sic interpretentur, ut in fine cap. 4. de imitatione in condonandis injuriis locutus sit Apostolus, initio autem cap. quinti de imitatione generali loquatur, qua, *scilicet*, studere debemus Deum imitari in justitia & sanctitate, de qua illud est: Sancti estote quia Ego sanctus sum. Et Christus *Mat.* 5. Estote igitur perfecti, sicut & Pater vester perfectus est: ita cum hac generali propositione connectunt quaecunque sequuntur de vitanda impuritate vitae & sequenda sanctitate. Non improbo: simplicior tamen videtur mihi prior interpretatio, quae est etiam Scholiorum Graecorum, ut, *scilicet*, hoc initium conjungatur cum superiori versu, & concludat Apostolus, Quando Deus vobis condonavit in Christo, & vos igitur imitatores ejus estote in hac bonitate & condonatione injuriarum. Ut ita restringam ad condonationem injuriarum, facit particula illativa οὖν, Igitur: & deinde quae subjicit de sacrificio Christi, quo peccata nostra expiata sunt. Modum enim explicat, quo Deus Pater nobis in Christo condonavit peccata. Explicata verò hac doctrina de condonandis injuriis ad exemplum Dei & Christi, redit ad generalem dehortationem ab aliis vitiis, & adhortationem ad alias Christianas virtutes. Sed haec diversitas non est tanti.

1. Tria ad omnem illam verámque imitationem requiruntur: *primum*, ut facias quod alter quoque, cujus exemplum tibi imitandum suscepisti, facit. Nam si tantum modo admiseris factum alterius, & non ad idem faciendum te accingas, tu non potes dici illum imitari. *Secundum* est, ut, quod facis, facias ex studio imitandi. Ideo liberi non dicuntur imitari parentem in edendo, quia hoc à natura ducti faciunt. *Tertium* est, ut ad formam qualitatemque operum ejus, quem vis imitari, pro virili tua te componas, aut quàm proximè accedas. Atque hanc vim habet verbum μιμέομαι, unde μιμητης, imitator. Ideo Plato pictores propriè vocat μιμητάς.

Primum igitur requirit Apostolus à nobis hoc verbo, Estote imitatores mei, ut condonemus injurias, hoc est prímum. Quare, nisi condonemus, non sumus imitatores Dei in condonandis injuriis. *Secundo*, ut condonemus, non ex quadam naturae ad ignoscendum propensione, quae tamen nulla est in homine corrupto, neque ex necessitate, quia non potes ulcisci: sed ex studio & proposito imitandi Dei clementiam & φιλανθρωπίαν. Proinde Gentiles, ut Caesar clementissimus, licèt condonarent injurias, tamen non erant Dei imitatores: quia non ut Deo parerent, aut ut Deum imitarentur, haec faciebunt, sed ex naturae ductu & alias ob causas. *Tertio*, requiritur, ut formam ignoscendi & condonandi pro virili persequamur, nempe ut *sicut Deus totam injuriam condonat, sic nos: & sicut ille quod semel remisit, non amplius imputat, sic nos: & sicut gratis remitttit, sic nos: & sicut ille condonat sine respectu personarum, sic nos.* In his consistit vera imitatio: in facto, in studio imitandi, in

in similitudine & conformitate facti. Praecipua verò pars hujus imitationis consistit in sincero studio Deum imitandi: modo & facti negligentiam & magnam dissimilitudinem agnoscamus & deploremus. In his quae Deus praecipit, ubi verum viget studium & pium faciendi propositum, ibi voluntas pro facto reputatur. Atque hoc de imitatione dictum esto: ubi admiranda est Dei bonitas, quod non solùm jubet, hortatur, docet, quid faciendum sit nobis: sed etiam seipsum proponit exemplum ad imitandum.

II. Sequitur quorumnam sit imitari Deum, cùm in aliis virtutibus & perfectionibus tum maximè in condonandis injuriis. Hinc enim stimuli ad imitandum sumuntur.

Duo sunt hominum genera, ad quos cum primis studium imitandi pertinere videtur; discipuli & filii: idque meritò; Deus enim & parentes liberis, & praeceptores discipulis tanquam exempla virtutum, quae imitentur, proposuit. Discipulorum igitur est imitari praeceptores in iis, quae illi profitentur, studiis, & quorum causa discipuli ad eos audiendos accedunt: & liberorum parentes. De discipulis Apostolus etiam dicebat Corinthiis: *Imitatores mei estote, sicut & Ego Chrisi* 1. Cor. 4. Et Thessalonicensibus, *Nosmetipsos formam dedimus vobis ad imitandum* 2. Thess. 3. 9. Et Christus Apostolis, *Vos vocatis me Magister & Domine, & bene dicitis, sum etenim. Si igitur Ego Dominus & Magister lavi pedes vestros, ita & vos debetis mutuo alii uliis lavare. Exemplum enim dedi vobis, ut, quemadmodum Ego feci, & vos faciatis.* Joh. 3. 12. &c. De filiis verò Christus ait Matth. 5. *Diligite inimicos vestros, &c. ut sitis filii Patris vestri, qui in Coelis est.* Sic Apostolus hîc, *imitatores igitur sitis Dei, sicut filii Dilecti.* Sensus est: Proprium liberorum est imitari mores & exempla parentum: hoc est à natura: Atqui vos estis filii Dei per gratiam; Ergo, &c. Deus autem Pater condonavit vobis: Debetis igitur & vos, &c. Atque haec *ratio prima* fuit, qua Ephesios ad imitandam Dei clementiam exstimulavît.

Secunda: Quia non solùm filii estis, sed τέκνα ἀγαπητά. Quasi dicat: Proprium filiorum est imitari parentum exempla: multo verò magis si videant se à parentibus amari, illísque esse gratos & acceptos. Atqui vos non solùm estis filii: sed etiam illi carissimi atque ab eo dilecti. Ergo &c.

Tertia ratio in hac etiam dictione ἀγαπητὰ continetur. Ἀγαπητὸς non tam significat dilectum, quàm diligibilem & amabilem, dignum qui ametur. Sic de Christo Pater, *Hic est filius meus* ἀγαπητὸς, &c. *id est*, non solum à me amatus & dilectus, sed etiam dignus est, qui a me ametur. Ratio igitur tertia sic formatur. Quo quis filius magis imitatur parentum mores, eo magis sese illis reddit ἀγαπητὸν & amabilem. Res est certissima, & quotidie experimur. Ergo si vultis in dies fieri Deo Patri magis ac magis amabiles, imitatores illius estote, imitatores, inquam, ὡς τέκνα ἀγαπητά.

Observandum verò in hac adhortatione, ad condonandas injurias, Apostolum fidem certam de remissione peccatorum nostrorum à nobis exigere: quod sine hoc adduci nemo possit ad injurias verè & ex animo condonandas: & hoc fecit partim suprà, cùm dixit, *Condonantes vobis ipsis sicut & Deus condonavit vobis in Christo:* partim hîc, cùm ait, *Estote igitur imitatores Dei &c.*

Oporte

Oportet igitur imprimis credere peccata nobis esse remissa à Deo in Christo & propter Christum: alioqui ad ignoscendum ex animo nunquam adducemur. Quomodo igitur cohaeret doctrina illorum, qui volunt ut dubitemus de remissione peccatorum, & interim tamen urgent ut condonentur injuriae? Sciamus ergo & pro fundamento Christianae pietatis teneamus hoc primum principium: fidem, *id est*, certissimam persuasionem de remissione peccatorum, ex sola paterna Dei clementia, & per solum Jesum Christum condonatorum, causam esse omnium virtutum, omnium bonorum operum, veraeque obedientiae; ac nullo modo fieri posse, ut quis ex animo aliis remittat injurias, nisi verè credat sibi suas imprimis remissas esse à Deo in Christo. Proinde in oratione dominica utrumque conjunxit Christus, remitte nobis, sicut & nos remittimus. Vult ut petamus ex fide remissionem peccatorum, & ex hac fide ad condonationem excitemur magis ac magis: & est argumentum à posteriori: Tu dedisti nobis ut remittamus debita debitoribus nostris. Ergo sicut alia peccata nostra nobis prius condonasti, sic petimus, ut remittas debitumque à nobis non exigas.

Summa est, Christum velle ut ex fide de remissione peccatorum nostrorum excitemur ad remittendum fratribus: & rursus à gratia, qua donati sumus ut remittamus aliis debita, magis ac magis in fide confirmemur, Deum eos, qui ex fide petunt remissionem peccatorum, exauditurum. Est enim hîc reciproca argumentatio à causa ad effectum, & ab effectu ad causam. Atque haec de primo, hoc est, de imitando Deo in condonandis injuriis: cujus studii fundamentum est fides de remissione peccatorum nostrorum. De secundo sic ait.

V. 2. Et ambulare in dilectione, sicut & Christus dilexit nos.

Pertinent haec ad explicationem illius particulae praecedentis capitis, ἐν τῷ Χριστῷ.

Duo autem hîc, imo tria exigit á nobis Apostolus. *Primum*, ut credamus quod hîc dicit de Christo, nempe nos non solùm à Patre, sed etiam à Filio ejus Jesu Christo fuisse ita amatos & amari, ut seipsum dederit in mortem pro nobis oblationem & hostiam: atque ita vult, ut certiores magis ac magis fiamus de remissione peccatorum nostrorum propter Christum: haec est fides.

Deinde postulat, ut ex hac fide & ex sensu dilectionis Christi erga nos nos vicissim afficiamur vera dilectione Dei ac Christi, & eorum quos ipse dilexit, & pro quibus tradidit semetipsum: haec est caritas, tum erga caput Christum, tum erga membra, *id est*, erga fratres nostros, filios Dei dilectos.

Tertio, ex consequenti haec de Christi dilectione ac beneficio narrat, ut ex ea fide & caritate in corde cujusque nostrum accensis, cúm ad alia officia praestanda tum maximè ad condonandas fratribus injurias excitemur. Ad eundem enim scopum pertinent haec, quae de Christi dilectione & beneficio narrat, ad quem etiam superiora, quae de Deo Patre dixit, ut, *scilicet*, & a fide et a caritate excitati facilius condonemus injurias fratribus, pro quibus Christus mortuus est. Nam fides in nobis & caritas causae sunt, tum ut condenemus ex animo injurias fratribus, tum ut haec condonatio sit Deo grata. Fides enim operatur per caritatem, & opera nostra Deo grata reddit. Ergo quo efficacius ad fraternam dilectionem & ad condonationem injuriarum excita-

citaremur, Apostolus non contentus exemplo Dei Patris, qui condonavit nobis & qui dilexit in Christo, subjecit exemplum etiam Filii Mediatoris, qui dilexit nos & tradidit semetipsum pro nobis. Immediatum igitur propositum Apostoli in iis verbis fuit, ut exemplo dilectionis Christi nos quoque ad eosdem amandos, quos & Christus amavit, excitaret: & per consequens, ad injurias illis remittendas exstimularet, pro quorum peccatis Christus quoque suum effudit sanguinem & tradidit se hostiam & oblationem. Ideo ait: *Et ambulate in dilectione.* Haec enim caritas, quae ex fide nascitur, est proxima causa omnium bonorum operum. Ideo rectè hîc scholia ἰδού, πάντων τῶν καλῶν ῥίζα ἀγάπη, ταύτης γὰρ οὔσης καὶ ἡ φυγὴ τῶν κακῶν καὶ ἡ ποίησις τῶν ἀγαθῶν εὐχερῶς κατορθοῦται.

Nunc tenemus causam, cur iis, quae suprà dixit de Patre peccata nobis in Christo condonante, subjecerit exemplum Christi, qui pro remissione peccatorum sese obtulit Patri victimam: causa est ut nos utriusque & Dei & Mediatoris exemplo excitati facilius ad fratres amandos & ex amore ad injurias illis condonandas adducamur. *Ambulate igitur in dilectione*, ἐν ἀγάπῃ.

Quid est ambulare in dilectione? Non est simpliciter diligere: sed totam vitam in caritate transigere, ita ut omnia à caritate fluant, in caritate fiant, & in caritatem desinant. Hoc demum est ambulare in caritate, *id est*, totum vitae nostrae curriculum perficere in caritatis effectu atque officiis: inter quae caritatis officia non postremum obtinet injuriarum condonatio. Non debet igitur, imo ne potest quidem, si vera sit caritas, esse otiosa. *Caritas* (inquit Apostolus ad Corinth.) *patiens est, benigna est*, &c. 1 Cor. 13.

Confirmat hoc exemplo Christi, qui certè non dilexit otiose, sed ita dilexit nos, ut primum totam suam vitam in salutem nostram impenderit: & deinde ad extremum seipsum dederit mactandum pro remissione peccatorum nostrorum & reconciliatione cum Deo Patre: & ita verò ambulavit in dilectione. Ergo si adsit caritas, & facilè condonabimus injurias, & condonatio haec grata fuerit Deo. Proinde ad dilectionem hortatur, idque exemplo Christi, dicendo, *Ambulate in dilectione, sicut & Chistus dilexit nos.*

Illud καθὼς καὶ ὁ Χριστὸς, duplicem potest habere sensum: primum, ut conjungat cum nostra dilectione, ad quam hortatur, dilectionem Christi, qua prior dilexit nos; quasi dicat, debetis vos invicem diligere, quia etiam Christus prior dilexit vos. Alterum, ut cum dilectione Patris conjungat Christi dilectionem: quasi dicat καθῶς non solum Pater, sed etiam Christus dilexit &c.

Dictio autem ipsa καθῶς particula est similitudinis, non aequalitatis: quomodo alioqui possit amor noster erga proximum comparari, nedum exaequari dilectioni Christi erga nos? Supra cap. 3. vers. 19. dilectionem Christi erga nos, vocavit ἀγαπὴν τοῦ Χριστοῦ ὑπερβαλλοῦσαν τῆς γνώσεως. *Est n. sincerissima, immensa, infinita, constantissima, aeterna; nostra verò imperfecta, mixta cum* φιλαυτίᾳ, *finita, inconstans.* Quae autem proportio finiti ad infinitum? Satis igitur fuerit, si ejus dilectionem imitari studeamus. Atque hoc voluit Apostolus, dicendo, *Ambulate in caritate*, καθῶς *& Christus dilexit nos.* Et certè ambulare in dilectione nil aliud nobis est quàm fieri imitatores & Dei, qui est caritas, & Christi, qui dilexit nos, &c.

Porrò

Porrò non ait ἠγάπησεν, quasi nunc non amplius amet; amat semper & in perpetuum, & ad finem usque diligit suos. *Caritate perpetua dilexit te &c.* Sed ita locutus est Spiritus Sanctus per Apostolum: primo, ut significaret ejus amorem esse aeternum, luculenter autem declaratum in vita ejus & passione: secundo, ut discerneret amorem, quo nos amabat adhuc inimicos, ab eo quo nunc.

Illud ἡμᾶς nos complectitur omnes electos, tam ex Judaeis quam ex Gentibus. Habet igitur vim magni duplicisque argumenti, quasi dicat Apostolus, Christus dilexit nos omnes: cur igitur non diligamus nos mutuo alii alios, quos omnes Christus prior dilexit, & pro quibus omnibus mortuus est? Vult ergo ut dilecti à Deo Patre & Christo diligamus eos, quos Pater & Filius prius dilexerunt. Ita duo hîc sunt argumenta ad dilectionem fraternam nos excitantia: unum, quia qui vult ut diligamus nos mutuo, ille prior dilexit nos omnes: aequum igitur est, ut dilecti diligamus: alterum, quia quos vult à nobis diligi, ipse eos prior dilexit; aequum igitur est, ut ab eo dilectos diligamus. Hunc locum illustrat ille qui est apud Johan. cap. 15. unde Apostolus hanc sumsit adhortationem. Christus ibi quoque suos hortatur ad fraternam dilectionem, & utitur argumento ducto à Patris & sua dilectione: *Sicut dilexit me Pater, & Ego dilexi vos.* Sic autem Pater dilexit Filium, ut tamen eum pro nobis dederit in mortem: Ergo nos in Christo dilexit. Io. 3. Et postea subdit Christus: *Hoc est praeceptum meum, ut diligatis vos invicem, sicut dilexi vos.* Et magnitudinem sui amoris ostendit, quemadmodum & Apostolus hîc facit, à passione & morte, quam passus est pro nobis, dicendo: *Majorem dilectionem nemo habet, quàm ut quis ponat vitam suam pro amicis suis.*

Caeterùm Apostolus, ad hanc partem quod attinet, fusius eam explicat, cum ait.

Et tradidit semetipsum pro nobis oblationem & hostiam Deo, in odorem bonae fragrantiae.

Singula ferè verba dilectionen Christi erga nos amplificant, & quam magna illa fuerit atque sit luculenter ostendunt. *Christus* (inquit Apostolus) *dilexit nos, &* (nempe in testimonium hujus amoris) *tradidit semetipsum.* &c.

1. Quis est, qui haec pro nobis praestitit & passus est? Christus. Quid est Christus? Filius Dei aeternus, unus cum Patre Deus, rerum omnium conditor, per quem omnia consistunt & reguntur, Rex regum, & Dominus dominantium. Idem etiam homo, omnium nobilissimus, sine peccato, plenus gratia & veritate: in quo omnes thesauri sapientiae & scientiae absconditi sunt. Haec personae circonstantia. quae nos amat, & quae ex amore pro nobis passa est, amorem hunc in infinitum auget. Argumentum tale est à comparatis: Magnum est amari à Rege, majus Regem pro servo pati; quid igitur, Filium Dei nos amasse & pro nobis passum esse?

2. Quinam illi quos diligit? Eramus non amici, sed inimici. Explicat hoc ad *Roman.* cap. 5. Si, cùm inimici essemus, Christus pro nobis mortuus est: quanto magis reconciliati salvi erimus ab Ira in vita ipsius? &c. Item ad *Gal.* cap. 1. Qui dedit semetipsum pro peccatis nostris. Ergo pro nobis peccatoribus.

Argu-

Argumentum tale est: Pro amico pati magnum est amoris testimonium: quid verò si etiam moriatur pro illo? Sic Christus *Joh.* 15. Majorem caritatem nemo habet, quàm ut quis ponat animam pro amicis suis. Et *Roman.* 5. Vix pro justo quis moritur; Quanto igitur majus testimonium est dilectionis, si quis pro inimico & pro injusto moriatur? Hoc verò est, quod hîc docet Apostolus, dicendo: Et tradidit semetipsum pro nobis, scilicet, tunc inimicis & injustis. Et qualibus injustis? qui omnia transgessi mandata fueramus Dei, blasphemi, rebelles, &c.

3. Quid verò egit pro nobis? Tradidit semetipsum, &c. Sic *Gal.* 1. Qui dilexit me, & tradidit semetipsum pro me. Ab universali quisque debet ad suum particulare hoc Christi beneficium transferre. Nam si pro nobis omnibus, ergo pro singulis se tradidit in mortem.

Quaestio hîc movetur, quomodo Christus dicitur tradidisse seipsum, cum Pater tradidisse dicatur: Johan. 3. & alibi, ut *Roman.* &. Qui proprio Filio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum?

Respondeo: Nulla est pugnantia: Pater tradidit ex caritate erga nos, *id est*, voluit & constituit ut Filius traderet seipsum in mortem pro nobis. Quid igitur mirum, quod Filius tum ex eodem àmore erga nos, à quo & Pater, tum ut Patri obediret, sese tradiderit? Utramque causam tradunt scripturae: quod, *scilicet*, Christus tradiderit se ex obedientia *Philip.* 3, Factus obediens usque ad mortem. Item Christus: Et sicut mandatum mihi dedit Pater, sic facio. De amore erga nos locus hic est perspicuus, & confirmatur Roman. 5. & alibi. Non igitur pugnant, quod & Pater tradiderit Filium, & quod Filius tradiderit seipsum. Imò hinc confirmatur Deitas Christi, quia *Joh.* 5. Quaecumque facit Pater, eadem & Filius similiter facit. Atque haec circumstantia magis auget amorem hunc, quo dilexit nos: quia amorem Patris includit, & amorem filii firmiorem reddit & sinceriorem. Est enim idem amor, qui & Patris, qua Deus est: qua homo verò, conformis est ejus amor amori Patris & suae Deitatis. Tradidit igitur revera seipsum. Si tradidit igitur volens & sciens se tradidit. *Jes.* 53. Oblatus est, quia ipse voluit. Major igitur amor, quo etiam liberior & magis voluntarius.

Non dicit autem: occidit se, sed tradidit semetipsum, *scilicet*, mactandum, eoque hostiam Deo Patri. Nemini enim licet neque Filio Dei sese occidere: sed ut alii morte liberentur, sese morti offerre licet. Imo 1. Joh. 3. ait, Ab hoc exemplo Christi & nos debemus vitam pro fratribus ponere, *id est*, exponere ad mortem.

Item, si tradidit seipsum, ad hoc igitur ordinatae fuerunt actiones Judae, per quem traditus fuit in manus Pontificum Judaeorum, qui eum tradiderunt Pilato, qui eum tradidit Gentibus, *hoc est*, militibus crucifigendum. Quo pertinet illud Christi ad Pilatum: Non haberes potestatem adversus me ullam, nisi tibi datum esset desuper: *Joh.* 19. 13. Et ad Judam: quod facis, fac citò; et Apostoli in Actis c. 4. O Deus, convenerunt Herodes & Pilatus adversus sanctum Filium tuum Jesum, quem unxisti, ut facerent quaecunque manus tua & consilium tuum decreverunt, ut fierent. Si enim tradidit semetipsum, ille qui Deus est, & qui elegerat ab aeterno Apostolos, & per haec media

tradidit se: omnia igitur haec ad hanc suam traditionem ordinaverat, uná cum Patre & Spiritu Sancto.

Hinc quoque magnitudo amoris inclarescit: quia omnia, quae ad ignominiarum plenam suam mortem pertinuerunt, ipse ea sibi propter amorem, quo nos amabat, ab omni aeternitate praeparaverat atque sponte delegerat.

4. Quid tradidit pro salute nostra? Non aurum neque argentum, ut 1. Petr. 1. scribitur: neque Angelum aliquem, sed seipsum *(inquit Apostolus)* Quid est seipsum? Totam suam personam. Non igitur solum corpus, nec solam animam, sed totum seipsum, Filium Dei & Filium hominis. Id verò necessarium fuit: quia si solam, quam assumpserat, humanam naturam tradidisset, efficax victima ad expianda peccata Mundi non fuisset. Ut igitur victima vim haberet ad expiationem peccatorum, totum seipsum tradidit Deum & hominem. Proinde de toto Christo dicebat Johannes: Ecce Agnus Dei, qui tollit peccata mundi. *Et Act.* 20. Deus redemit Ecclesiam sanguine suo; ideo igitur sanguis efficax fuit, quia Dei sanguis fuit; et sic illud Petri intelligendum est, redempti estis pretioso sanguine Agni immaculati, Agni, *scilicet*, qui non homo tantùm, sed etiam Deus est. O igitur immensum amorem, quando pro nostra salute totum seipsum tradidit Christus Deus & homo! Unde & Apostolus ait 1. Corint. 2. Deum gloriae fuisse crucifixum. Sed neque aliter fieri poterat, quia naturam humanam inseparabili unione sibi in unitatem personae copularat filius Dei Deus. Proinde tradi haec non potuit, quin tota persona traderetur cum carne assumpta. Et quidem in hunc finem unionem hanc inseparabilem fieri voluit, ut totus fieret victima pro nobis.

Sed num propterea dicimus naturam divinam in Christo passam fuisse? Nequaquam. Ratio: quia pati non potuit: alioqui divina non fuisset & simplicissima. Est enim proprium Dei non posse pati, non posse mori. Totus igitur Christus passus est, sed non totum (ut ex Augustino loquimur in Scholis) id est, non secundum se totum, sed tantum secundum carnem, seu in carne, ut Petrus ait, Christo igitur passo in carne: 1. *Petr*. 4. Et Apostolus ad Cor. ait, eum mortuum esse ex infirmitate carnis, vivere autem ex virtute Dei, 2. *Cor*. 13.

Quòd si (κατ᾽ ἀδύνατον loquor) fieri potuisset, ut etiam secundum naturam divinam pateretur, non dubito quin secundum illam quoque pati voluisset. Tantus fuit & est amor Christi erga nos. Superat enim omnem cogitationem, ait Apostolus Eph. 3. ut in Christum illud competat *Jes*. 5. Quid potui facere vineae meae & non feci? Ergo ex eo, quod totum seipsum tradidit pro nobis, tametsi secundum solam humanam naturam passus sit: quantus tamen sit illius erga nos amor, luce clarius elucescit. Pertinet huc illud 1. *Johan*. 3. In hoc cognoscimus charitatem Dei, quia ille posuit animam suam (id est vitam) pro nobis. Audis quem vocet Deum? Pater certe non posuit vitam suam, sed Filius. Est etiam tacita ἀντίθεσις inter Sacerdotes veteris Testamenti & hunc Novi. Illi animalia, hic seipsum obtulit. Hoc autem erat proprium Messiae. Jes. 53.

5. Illud verò quod sequitur vera est amoris hujus immensi explicatio. Ait

 enim,

enim, Christum tradidisse seipsum pro nobis προσφορὰν καὶ θυσίαν. Prima vox generalis est, omnia complectens sacrificia: altera specialis, cruentum significans. Omnia enim ferebantur πρὸς, *id est*, in conspectum Dei & Ecclesiae: sed quaedam cum sanguine, alia sine sanguine. Apostolus igitur primum innuit omnia veteris Testamenti sacrificia sub iis duobus generibus comprehensa fuisse, sub προσφορᾷ & sub θυσίᾳ: quorum primum erat sacrificium Eucharisticum, alterum ἱλαστικὸν. Scholia vocare solent unum sacrificium pacificum, alterum pro peccatis, ídque non sine testimoniis S. literarum. *Unum* enim erat peccato condonando: *alterum* pro beneficiis acceptis in Deum referendis, *id est*, gratiarum actio. Beneficia autem & res prosperae apud Hebraeos nomine pacis significantur. Dubiùm igitur non est, quin omnia sacrificia ad haec duo referantur, ad ἱλαστικὸν & ad Eucharisticum. Perpetua hujus oblatio erat juge illud sacrificium, de quo *Lev.* 6. matutinum & vespertinum. Perpetuo enim opus erat, sicut remissione peccatorum, sic etiam gratiarum actione. Apostolum autem voluisse hoc innuere his verbis manifestum est, quià scopus illius fuit demonstrare omnia veteris Testamenti sacrificia in uno Christo fuisse completa, tanquam in eo, qui substantia fuit omnium sacrificiorum, & cujus respectu sacrificia veteris Testamenti erant illi grata; secus vero, *id est*, si sine fide in Christum, ingrata. Cum igitur ait, *Christum tradidisse seipsum oblationem & hostiam*, significare voluit Christum omnia sacrificia veteris Testamenti in sua persona complevisse: quià in προσφορᾷ omnia Eucharistica, in θυσίᾳ autem omnia ἱλαστικὰ continentur. (Atque hoc de iis duabus vocibus dictum esto.)

Notandum est, quando & quomodo Christus sese tradiderit προσφορὰν καὶ θυσίαν. Tota sua vita verbis & factis Eucharisticum sacrificium obtulit. Quo illud, Gratias tibi ago, Pater, quod semper me audis, *Joh.* 12. Semper igitur etiam gratias vel animo habebat, vel verbis agebat, vel obedientia referebat atque praestabat. Item illud Johan 17. *Ego te glorificavi super terram*, pertinet ad hanc προσφορὰν. Ad summam: Omnes illius actiones absque sanguinis effusione fuerunt προσφορὰ, *id est*, ipsismet suis illis actionibus & obedientia erat haec προσφορὰ, ut Apostolus docet. Agebat enim in gloriam Patris omnia cum summa animi promtitudine. Hanc προσφορὰν atque Eucharisticum sacrificium speciali quadam actione obtulit in ultima Coena, quando sumto pane & calice in manus, illísque tanquam primitiis Deo oblatis, gratias egit nomine omnium electorum pro omnibus beneficiis à Deo Patre acceptis & accipiendis, tam corporalibus quam spiritualibus. Hac igitur ratione sese tradidit προσφορὰν Patri Christus.

Θυσίαν verò (*qua voce significatur cruentum sacrificium*) obtulit, quando passio ipsius inchoata est, sanguinémque suum pro peccatis nostris effudit. Hinc etiam liquet, eundem Christum esse & Pontificem offerentem & hostiam oblatam.

Hoc est praecipuum illud argumentum, quo utitur Apostolus, ut demonstret dilectionem Christi erga nos esse immensam. Quid ita? Quia seipsum tradidit pro nobis oblationem & hostiam Deo. Uno enim sacrificio expiavit peccata nostra, & nos reconciliavit Deo: altero praestitit omnia gratiarum actionis officia, quae nos Deo debebamus atque debemus. Quantum igitur hoc beneficium

ficium, quantúsque amor? Beneficium in rei magnitudine spectatur, amor verò in animo, & in modo quo praestitit. In sua enim persona omnia ex summa caritate praestitit.

Atque hinc etiam factum est, ut illa & προσφορὰ & θυσία fuerit Deo gratissima, & apud eum efficacissima.

6. Hoc igitur est, quod sexto loco subdit, dicendo: τῷ θεῷ, nempe hostiam tradidit. Quare Deo? Quia is erat placandus; & justitiae ejus satisfaciendum: cùm omnia peccata adversus Deum essent admissa, nullis verò sacrificiis ab orbe condito fuerit ei satisfactum, aut peccata fuerint expiata. Quid enim alioqui hinc consecuturum erat? Totius humani generis interitus. Hoc verò illius erga nos amor ferre non poterat. Merito igitur se obtulit hostiam Deo pro nobis. Quis non videt dilectionem erga nos Christi?

Ex hoc certè loco apparet, nullis unquam operibus, nullísve sacrificiis, potuisse Deo satisfieri absque hoc Christi sacrificio: quando necesse fuit, ut Christus sese oblationem & hostiam offerret Deo. Atque hoc est, quod alibi scribit Apostolus, Christum sanguinem fudisse in remissionem praecedentium delictorum. Et sic *Heb* 9. Itaque ob id Novi Testamenti Mediator est, ut morte intercedente in remissionem earum praevaricationum, quae erant in Veteri Testamento &c., significans praecedentia etiam delicta nunquam fuisse ullis sacrificiis expiata. Hanc vim habet particula haec, *tradidit se hostiam Deo.*

7. Docet quam vim atque efficacitatem habuerit haec hostia, dicendo: εἰς ὀσμὴν εὐωδίας: ἀνθρωποπάθεια est, quod Deo attribuat odoratum. Nihil autem aliud significat hac locutione, quam hostiam hanc fuisse Deo gratissimam, & ea placatum fuisse. Alludit enim ad victimas veteris Testamenti, quae non sine fumo & carnium odore, in conspectum Domini ceu ad nares ejus ascendente, immolabantur. Sed simul etiam significabat Deum nullius unquam sacrificii odore delectatum fuisse, ita ut peccata ignosceret, nisi hujus sacrificii Christi fragrantia. Ergo hac particula exprimere voluit unici hujus sacrificii efficacitatem.

1. At inquies, idem legimus saepe de aliis etiam sacrificiis, quod Deus odoratus fuerit odorem suavitatis seu fragrantiae in illorum oblatione, ut *Genes.* 8. Noë obtulit super altare, odoratúsque est Dominus odorem suavitatis. Item *Exod.* 29. & ita saepe in aliis sacrificiis. Non igitur haec φράσις de sacrificio Christi ita ejus efficacitatem significat, ut neget alia sacrificia fuisse Deo grata.

Respondeo: Sacrificia illa bifariam considerari posse, aut per se, aut quatenus offerebantur ex fide in hoc Christi sacrificium. 1. Per se nulla hunc, de quo loquimur, fragrantiae odorem habuerunt. Ratio: quia res erant creatae & viles ac virtutis finitae, ad corpus tantum pertinentes. Ideò adversus eos, qui illis sacrificiis fidebant, dicebat Deus per Prophetas, se iis non egere nec delectari: suum esse orbem terrarum &c. Vide Psal. 50. Jesai 1. Amos. 5. Mich. 6. & David, *Sacrificium* inquit, *& oblationem noluisti* Psal. 40. Ergo per se considerata illa sacrificia nunquam odorem fragrantiae habuerunt in conspectu Domini.

Quatenus autem referebantur ad sacrificium Christi, & ex fide in Christum offerebantur, eatenus fuerunt Deo grata & accepta. Docet hoc Apostolus ad

Heb.

Heb. cap. 11. *Per fidem uberiorem hostiam obtulit Abel quam Cain.* Quid? quod nunc idem contingit: Nulla nostra sacrificia Deo grata sunt, nisi quatenus ex fide in Christum offeruntur, 1. Petr. 2. Offerentes hostias spirituales, acceptabiles Deo. *Quomodo?* Per Jesum Christum, *inquit Petrus.* Idèo Ecclesia suas preces, quae sunt sacrificia laudis, claudere solet hac particula, *per Christum Dominum nostrum &c.* Ergo, sine fide in hoc sacrificium Christi, omnia humana sacrificia, tam veteris quam novi Testamenti, foetent in conspectu Domini; *Jes. ultimò.* Qui immolat bovem, est sicut qui interficit hominem, &c. Manet igitur firmum, solam hanc hostiam per se oblatam fuisse in odorem bonae fragrantiae. Nam de sola etiam Christi persona dixit Pater: Hic est filius meus dilectus, in quo (scilicet solo) mihi complacui.

3. Sed quaeritur etiam, unde hujus hostiae Christi efficacitas fuerit?

Respondeo, *Primum*, & principaliter, & per se, à persona, quae sese obtulit pro nobis. Erat enim & est Deus, eóque virtutis infinitae. Inde fiebat & fit, ut caro & sanguis ejus eadem participent virtute Johan. 6. explicatur de carne Christi. Quo & illud *Act.* 20. Deus redemit Ecclesiam sanguine suo. 1. *Joh.* Sanguis ejus mundat nos ab omni peccato. Quid ita? Quia sanguis non est taurorum, neque merè humanus, sed sanguis Filii Dei. Causam hanc attingit Apostolus, dicendo, *Christus tradidit seipsum.*

Secundo, Accedit perfecta hujus personae obedientia erga Patrem. Ideo enim tradidit se, ut etiam obediret Patri: *Phil.* 2. Factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis. Propter quod etiam eum exaltavit Deus &c.

Tertio. Accedit amor charitàsque immensa & infiniti valoris. Hanc tradit Apostolus, dicendo, *sicut & Christus dilexit nos*, nempe, & qua Deus, eodem, *scilicet*, amore, quo & Deus Pater: & qua homo, ac proinde amore sanctissimo, purissimo, Patri gratissimo.

Quarto, hinc sequitur adimpletio legis, juxta illud: Qui diligit proximum, legem implevit. Christus autem perfectissima charitate & Deum Patrem & nos dilexit, & ex hac dilectione sacrificium obtulit pro peccatis nostris.

Quinto, Accedit, quod nullo unquam peccato contaminatus fuit, ut opus ei fuerit offerre etiam pro se, sicut cogebantur Sacerdotes veteris Testamenti. Hanc tangit Apostolus, dicendo, Tradidit semetipsum pro nobis: quasi dicat, non pro se, quia sine peccato erat, sed tantum pro nobis. Quia igitur immaculatum se obtulit, inde virtus expiandi peccata. Hanc explicat ad *Hebr.* 9. dicendo: Si igitur sanguis taurorum & hircorum &c. inquinatos sanctificat ad purificationem carnis: quanto magis sanguis Christi, qui per Spiritum aeternum immaculatum seipsum obtulit Deo, emundabit conscientiam vestram ab operibus mortuis ad serviendum Deo viventi?

Ex iis videmus unde fuerit huic Christi sacrificio vis expiandi peccata, nosque Deo reconciliandi. Meritò igitur dixit Apostolus Christum seipsum pro nobis (tantum) oblationem & hostiam obtulisse Deo εἰς ὀσμὴν τῆς εὐωδίας. Solum enim hoc sacrificium per se fuit εἰς εὐωδίαν: ac si quae unquam alia dicuntur fuisse aut esse εἰς ὀσμὴν εὐωδίας, ab hoc illam acceperunt & accipiunt, quia, *scilicet*, per fidem in hoc sacrificium oblata fuerunt & offeruntur. Apostolus enim eleemosynas quoque fidelium vocat hostias Deo gratas & ὀσμὴν τῆς εὐωδίας, nempe

nempe propter fidem in Jesum Christum, ex qua omnia fidelium opera proficiscuntur. Phil. 3. Ergo ab hac quoque efficacitate Sacrificii Christi, qui nihil eorum, quibus suum pro nobis sacrificium efficax & Deo gratum redderet, omisit, luculentissimè apparet qualis & quanta fuerit atque sit ejus dilectio, qua nos (ut hìc scribit Apostolus) dilexit. Quorsum verò ista? ut exemplo Christi nos quoque ambulemus in dilectione, sicut & Christus dilexit nos.

O dura & verè saxea corda sunt, quae in iis de amore Christi erga nos auditis non afficiantur amore tum erga Christum, tum erga illos, pro quibus Christus tradidit seipsum oblationem & hostiam Deo in odorem suavitatis, odorem, *inquam*, aeternum & nunquam deficientem! Ac de secundo satis. Faxit Christus, ut haec cordibus nostris imprimantur & penitissimè infigantur altásque agant radices, ad ejus gloriam & nostram salutem.

De Tertio.

Nunc, licet ex iis, quae de dilectione Christi erga nos juxta Apostoli verba diximus, satis etiam quid de ejus sacrificio sentiendum sit, perspicuum fiat: non possum tamen omittere, quin seorsim hac de re breviter aliquid dicam: tum quia per se dignissima est, quae rectè intelligatur, tum propter dissidium, quod inter nos & Pontificios de hoc sacrificio olim excitatum adhuc durat: idque cum summa infinitorum hominum pernicie: quorum alii rem non intelligunt, dico etiam de nostris, alii nolunt intelligere ut bene agant. Quia nolunt intelligere, sed perire in sua ignorantia, pereant; reliquis consulendum est. Locum hunc, sicut & sequentem de Sacerdotio Christi, ad calcem hujus commentarii in cap. 5., ne contextus explicatio interrumpatur, inter locos communes tractatum videbis.

SECUNDA PARS CAP. V.

Sequitur nunc altera pars cap. quinti, in quo pergit Apostolus describere vitae Christianae perfectionem.

V. 3. Scortatio autem & omnis immunditia &c. usque ad vers. 21.

Summa hujus partis haec est: *Primum* dehortatur à tribus perniciosissimis vitiis, quae eo etiam perniciosiora sunt, quod vulgo aut pro vitiis non agnoscuntur, aut valde extenuantur & excusantur: haec sunt scortatio omnísque carnis immundities: avaritia & insatiabilis rem faciendi cupiditas: denique triplex vitium linguae, nempe obscoenitas sermonis, stultiloquium, & εὐτραπελία, quam alii vertunt dicacitatem alii scurrilitatem: subjectis gravissimis rationibus cur debeamus ab iis vitiis abstinere; idque facit vers. 3. 4. 5. 6. 7. Idcirco vero tot rationes subdit, quia peccata haec levia videri solent.

Deinde ad generalem adhortationem redit, qua hortatur ut totam vitam nostram instituamus ad voluntatem Dei, & ne cum impiis eorúmque sceleribus com-

communicemus: sed contra illos potius & eorum scelera, non tam lingua quam factis, damnemus: ídque facit argumentis ductis à diversitate status, ad quem vocati sumus. Eramus enim tenebrae, nunc autem lux in Domino: ergo ut filii lucis ambulare debemus. Lucis autem est pellere tenebras, & foeda quaeque detegere ac patefacere. Atque hoc facit vers. 8. 9. 10. 11. 12. 13. 14. 15. 16. 17.

Postremo particulare rursus vitium aliud reprehendit, quod etiam Catholicum erat, & pro vitio ferè non agnoscebatur inter Gentes; vitium nimirum Ebrietatis, qua homines student sese exhilarare; ac quae sit vera & Christiana sese exhilarandi ratio docet: nempe ut repleti Spiritu Dei nos oblectemus Psalmis, hymnis & odis spiritualibus. Atque hoc facit vers. 18. 19. 20. Haec est summa.

Commodum autem, & ante & post mentionem factam condonatarum à Patre in Christo injuriarum nostrarum, & post mentionem sacrificii Christi, de hac Christianae vitae perfectione disserit accuratè, ut, *scilicet*, intelligamus vere neminem per opera, sed sola Dei misericordia, propter Christi sacrificium condonatis peccatis justificari; quando omnes abstinent ab hac sanctitate vitae, aut prorsus alieni aut valdè procul absunt. Nunc singula percurramus.

V. 3. *Scortatio autem & omnis* ἀκαθαρσία (immunditia, impuritas) *aut avaritia ne nominetur quidem inter vos, sicut decet sanctos.*

Nomine *Scortationis*, πορνείας, propriè intelligit concubitum cum scortis & meretricibus: nomine vero ἀκαθαρσίας omnes alias vagas libidines, quibus & animae primum, & deinde etiam corpora contaminantur. Πλεονεξία, à πλεῖον & ἔχειν, insatiabilis est habendi & rem faciendi appetitus: cui opponitur virtus αὐταρκείας. Nulla autem re magis labefactatur fiducia in Deum, quam avaritiâ: Unde & idolorum servitus merito nuncupatur.

Praeceptum Dei per Apostolum hîc explicatum est, ut haec vitia ita detestemur, ut ne nominari quidem inter nos ea patiamur. Deberent enim prorsus esse incognita: tantùm abest ut debeant in usu esse apud Christianae religionis professores. Primam verò rationem subjicit, dicendo καθὼς πρέπει τοὺς ἁγίους. Quasi dicat: Christiani debent esse reipsa sancti juxta illud, *Sancti estote, sicut & Ego sanctus sum.* Haec autem foeda & abominanda vitia pugnant cum sanctitate. Ergo non solum exterminanda sunt ex populo Dei, sed ne permittendum quidem est ut inter Christianos nominentur. Debent enim Christiani sancti & mundi esse, non solum animis & corporibus, verum etiam verbis & sermonibus. Hanc eandem rationem repetit infra, & quidem statim ver. 4. dicendo: τὰ οὐκ ἀνήκοντα. Ac certè haec Apostolica ratio deberet satis esse ad promovendos Christianos (*ii enim sunt illi sancti de quibus loquitur*) ut diligentius studerent sanctitati, & vitia ac peccata à se penitus profligarent: sed aliae etiam porrò subjicientur rationes.

Antequam verò ulterius progediar, non possum facere quin hîc cum summo animi dolore exclamem, *O tempora, ô mores!* Apostolus legis divinae optimus interpres docet hanc esse Dei voluntatem, ut non solùm non admittamus

haec

haec scelera, scortationem & alias immunditias, quas honestatis gratia noluit nominare, sed ut ne feramus quidem illa inter nos nominari. Nunc verò quodnam libidinis genus est, quod in usu non sit apud Christianos? praesertim verò apud illos, qui sanctae Ecclesiae Catholicae nomine gloriantur? Et quomodo peccatur? Impune, ita ut etiam glorientur, cùm malè fecerint. Publica verò scorta & lupanaria passim habentur, frequentantur & defenduntur: ita ut multos etiam non pudeat dicere & docere scortationem aut non esse peccatum, aut saltem non grave peccatum. O igitur tempora, ô mores!

Quid ergo sibi vult, quòd Deus Deut. 23. tam seriò cavit sua lege. (Ne ulla esset meretrix aut scortator in populo suo Israël?) Quid sibi Apostolus 1. ad Cor. 5. tam multa scribens adversus scortationem? Si quis sit inter fratres scortator, non vult ut quis cum illo panem sumat. Et cap. 6. Ex professo adversus hoc vitium scripsit, & ait Deum judicaturum scortatores, non minus quàm adulteros & idololatras. Et in hoc cap. mox dicet scortatores excludi à regno Dei. *Item*. Propter haec peccata iram Dei venire super filios contumaces. Et hîc ait, vitium hoc ne nominari quidem debere inter Christianos, usque adeo res ipsa deberet esse ignota, ut ne nomen quidem teneretur.

Sed qui defendunt lupanaria, & scorta permittenda esse contendunt, mirabilia afferunt argumenta, quae paulo pòst examinabimus: ubi totum hunc contextum, quem prae manibus habemus, absolverimus. *Summa verò est:* Sicut multa alia gentilia scelera & idololatrias retinuerunt, qui Romanis successerunt: sic etiam hoc scelus scortationis. Gentes non judicabant scortationem esse peccatum, unde ille apud Terentium: Non est (*inquit*) flagitium, crede mihi, adolescentulum scortari. Nostri non audent inficiari, quin sit peccatum, propter testimonia Sacrarum literarum: sed ita extenuant, ut nullum ferè esse videatur. Sed de hac re postea.

V. 4. *Et obscoenitas* (verborum) *& stultiloquium & scurrilitas* (scilicet procul absint à vobis:) τὰ οὐκ ἀνήκοντα, *quae non conveniunt: Sed potius gratiarum actio* (scilicet vigeat apud vos).

Syriac. *Neque obscoenitas neque sermonis stultitiae, neque lusus aut fabulae, quae non sunt necessaria: sed pro iis gratiarum actio.*

Αἰσχρότης propriè est turpitudo & deformitas in corpore, ut in Ethicis videre est: unde αἰσχρὸν idem est, quod ἄμορφον.

Quicquid ergo vel in verbis, vel in factis, vel in gestibus ab honestate & decoro recedit: illud αἰσχρὸν vocatur. Sic. 1. *Cor*. 11. ait, Si mulier tondeatur, hoc esse αἰσχρὸν. Quid ita? quia recedit ab honesto, & ab eo quod decet mulierem: sicut contra αἰσχρὸν est, si vir mulieribus vestibus utatur. Proinde utrumque etiam lege Mosis prohibitum fuit tanquam turpe & inhonestum. Et Apostolus hoc ipsum explicat, cùm subdit, dicendo: τὰ οὐκ ἀνήκοντα, *quae non conveniunt*, nempe sanctis & honestis viris. Ergo omnis turpitudo, tam in factis & gestibus quàm in verbis & sermonibus nostris, hac voce damnatur ab Apostolo: speciatim tamen de turpitudine in sermone nostro loqui videtur, propter

propter illa quae sequuntur, & quoniam opponit εὐχαριστίαν. Et sic Scholia αἰσχρότης interpretantur αἰσχρολογίαν, sicut etiam sequitur μωρολογία. Interim vitanda est Christiano omnis αἰσχρότης: si in verbis, multò magis in factis & gestibus.

Μωρολογίας nomine non intelligit omnem sermonem, qui aliquando per imprudentiam aliquid habet adjunctum stultitiae. Quis enim tam sapiens est, è cujus ore non aliquid excidat sermonis stulti? Sed intelligit studium ineptorum & inanium sermonum, sive id sit jocosum sive serium: cui opponitur studium prudenter ac sapienter & cum sale loquendi.

Si verò damnatur μωρολογία, damnatur etiam μωροποίησις, cùm quis gestibus ad stultitiam compositis stultum se esse vel simulat vel declarat: sicut se gessit David apud Regem Achis, ne ab ipso cognosceretur. Effluebat ei ex ore saliva & è naribus mucus, & incedebat ut stultus, & scribebat in portis. Totam hanc & μωροποίησιν & μωρολογίαν damnat Apostolus, quia non decet sanctos.

Εὐτραπελία duplicem habet significationem. Propriè εὐτράπελοι dicuntur quasi εὔτροποι, qui concinnè & festivè jocantur, & alieni sunt à scurrilitate. Proinde ἐυτραπελία inter virtutes morales ab Aristotele numeratur: quatenus, *scilicet*, de industria, ut honestè exhilaret audientes & convivas, severitatem vultus & sermonis, concinno & honesto aliquo loco, mutat. Propriè enim significat concinnam mutationem. Haec simpliciter ab Apostolo non damnatur, cùm non dedeceat viros bonos, sed suo tempore & loco. Hoc enim non quaeritur, nisi honestus risus & exhilaratio honesta. Scholia tamen aiunt hîc etiam damnari, non per se sed propter circumstantiam temporis: quasi dicat, hostis noster Diabolus undique nos obsidet: καί σύ παίζεις καί ἀστεῖα λαλεῖς.

Secundò, saepe capitur εὐτραπελία pro βωμολοχία, id est, pro scurrilitate, qua nil aliud quaeritur quàm dissolutus & stultus risus atque cachinni. Hanc propriè hîc damnat Apostolus tanquam vitium, quod non convenit sanctis. Eo magis autem mihi haec placet interpretatio, quod etiam Syriacus vertit, lusus & fabulas. Damnantur ergo hîc scurrae, & simul etiam qui scurris delectantur & in deliciis habent.

Rationem cur haec damnet Apostolus subdit, dicendo: τὰ οὐκ ἀνήκοντα: quasi dicat, quia non conveniunt haec sanctis, ideò fugienda sunt. Sed quid igitur faciendum? Semper enim versandum est cum fratribus & aliis, & non semper de rebus seriis ac tristibus agendum cum illis est. Respondet, gratiarum actione utendum esse.

Α᾽λλὰ μᾶλλον εὐχαριστία.

Εὐχαριστία hîc significat non solùm sermonem, quo gratias agamus pro beneficiis Deo: sed etiam sermonem, qui gratia & sale conditus sit: sicut & ante in hac Epistola & alibi loquitur.

Vult enim sermonem nostrum esse non solùm Deo, sed etiam piis honestísque hominibus gratum: id fit, cùm est honestus, & prudenter, modestè, sapientérque pronunciatus. Locus in cap. 4. vers 29. hunc praesentem explicat: *Nullus* (inquit) *sermo impurus ex ore vestro egreditor: sed si quis est commodus ad aedificationis usum*, ἵνα δῷ χάριν τοῖς ἀκούουσι. Ergo cùm opponat εὐχαριστίαν illis tribus, αἰσχρολογία, μωρολογία, & εὐτραπελία: apparet nil aliud intelligi hoc nomine,

mine, quam ut sermones nostri primum ad laudem Dei sint compositi, deinde ad aedificationem proximi, *hoc est*, tales sint, qui gratiam adferant honestis auditoribus, *id est*, sint utiles ac grati.

Ratio hujus colligitur à contrario ex superioribus. Cur αἰσχρότης, μωρολογία, εὐτραπελία locum inter nos habere non debent? Dixit, quia οὐκ ἀνήκοντα sanctis, *scilicet*, & nostrae professioni. Ergo εὐχαριστία debet habere locum, quia convenit sanctis, ad gloriam Dei & ad aedificationem Ecclesiae. Observanda est haec causa seu αἰτιολογία. Initio cap 4. eadem usus est dicendo: *Rogo ambuletis* ἀξίως τῆς κλήσεως, *qua vocati estis*. Ante hîc dixit καθὼς πρέπει ἁγίους: Et jam τὰ οὐκ ἀνήκοντα. Haec ratio respicit bonam famam & nomen Christianae religionis, & per consequens gloriam Dei. Sic Christus hanc attulit, Matth. 5. *Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum.*

Contra ad Rom. 2. ait, Per illos, qui erant Romae, Christianos blasphemari inter Gentes nomen Dei. Quomodo? occasione ab ipsorum sceleribus accepta. Ergo prima & principalis finis bonorum operum nobis esse debet gloria Dei, & bona Ecclesiae fama ac nomen.

Sequitur nunc altera causa propter quam debeant fideles ab iis peccatis abstinere: ea est ipsorum salus aeterna.

V. 5. Hoc enim (ἔστε γινώσκοντες) *nostis: quòd omnis scortator, aut immundus, aut avarus, qui est idolorum servus, non habet haereditatem in Regno Christi & Dei.*

Bifariam intelligitur propositio. *Primùm*, quod haec peccata per se talia sunt, ut sua natura nos excludant à regno Dei. *Secundò*, Quod qui in iis perseverant ad finem usque, ii non possint in regnum Dei pervenire. *Nihil enim immundum ingredietur in illam Civitatem*, ut est in Apoc. 22. *sed foris canes, foris adulteri &c.* Non igitur simpliciter excludit, qui haec admiserunt, si postea resipiscant: sed pertinaces tantum, & qui ad finem usque tales perseverant: scortatores, avari, immundi, &c. Quod ait, vos ἔστε γινώσκοντες, *vos nostis*, indicat illos fuisse de principio edoctos ab Apostolo & in tali doctrina institutos: quod, *scilicet*, fides cùm hujuscemodi sceleribus consistere nequeat: ac proinde, nec qui perseverant in peccatis, eos servari posse, utut fidem & nomen Christi jactent & profiteantur. Ergo haec ratio altera concernit salutem: nempe si velimus partem habere in Regno Christi & Dei, debere nos desinere esse scortatores, immundos, avaros.

Quòd avaritiam vocet idololatriam, hoc ideò fecit, ut magis illos percelleret: quasi dicat, non estis veri fideles sed adhuc idololatrae, si sequamini avaritiam.

Illud, *Christi & Dei*, non negat Christum esse Deum, sed discernit Mediatorem à Deo Patre. Utrumque autem conjungit, ut ostendat esse Regnum utriusque: ac proinde neminem fieri posse consortem Regni Christi, quin sit & Dei: & neminem regni Dei possessorem fore, nisi per Christum: quia regnum est ex aequo utriusque. Proinde concludit: *Primum*, Christum unum & eundem

eundem esse cum Patre Deum, cum idem sit regnum utriusque. *Deinde*, in regnum illud nemini aditum patere, nisi per Christum. Nemo igitur dicat, quid mihi cum Christo, modo habeam haereditatem in Regno Dei? Nemo, *inquam*, hoc dicat aut cogitet. Regnum enim ita Dei est, ut sit & Christi, ac sine Christo in illud admitti nequeat quispiam. Est autem voluntas & Christi Mediatoris & Dei Patris unà cum Spiritu utriusque, ut, qui in peccatis perseverat ad finem usque, in Regnum illud non admittatur. Argumento enim istud est, hujuscemodi hominem vera fide praeditum non fuisse: eóque sine Christo, qui solâ fide per charitatem efficaci apprehenditur, fuisse & esse. Hoc vero illud ipsum est, quod vobis de principio praedicavi. Ergo optimè nostis, quod neque scortatores, neque immundi, neque avari, neque alii peccatores in flagitiis pertinaces habeant haereditatem in regno Christi. Quare cui cara est illius Regni possessio, is peccata à se profligat & detestetur necesse est.

Sequitur alia ratio: nempe quia non solum privantur regno Christi & Dei, verum etiam gravissimam iram Dei sentient, tum in hoc tum maximè in altero seculo. Ideò ait:

V. 6. Ne quisquam vos seducat inanibus sermonibus. Propter haec enim venit ira Dei in filios contumaciae.

Syriacus idem planè habet. Κένους λόγους vocat, qui non praestant quod certo expectandum proponunt ac pollicentur: *hoc est*, qui ad effectum non perducunt, vacui veritate, & vana securitate decipientes, seducentes. Κενοῖς λόγοις (inquit Œcumenius Scholiastes) hoc est, τοῖς μὴ ἔχουσι τὸ ἐλπισθὲν αὐτοῖς, μηδὲ εἰς ἔργον ἐκβαίνουσι. Vanitas horum sermonum quae fuerit ac sit, ex circumstantiis contextus colligetur. Dixit vitandam esse scortationem, & alia praedicta peccata, tum quòd non deceant sanctos, & sint οὐκ ἀνήκοντα, tum quod excludant à regno Christi & Dei. Doctrina haec certa est, & solida ac salutaris. Inanes igitur & vani sermones sunt, qui contrarium docent, *hoc est*, qui aut negent haec esse peccata, aut illa ita extenuant, ut dicant non esse metuendum ut propter haec humanae fragilitatis errata excludamur à Regno Dei & Christi. Haec erat vanitas horum, de quibus loquitur, sermonum. His autem sermonibus qui aures praebent, ii certè seducuntur, *id est*, à via salutis & à recto in regnum Dei itinere abducuntur.

Cum igitur ait, μηδεὶς ἀπατάτω ὑμᾶς κενοῖς λόγοις, indicat Apostolus non defuisse Ephesi tales seductores, qui aut negarent scortationem, πλεονεξίαν, αἰσχρολογίαν, seu αἰσχρότητα, μωρολογίαν, εὐτραπελίαν, esse peccata, aut qui ea ita extenuarent, ut dicerent neminem, qui fidem in Christum profiteatur, propter haec humanae tragilitatis errata à Regno Christi & Dei exclusum iri.

Proinde notandum est Diabolum per suos seductores suáque organa in haec duo semper incubuisse atque incumbere, ut aut fidem in Christum nobis eripiat, persuadens homines servari per & propter opera sua: aut si hoc non succedit, praetextu fidei abducat nos ab obedientia mandatorum Dei, persuadens tantam esse vim fidei in Christum, ut licet ad mortem usque suis indulgeat voluptatibus, perire tamen non possit in aeternum. Utrumque genus hominum

hominum seductorum erat etiam apud Ephesios. Adversus primum pugnavit Apostolus tribus prioribus capitibus: adversus alterum in iis aliis tribus: & praesertim hîc, ubi ait apertè hos esse seductores, qui sic docent; ratio: quia fides, qua servamur, cum studio obedientiae conjuncta est, & per charitatem efficax, ut etiam ad Gal. scribit; & Jacobus ait esse vivam, non mortuam.

Hîc igitur est quod ait Apostolus, μηδεὶς ὑμᾶς ἀπάτατω κενοῖς λόγοις: quasi qui vivunt semper in peccatis, modò fidem in Christum profiteantur, excludi à Regno Dei non possint: sed contra potius retinete meam doctrinam, quam didicistis, quod, *scilicet*, omnis scortator, avarus, & quivis alius flagitiosus, qui pertinaciter in flagitiis ambulat, non habeat haereditatem in hoc Regno, sed ira Dei illum maneat sempiterna. Ideò ait, *Propter haec enim venit ira Dei in filios contumaces* ἀπειθείας.

Διὰ ταῦτα bifariam explicant Scholia, aut διὰ τὴν πορνείαν καὶ τὰ λοιπὰ, aut διὰ τοὺς τοιούτους λόγους. Sed prior magis congruit.

Hac autem voce ἀπειθείας declarat Apostolus quid intellexerit nomine scortatoris, immundi, avari, &c. nempe, non qui in talia labuntur scelera, & resurgunt etiam per poenitentiam: sed qui in sceleribus contumaciter perseverant. Ira enim Dei in solos filios contumaciae venit: non super resipiscentes, ira, *inquam*, Dei aeterna. Caeteroquin ab ira temporaria neque filii Dei, si peccent, liberi sunt. Psal. 89. Quod si filii mei in peccatis ambulaverint, & mandata mea non custodiverint, visitabo in virga iniquitates eorum, &c. Ergo, quod hîc aît, de ira aeterna intelligitur cumprimis, cujus praeludia sunt etiam varia Dei judicia adversus impios, quibus in hoc etiam mundo illos plectit. Haec itaque est tertia ratio, qua nos ad vitanda flagitia omnia & ad ambulandum in lege Domini exstimulat: quià, *scilicet*, propter haec peccata venit ira Dei in filios contumaciae. Ideo concludens adhortationem hanc ait:

V. 7. Nolite ergo fieri participes eorum, nempe filiorum inobedientiae in ipsa, scilicet, *inobedientia, ne etiam eorum fiatis consortes in ira Dei, quae super eos* ἔρχεται, *id est, quae illis imminet, & in procinctu est, ut eos in aeternum obruat.*

Hactenus horum quinque versuum explicatio, quibus quaedam adhortatio continetur.

Venio nunc ad quasdam doctrinas, quae in hoc contextu sese nobis offerunt, & quae cognitu necessariae sunt.

De Scortatione.

Ac primum de Scortatione, quam alii peccatum esse negant, alii ita extenuant, ut propter illam solam neminem excludi Regno posse contendant, eoque scorta & prostibula in Repub. Christiana ferenda esse ferrive posse. Adferunt autem haec argumenta, quibus eam peccatum esse negent.

I. Deus jussit Hoseam adsciscere sibi meretricem, & sibi ex ea filios Scortationis

tationis procreare. Quod autem per se peccatum est Deus non jubet, & praesertim suis sanctis.

II. Scortatio lumine naturae non agnoscitur pro peccato: Gentes enim eam pro peccato non noverunt, usque adeò, ut etiam in Ecclesia Corinthiaca multi essent tempore Pauli, qui idem sentirent. Quae autem per se peccata sunt, ea lumine naturae ab omnibus noscuntur esse peccata, praesertim quae ad secundam tabulam pertinent.

III. Apostoli pro pace Ecclesiae statuerunt, ut conversi ad Christum à Gentilismo abstinerent à scortatione, tanquam à re indifferenti: id quod probatur, quia reliqua etiam tria erant per se ἀδιάφορα, edere sanguinem, suffocatum & idolothyta. Senserunt igitur etiam Apostoli Scortationem esse rem indifferentem.

IV. Scortatione non peccatur in Deum: ejus enim cultus non laeditur; neque contra proximum: nemini enim fit injuria, cùm scortum per se sponte assentiatur. Non est igitur peccatum.

V. Denique aiunt prostibulorum patroni, nisi permittantur prostibula atque scorta, fore ut statim omnia repleantur adulteriis, incestibus & aliis gravissimis peccatis luxuriae. Haec sunt argumenta patronorum Scortationis, scortorum ac prostibulorum. Sed facilis est ad omnia responsio.

In genere respondetur: adversus apertum Dei Verbum nullum argumentum esse admittendum, nihilque habere momenti. Est autem certissimum Scortationem damnari lege Dei in ipso Decalogo, a Prophetis, ab Apostolis, & per consequens omnia scorta atque prostibula. *Scortatio ne nominetur quidem inter vos*, ait Apostolus: quomodo igitur ferenda, quomodo permittenda lupanaria & scorta in Ecclesia Dei? Hoc nostis, quòd Scortator non habet haereditatem in regno Christi & Dei. Quomodo igitur non est peccatum, vel non grave peccatum?

1. Ad *primum* igitur, quod afferunt de Hosea, respondemus nihil ineptius adferri potuisse. *Primum* enim non concedimus fuisse historiam, sed visio fuit Prophetica; & sic Hieronymus interpretatur, & doctissimus inter Hebraeos, Kimchi.

Deinde etiam, siquis det verè sic contigisse: inde tamen non efficitur Scortationem non esse peccatum, sicut neque inde quis legitimè inferre potest occidere innocentem non esse peccatum, quia Deus mandaverat Abrahae, ut suum sibi immolaret filium Isaacum. Eatenus enim aliquid peccatum est vel non peccatum, quatenus illud facimus vel contra mandatum Dei vel ex mandato ejusdem. Si Abraham occidissit Isaacum non peccasset, imò bonum opus praestitisset. Quid ita? Quia obtemperasset speciali mandato ad se facto Dei. Sed si sine hoc speciali mandato fecisset, gravissimè peccasset. Quamobrem? Quia generale mandatum quod est, *Non occides*, transgressus fuisset. Idem de Hosea dicendum est; si verè & reipsa illud contigisse contendas, interim lex generalis manet, *Non scortaberis*. Sed prior responsio genuina est ac vera.

Tertio, Qui aiunt Hoseam duxisse sibi in matrimonium meretricem seu scortum, & ita intelligendum esse mandatum Dei, falluntur. Non enim fuissent filii ex ea suscepti filii Scortationis. Deus autem dixit, & fac tibi filios Scortationis.

tationis. Sed tamen haec etiam interpretatio refellit argumentum patronorum Scortationis. Quocunque igitur modo interpreteris, apparet argumentum ex hoc loco adductum esse ineptissimum.

II. Ad secundum quod attinet, quod, scilicet, lumine naturae non fuerit agnitum pro peccato, quod inde confirmant, quia Gentes eam non nôrunt esse peccatum: respondeo, *primum*, Antecedens non esse simpliciter verum. In natura enim integra non excaecata solam legitimam viri cum uxore conjunctionem noverunt Adam & Eva esse honestam, juxta illud, *adhaerebit uxori suae* (quasi dicat soli) *& erunt* (ii) *duo in carnem unam.* In natura etiam corrupta, quibuscunque vi Spiritus Sancti lumen naturale fuit tenebris repugnatum, idem noverunt, Abel, Seth, Enos & alii Patres. Imo negatur etiam omnibus inter Gentes visam fuisse Scortationem carere peccato, ut Ciceroni, Aristoteli, & similibus. Certè multi in scriptis Gentilium improbantur, quod fuerint Scortatores, ut Catilina à Cicerone. Quid item sibi voluit illud apud Terentium, Flagitium non est, mihi crede, adolescentulum Scortari: nisi quod ille adolescens, ad quem haec Mitio, noverat Scortationem esse flagitium? Adde & hoc; quod Deus ideò damnavit Gentes & ejecit è terra Chanaan, quod praeter alia scelera, non contenti matrimonio alios quoque concubitus admiserunt, inter quos fuit etiam Scortatio. Non autem peccarunt Gentes, nisi quia transgressi sunt legem Naturae. Lex igitur Naturae docuit & docet Scortationem esse peccatum. Atque haec esto responsio ad Antecedens.

Secundo loco negatur illatio: Gentes Scortationem non noverunt esse peccatum, ergo peccatum non est. Nam neque eadem Gentes noverunt infidelitatem in Christum esse peccatum. Num ideò peccatum non est? Spiritus certè Sanctus arguit Mundum de peccato, quia non crediderunt in Christum. *Joh.* 16. *Cor.* 1. Animalis homo non percipit ea, quae sunt Spiritus Dei.

III. Ad *tertium* argumentum ex decreto Apostolorum in Actis 15. sumptum, negatur ista consecutio: Apostoli mandaverunt Gentibus, ut sicut à sanguine & suffocato, quae erant res ἀδιαφορὰ, per se, ita etiam à Scortatione abstinerent. Ergo sicut illa fuerunt ἀδιαφοραι: sic etiam Scortatio.

Respondeo. Fallacia est non causae pro causa. Causa enim, propter quam illud decretum factum fuit ab Apostolis, fuit pax Ecclesiarum, & ut ne Gentes suis Scortationibus, quemadmodum & esu sanguinis, suffocati, & idolothytorum, turbarent fratres Judaeos, qui ut esu sanguinis & reliquorum duorum: sic etiam Scortationibus Gentilium offendebantur. Haec fuit causa, ut manifestum est. Unde optimè sequitur, tam Scortationem, quam alia tria, fecisse ad perturbationem Ecclesiarum & ad offensionem Judaeorum. Sed numquid sequitur, Ergo Apostoli senserunt paris esse conditionis Scortationem cum sanguine & suffocato? Nequaquam. Nam ipsimet Apostoli in suis scriptis declararunt licitum esse per se vesci sanguine, suffocato, & idolothytis: Scortationem autem per se damnarunt.

IV. Ad *quartum* quoque argumentum non est difficilis responsio. Negatur Scortatione neque Deum offendi neque proximum. Annon offenditur Deus, cùm contra ejus voluntatem peccatur? Annon etiam cultus internus, *hoc est*, vera pietas, fides & dilectio erga Deum, & invocatio Scortatione violantur?

Cor

Cor certè & conscientia inficiuntur, ut quisque testis est in sua ipsius conscientia. Ex corde autem impuro & immundo quid boni & puri proficisci potest? Ergo contaminato interno cultu externus quoque contaminetur necesse est. *Sicut enim omnia munda mundis, sic infidelibus & immundis corde nihil est mundum*, ut ait Apostolus, Tit. 1.

Ad proximum quod attinet, Annon injuria afficis Scortum, dum aut inducis ad peccandum, aut volenti peccare consentis? Causa enim es peccati illius, & per consequens poenae & irae Dei, quam sibi illo peccato accersit & cumulat. Annon etiam filios, qui nascuntur ex Scortatione, afficis injuria? Nascuntur enim spurii, ideò exhaeredantur, contemnuntur, malè educantur, fiunt infames. Denique annon teipsum offendis & in teipsum peccas, dum Scortando & conscientiam vulneras, & fidem atque invocationem extinguis, & ipsum denique corpus contaminas, atque è membro Christi facis membrum meretricis, & è templo Spiritus habitaculum Diaboli?

V. Ad illud, si tollas Scorta & postibula omnia implebuntur sceleribus, adulteriis, stupris: Respondet Apostolus: Non sunt facienda mala, ut eveniant bona. Multo igitur minus facienda sunt minora mala, ut evitentur majora. Ita apparet defendi non posse Scortationes, scorta, prostibula.

Quare nostra θέσις haec esto.

Scortatio peccatum est, quod sua natura excludit à Regno Dei & Christi, eóque ferenda non sunt scorta nec prostibula in Ecclesia Dei.

Locus Apostoli hic ad Ephes. cap. 5. perspicuus est. Sed hunc locum illustrare libet illo, qui est. 1. Cor. 6. ubi ex professo adversus Gentiles illos, qui in Ecclesia Corinthiaca sentiebant adhuc Scortationem inter res ἀδιαφορὰς esse connumerandam, disputat multísque argumentis demonstrat eam per se gravissimum esse peccatum. Postquam igitur conclusisset de cibis, omnes cibos, etiam idolothyta, per se non damnari, quod omnis creatura Dei munda sit: abstinendum tamen ab illis esse docuit, cùm proximus nostra libertate offenditur. Esca quidem (inquit) ventri, & venter escae (scilicet ordinata & destinata sunt, idque tantisper dum sumus in hac vita, nam ad extremum Deus & hunc & illam destruet). At verò corpus non Scortationi, sed Domino (scilicet consecratum est); & Dominus (id est, Christus) corpori (datus est, ut sit caput) neque destruet corpora nostra, sed potiùs suscitabit, sicut & Christum suscitavit; quasi dicat: Non sunt certè ejusdem generis Scortatio, qua polluitur corpus nostrum, & cibi quibus vescitur venter noster. Ii enim ad necessitatem praesentis vitae omnes ordinati sunt & ventri destinati, sicut & venter illis recipiendis, ac proinde quoties fames postulat, licet ventri illis vesci. Sed corpora nostra servanda illi sunt munda & sancta: ac nunquam licet nobis ea polluere: polluuntur autem Scortatione. Non igitur inter res ἀδιαφορὰς connumeranda est.

Primum igitur argumentum Apostoli in eo ad Corinth. loco sic formari potest.

I. *Quod Domino consecratum est, illud Scortatione polluendum non est: Atqui nostrum corpus consecratum est Domino: Baptismo enim insiti sumus Christo. Ergo &c.*

Argu-

Argumentum est à natura Relativorum: caput refertur ad corpus singuláque membra, & vicissim corpus ad caput. Quale igitur est caput, talia oportet esse & membra.

Deus & Dominum *(Christum)* suscitavit, & nos suscitabit per potentiam suam. Argumentum tale est.

II. *Corpora nostra suscitabuntur ad gloriam sempiternam, sicut & Christi corpus in gloria est: cur igitur nos ea tanta ignominia afficimus?*

Ergo non sunt Scortatione polluenda & coinquinanda, quia fit injuria non solùm ipsis corporibus nostris, sed & Christo capiti, & Deo, qui ea suscitaturus est per potentiam suam.

III. *An nescitis quod corpora vestra membra sunt Christi? Igitur tollens membrum Christi faciam membrum meretricis? absit.*

Gravissimum est argumentum. Membra Christi à capite divellenda non sunt, & corpori putido scorti adjungenda. Quale enim facinus? Atqui vestra omnium corpora membra sunt Christi. An nescitis hoc? Num igitur tolletis membra Christi, & facietis membra meretricis? Absit. Argumentum est ab absurdo & indigno. Et in hoc sita est vis argumenti, quòd nemo potest Scortari, quin se scindat a capite Christo, qui scortari nescit, & faciat se membrum meretricis. Sequitur confirmatio & amplificatio argumenti tertii.

IV. *An nescitis, quod qui adglutinatur Scorto, unum corpus est* (cum illo?) *Erunt enim*, inquit, *duo in carnem unam.*

Quasi dicat, Vos non potestis fieri unum corpus cum Scorto per Scortationem, quin prius avellamini à Christo, cum quo eratis unum. Vos autem fieri per Scortationem unum corpus cum Scorto liquet: quia hac quoque corporum conjunctione vir & uxor fiunt una caro, sed sancta copulatione: Scortator autem cum Scorto, impurissima. Scortatio enim corruptela est matrimonii: & utrobique hoc est commune, copula, *scilicet*, corporum duorum in unum: sed hoc discrimen, quod in matrimonio fit secundum legem Dei, (ideóque quod Deus conjunxit, homo non separet:) in Scortatione autem contra legem Dei, ideò avellendi sunt Scortatores.

V. *Qui verò adglutinatur Domino, unus spiritus efficitur cum illo.*

Quasi dicat, multo autem major & arctior est conjunctio, quam habemus cum Christo, quàm quae est viri & uxoris. Illa enim non tam corporum, quam etiam spirituum est: quia qui adhaeret Domino, unus spiritus efficitur cum illo. Argumentum est igitur à comparatis, hoc modo, *Conjunctio mariti & uxoris sanctè conservanda est: & qui scortatur, solvit copulam conjugii: multo magis igitur copula, quam habemus cum Christo, conservanda est, nec conjunctione cum*

Scorto

Scorto est scindenda. Est enim haec major illâ: quia qui adhaeret Domino, unus Spiritus efficitur cum illo. Qui autem uxori, una caro fit cum illa. Subdit ergo conclusionem, dicendo: *Fugite fornicationem.*

VI. *Omne peccatum quod fecerit homo, extra corpus est: qui autem scortatur, in proprium corpus peccat.*

Argumentum est ab effectu Scortationis proprio, qui est corporis dehonestatio, & nota infamiae inusta corpori. Peccare enim in proprium corpus, est ipsum dehonestare, debito honore spoliare, & veluti notam infamiae illi inurere. Hoc autem maximè fit per Scortationem: sicut si Regis Filius filiam rustici deformem & infamem duceret conjugem, & seipsum & totam suam progeniem dedecoraret & dehonestaret. Peccat ergo in propriam corporis dignitatem, qui scortatur: quia unum fit cum vilissimo & putidissimo corpore Scorti, sese à nobilissimo capite Christo, totóque Christi corpore, *quod est Ecclesia*, propter Scortum separans atque disjungens, & cum scorto polluens: 1. Thes. 4. declarat, dicendo: *ut sciat unusquisque suum vas possidere in sanctificatione & honore.* Ergo de ignominia, pollutione & impuritate loquitur, qua per Scortationem polluitur proprium corpus.

VII. *An nescitis, quod corpus vestrum templum sit Spiritus Sancti, qui in vobis est, & quem habetis à Deo?*

Templum Dei purum & sanctum colendum est, & nullo modo profanandum. Corpora vestra templum sunt Spiritus Sancti. Ergo, &c.

Non estis vestri juris: empti enim estis pretio, &c.

Qui quae sui juris non sunt, sed alieni, rapiunt & aliis mancipant: ii raptores & sacrilegi, capitaléque poena digni. Vos non estis vestri juris, nec vestra corpora vestra sunt, sed Christi, qui vos redemit. Ergo &c.

Conclusio cum adhortatione. *Glorificate igitur Deum in corpore & in Spiritu vestro*, quasi dicat: Cum igitur non sitis vestri juris, sed Christi: cum sitis Dei & Spiritus Sancti templa: debetis illum glorificare & animo & corpore: tantùm abest ut debeatis illum ignominia afficere, qua afficitis Scortando.

Summa horum argumentorum est: per Scortationem summa injuria affici & contumelia Christum caput Ecclesiae & singulorum fidelium, cui sunt corpora nostra sanctificata; Deum, qui illa suscitaturus est ad gloriam, sicut & Christi corpus: Spiritum Sanctum, cujus sunt templa, & qui in eis habitat: Corpora ipsa nostra, quae avelluntur à capite Christo & adglutinantur Scorto, unúmque efficiuntur cum illo. Denique nos esse sacrilegos, qui quae nostri juris non sunt, rapimus aliísque damus & contaminamus &c. Haec certè non admittuntur esu ciborum. Non est igitur Scortatio inter ἀδιαφορὰς connumeranda: sed gravissimum est peccatum. Cùm verò haec ita se habeant, sequitur neque scorta neque prostibula esse ferenda; iis enim non glorificatur Deus, sed injuria afficitur.

Usus autem hujus doctrinae est, ut iis rationibus utamur, tum ad nostram

tum

tum ad aliorum utilitatem, utque Diabolo nos ad Scortationem tentanti resistamus.

1. *Praeceptum Dei est, ut non solum non scorter, sed ut ne quidem patiar Scortationem apud me nominari.*

2. Item, *Scortatio res est turpissima, quae sanctos non decet: hac enim polluuntur templa Spiritus Sancti, & membra Christi tolluntur & fiunt membra meretricis.* Apage igitur.

3. Item, *Non enim vocavit nos Deus in immunditiam sed ad sanctificationem, ut sciat unusquisque vas suum possidere in sanctificatione & honore.*

4. Item, *Scortatio excludit à Regno Christi & Dei;* facessat igitur à me.

5. Item, *Propter hanc venit ira Dei in filios contumaces &c. Deus enim punit acriter haec scelera, ut exempla docent quotidiana. Ergo &c.*

Ut autem vitari facilius possit haec pestis, vitandae sunt mulierum consuetudines, quibus juventus corrumpitur. Corrumpunt enim mores bonos ὁμιλίαι κακαὶ, consortia & consuetudines malae. Atque haec de scortatione & aliis immunditiis, de quibus hîc loquitur Paulus, satis.

De Avaritia.

Secunda doctrina est de vitanda Avaritia. Superius vitium Scortationis, *scilicet*, & omnis immundities magis in juvenibus viget quam in senibus, ut contrá hoc alterum senum proprium esse videtur; in quibus, quo magis ipsi senescunt, eo magis Avaritiam juvenescere videmus. Quò illud dictum pertinet: *Omnia vitia senectute senescunt, sola Avaritia juvenescit.* Etsi verò doctrina haec magis ad senes pertinet quam ad juvenes: quia tamen neque omnes juvenes ab hoc vitio alieni sunt, & omnes fieri possunt senes, & Apostolus ad omnes scribit, idcirco nonnihil etiam de Avaritia fugienda dicendum est.

Quo autem melius fieri hoc à nobis possit explicanda sunt capita 4.

1. *Quid sit.*
2. *Quotuplex seu quot ejus gradus.*
3. *Quàm grave peccatum sit & diligenter fugiendum.*
4. *Quae sit vera ejus vitii curandi ratio.*

1. Ad *primum* quod attinet, *Avaritia* vox Latina est & a verbo *Aveo*, quod est desidero atque appeto, & ab auro vel ab aere *(ut nonnulli volunt)* dicta est: quod, *scilicet*, sit aviditas auri vel aeris, *id est*, divitiarum, sed immoderata.

Eodem spectat vox Graeca Φιλαργυρία: sed πλεονεξία est à plus habendo: quod, *scilicet*, tantus sit amor pecuniae ac divitiarum, ut semper plus habere cupias quam habeas, & quam etiam par sit. Hebraice *Besag* flagrans desiderium lucri, quod nullum appetendi lucri modum tenere sciat.

Altera vox Hebraica *Kin*, quam Rabbi David Kimchi à *Kun* deducit, quod est metiri & mensurare, magis exprimit effectum Avaritiae, quam naturam & essentiam ejus. Avaritia efficit, ut Avarus omnium diligentissimè metiatur & mensuram habeat parcam & mancam. Sed aliae tres voces naturam essentiámque Avaritiae melius explicant.

 Est

Est igitur Avaritia affectio morbúsque animi, ex diffidentia Dei profectus, quo ita immoderatè amamus terrenas divitias, ut praesentibus nunquam contenti alias semper plus quam par sit appetamus, & quo jure quáve injuria habere curemus; habitas verò iniquè & tenaciter retineamus, ut vix parcissima mensura in ipsas necessitates vel nostras vel aliorum dispensemus.

Alii brevius, *quod sit immoderatus habendi divitias appetitus.* Causa formalis est ipsa immoderata affectio animi erga divitias. Materia, circa quam versatur, sunt divitiae terrenae: efficiens causa est diffidentia de Deo. Reliqua sunt effecta hujus morbi.

Hinc apparet, quam gravis morbus sit & quam difficilis ad curandum Avaritia. Inhaeret enim intimis ossibus & cordis humani penetralibus, quod sua natura plenum est diffidentia de Deo, quod aut nolit aut non possit necessaria nobis suppeditare. Hac de causa Gregorius primus peccatum spirituale esse dixit Avaritiam, non carnale, *sicut est Gula & Scortatio.* Licet enim omnia peccata à corde exeant, carnalia tamen complentur in sensu carnis. At spiritualia in corde excitata in corde semper resident, & talis est Avaritia. Peccata autem spiritualia eo sunt difficiliora ad curandum, quo minus etiam peccata esse cognoscuntur. Colligimus quoque hunc morbum pugnare cum justitia & caritate: quia plus quam par sit & aequum appetimus bona temporalia, & ea iniquè retinemus, ac non ut caritas postulat dispensamus. Ac de primo satis.

Avaritiae descriptio ab effectis, *id est*, à moribus & studiis eorum, qui rei augendae immodicam operam dant, legatur in Epistola Jacobi, cap. 4. ubi ait, *Unde bella & lites inter vos? Concupiscitis & non habetis* (quatenus, scilicet, cupitis ἐν πλεονεξίᾳ) *invidetis & aemulamini, & non potestis obtinere.* &c. Sed nos ad alterum caput accedamus.

II. Ad *secundum* igitur quod attinet, Avaritiae species quidem has constituunt, *Usuram, rapinam, iniqua vectigalia iniquósque census, fraudes negotiatorum, munerum acceptationes* (quibus corripitur justitia) *Symoniam* (quae, scilicet, in venditione donorum Spiritus Sancti admittitur.) Sed partitio Philosophorum magis probatur, qui tres constituunt species seu gradus Avaritiae, juxta tria praecipua actionum ejus genera, quae sunt *avidè appetere atque accipere, tenaciter retinere atque servare, & tertiò sordidè dispensare.*

Prima itaque *species* est immoderata divitiarum appetitio & iniquum rei faciendae & augendae studium. Haec propriè significatur voce φιλαργυρίας, de qua Hebr. 13., πλεονεξίας, de qua hîc & alibi: & vox Latina Avaritia hanc primam speciem, quae est fons reliquarum, propriè significat. Et de hac Apostolus 1. *Tim.* 6. Qui volunt divites fieri, incidunt in laqueos Diaboli. Qui volunt, id est, qui hoc desiderio faciendae & augendae rei immoderato tenentur. Et de hac Sallustius, *Avaritia semper infinita est & insatiabilis, quae nec copia nec inopia minuitur.*

Altera est immoderata atque iniqua rei factae & auctae retentio, qua scilicet pluris facimus divitias bonáque mundi collecta, quam proximi necessitates: qualis fuit illius in Evangelio, qui Lazari prae foribus suis jacentis aerumnis non tangebatur, & ne micam quidem panis dabat. Luc. 16. Atque haec vocari solet Tenacitas. *Tertia*

Tertia est sordida quaedam donorum ad vitam nostram comparatorum dispensatio, qua, si quid cogimur in vitam nostram insumere, id facimus sordidè, ídque in ipsa etiam rerum abundantia, metuentes semper ne nos penuria opprimat, unde etiam Sordities appellatur; qualis fuit cujusdam Uvidii, de quo Horatius in Sermonum libro primo, qui sordidiùs vestiebatur quàm servus, & quem tandem liberta securi occidit propter nimias hominis sordes. *At hunc* (Uvidium) *liberta securi Divisit medium fortissima Tyndaridarum.* Et qualis ille fuit in Evangelio, qui nunquam ausus fuit liberaliter vivere: sed tum demum coepit cogitare de utendis suis bonis, ubi plura superessent, quàm possent capi horreis suis & cellis vinariis, dicens: Nunc fruere anima mea. Luc. cap. 12. Sed ne tunc quidem Deus eum permisit bonis iniquè partis frui: Stulte (inquit illi Deus) hac nocte repetent Animam tuam, & ea, quae congregasti, cujus erunt?

Omnes hae species Avaritiae dedecent omnem hominem, qui cùm sit rerum terrenarum dominus, iis actionibus fit omnium servus: quantò verò magis sanctos dedecent, & illis indignae sunt, qui filii Dei effecti haeredes sunt Coeli, adeóque totius Mundi? Ideò meritò Paulus dicet, Ne nominandam quidem esse inter nos, sicut decet sanctos.

III. Nunc igitur videamus quàm gravè peccatum sit. Multi enim πλεονεξίαν hanc, sicut etiam diximus de scortatione, aut peccatum esse negant aut valde extenuant: imò multi etiam laudant nomine diligentiae, industriae, prudentiae; & eam docentur juvenes, & exercere jubentur. Sed contrà certè docent omnes Scripturae, & imprimis Apostolus in hoc contextu, ut de Philosophis taceam & aliis Gentibus.

1. *Primum* gravitatem hujus peccati indicavit Apostolus vel ipso nomine πλεόνεξίας. Levéne peccatum est nunquam contentum esse sua sorte & praesentibus, quae Deus largitur, bonis; sed semper toto corde novis quo jure quáve injuria acquirendis & cumulandis inhiare? Quid enim hoc aliud est, quam Deum accusare aut iniquitatis, ut qui tibi à se creato tantùm non det, quantum sit satis & aequum: aut nullius providentiae, ut qui omnia sinat sursum deorsum volvi, ut qui potest capere capiat?

2. Pugnat praeterea hoc peccatum cum natura hominis. Anima res est coelestis & divina nihil habens è terra: corpus facie versus coelum erectum, unde ἄνθρωπος, homo, dictus est: toti homini subjecta est tota terra: & a terendo dicitur, quod teri debeat pedibus nostris. An non igitur pugnat cum hominis natura, ut & animo & corpore totus fixus sis in terra rebúsque terrenis? Et ut tua sorte non contentus nova semper appetas & quaeras, quae tamen neque hîc neque post hanc vitam possessurus sis? Avarus enim, quae habet bona, nunquam illis fruitur, neque in hoc seculo neque in altero. Ergo solum nomen πλεονεξίας gravitatem peccati hujus luculenter ostendit.

3. *Deinde* eandem gravitatem ostendit Apostolus, dicendo: Ne nominetur quidem inter vos; usque adeò est res indigna homine, ut ne quidem sit digna, cujus nomen transeat per os labiáque nostra, nedum ut ejus amor haereat in cordibus nostris.

Idem docet, cùm ait, *sicut decet sanctos.* Nihil enim magis pugnat cum

nomine

nomine ἁγίου, quam rebus terrenis inhaerere animo, fiducia, amore, studio. Ideo *Col.* 3. Quae sursum sunt quaerite, non quae super terram. *Mat.* 6. Nolite thesaurisare in terra. *Item*, Mortificate membra, quae sunt super terram. Hoc decet sanctos, ἁγίους.

5. Sed longè omnium clarissimè gravitatem hujus peccati demonstrat Apostolus, cùm appellat Avarum Idololatram. Sic Col. 3. Quid enim gravius idololatria. Est autem Avarus idololatra, quia loco Dei colit idolum pecuniae. Christus hoc prior docuit & explicavit, Luc. 16. dicens, *Non potestis servire Deo & Mammonae.* Hìc duo constituuntur Dii: verus Deus & falsus, id est, Mammona. Ii inter se pugnant, ut si uni inservias, alterum negligas & contemnas necesse sit. Sicut qui curat ventrem, Deus illius venter est: sic qui curat Mammonam, Mammonam sibi constituit Deum eúmque colit, & verum Deum contemnit. Avarus ergo idololatra est: Quomodo verò colit Mammonam & divitias? Utroque cultu, interno & externo. Internus est fiducia, spes & amor, quibus Avarus addictus est Mammonae. Externus est servitus, qua servit Mammonae, colligendo, custodiendo, augendo, honorando. Apertè enim Christus ait, Avarum inservire Mammonae, tanquam suo Deo. Et Apostolus ait, eum λατρεύειν τῷ εἰδώλῳ. Et Hieronymus hunc Apostoli locum sic exponit: ideò avarum esse idololatram, quia (inquit) sculpturam ipsius numi colit, & idola in numis caelata veneratur. Proinde inventio pecuniae aureae & argenteae cum impressis imaginibus materia fuit idololatriae. Ac certum est, sicut aurum, quo deaurata sunt idola in templis, excitat homines ad illorum cultum: sic aurum & argentum in pecuniis, id est, caelatum ad φιλαργυρίαν, eóque ad idololatriam, homines excitare. Est igitur avarus idololatra, quia cultu & interno & externo, qui Deo debetur, hoc genus idolorum colit.

6. Gravitatem ejusdem peccati declarat, cum etiam subdit, Avaros non habere haereditatem in regno Christi & Dei. Non igitur leve peccatum est, quod à regno Christi excludit. Certè à suo regno non excludit Christus, nisi inimicos suos.

7. Eodem pertinet, quod subdit, Iram Dei venire super filios ἀπειθείας: & inter hos collocat etiam Avaros. Et revera sunt filii ἀπειθείας, qui non sinunt sibi à verbo Dei persuaderi, ut avaritiam vitent tanquam peccatum Deo odiosissimum, & hominibus perniciosissimum. Comminationes irae divinae in Avaros passim occurrunt in sacris literis, *Jesa.* 5. Vae qui conjungitis domum domui, &c. *Habac.* 2. Vae qui congregant non sua. *Luc.* 5. Vae vobis divitibus.

Haec argumenta ex contextu collecta sunt. Nunc alia aliunde.

8. Quàm grave sit hoc peccatum Deoque invisum liquet à causa efficiente. Oritur enim ex diffidentia Dei, ut liquet *Matth.* 6. Si quis enim fideret promissis Dei, non esset ita sollicitus. Quid autem gravius peccato diffidentiae? Ergo, &c.

9. Avarus iniquus est in Deum, in seipsum, in proximum, in bona accepta. In Deum, quia qui accepit ab eo bona, non ut retineat sibi in arca, sed ut dispenset in usus necessarios, tum sibi ac suis tum proximo: ea omnia ita sibi soli servat, ut ne ipsi quidem ulli sint usui. Similis enim illi servo est, qui abscondit talentum, ac proinde qui commeruit ut ei diceretur, *Serve nequam,*

nequam, &c. Item in eundem Deum iniquus est Avarus, quia creaturas temporaliáque bona praeponit Deo: atque hoc neglecto illa amat eisque servit.

10. In seipsum quoque iniquus est avarus, quia seipsum vendit Diabolo pro pecuniis. Ideo Ecclesiastic. 10. *Avaro nihil est scelestius, nihil est iniquius: hic enim animam suam venalem habet.* Si iniquus qui vendit filios: quantò magis qui vendit seipsum? Iniquus item est in se ipsum, quia ea amat & colit, quae sibi sunt perniciosissima. Proverbior. 1. *Semitae sectantis Avaritiam animas possidentium rapient: nam sibi ipsis insidiantur Avari.*

11. In proximum iniquus est, quia sibi soli retinet, quae illius sunt. Nam quae à Deo etiam habemus bona, ea ut cum proximo quoque communicemus nobis data sunt. Proximum igitur iniquè defraudat avarus. Sed iniquior etiam est, dum proximo eripit, quae sua non sunt, fraudibus, imposturis, artibus iniquis: *Panis egentium, vita pauperum. Qui defraudat pauperem homo sanguinis est,* ait Syracides.

12. Denique in res ipsas etiam iniquus est, quia eas ita abdit & sepelit, ut suo defraudentur fine, tandemque etiam putrescant. Quó illud Jacobi: Divitiae vestrae putrefactae sunt, vestimenta vestra computruerunt. Quid igitur mirum, quod ira Dei veniat super eos, ut ait Apostolus?

13. Neque obscurè, quàm grave sit peccatum, ex natura ipsius πλεονεξίας, *id est*, insatiabilis cupiditatis habendi, perspici potest. Cùm enim Avarus satiari nunquam possit, fit ut semper appetat, imo quo plus appetit eo cupiditas ipsius magis accenditur, juxta illud, *Crescit amor nummi, quantum ipsa pecunia crescit.* Id quod certè in aliis cupiditatibus non fit.

14. Quî verò fit, ut nunquam saturari possit cor avari? Seneca ait, quia cupiditas avari naturalis non est, sed contra naturam. *Naturalia desideria* (inquit) *finita sunt, ex sancta opinione nascentia: innaturalia verò ubi desinant non habent.* Cùm igitur haec sit infinita, Mundi autem bona finita: inde fit, ut avarus nunquam bonis hujus Mundi satiari & impleri possit.

15. Sed adde aliam causam clariorem, quia, *scilicet*, Anima spiritualis est substantia, & rerum propè infinitarum capax. Bona autem Mundi corporalia sunt & finita. Corporalia autem & finita non possunt exaequari substantiis spiritualibus, ut eas implere possint. Mens enim plura semper & cognitione & desiderio complecti potest, quam habeat. Hinc fit, ut solus Deus implere & satiare humanae mentis desiderium possit. Non malè quidam: *Mundus circularis est, cor quadratum. Circulus quadraturam implere non potest.*

16. Quia bona haec vana sunt & inania. Ecclesiastic. 1. *Omnia, quae sub coelo sunt, vanitas sunt vanitatum.* Ut igitur arca plena vento est tamen vacua, ita ut aliae quoque res permultae ibi capi possint: sic Anima avari plena divitiis, vacua tamen est semper, & impleri nunquam potest rebus vanis. Ideò rectè Bernardus: *Non plus satiabitur cor hominis auro, quam corpus aura.* Ecclesiast. legimus de illo, qui vana somnia curat persequitúrque, *Quasi* (inquit) *qui apprehendit umbram & persequitur ventum: sic qui attendit ad visa mendacia.* Item optimò quadrat in avaros, qui res hujus Mundi vanas persequuntur, ventos persequuntur & apprehendunt umbras. Hinc insatiabilitas avari cordis. Insatiabilitas verò haec, quam grave & perniciosum sit peccatum Avaritia, manifestissimè docet.

17. Adde, Quod quo magis avarus cupit fieri ditior, & cumulandis bonis multarum rerum se dominum fieri putat: eo indies fit pauperior & verus servus. Pauperior quidem, quia crescit appetitus habendi, quo plura congregat, juxta illud, *Crescit amor nummi, &c.* Quo autem majus est habendi desiderium, eo magis quis fatetur se indigere. Qui autem eget non abundat: Pauper igitur est. At eget iis quae non habet, non autem iis quae habet: sed contra est illud vetus proverbium: Avaro tam deest quod habet, quam quod non habet. Eleganter dixit Seneca de avaro & prodigo: magnam pecuniam habet aliquis: si avarus, non habet; si prodigus, non habebit. Avarus igitur semper pauper est, & quo plura colligit, eo fit pauperior, quia desiderium habendi accenditur. Hoc verò non abundantis sed egentis animi signum est. Servus verò etiam major fit, quia pluribus pecuniis, tanquam Dominis suis, inservire cogitur. Apertè enim Christus ait, Avarum servire Mammonae. Neque enim bonorum suorum possessor est, sed custos tantùm & famulus, imò mancipium. Pulcherrimè quidam dixit, Avarum ita habere divitias, sicut vinctus compedibus & catenis catenas habet. Quomodo habet? Habet se vincientes & captivum tenentes: servus eorum est, non dominus: sic Avarus. Quid enim sunt ejus divitiae? Funis & catenae, quibus vinctus & captivus tenetur. Nihil igitur miserius Avaro. Non enim sibi sed aliis, quos tamen ignorat, ut famulus congregat. *Ps.* 39. Thesaurisat, & nescit cui congreget. Pertinet huc illud *Eccles.* 6. Est aliud malum, quod vidi sub sole: Vir cui Deus dedit divitias (nam & quae habent avari, a Deo habent) non dedit ei postestatem comedendi ex eis: sed vir extraneus comedit ea. Exemplum in Evangelio: Hac nocte auferent Animam tuam: & quae congregasti cujus erunt? *Luc.* 12. Est haec justa Avaritiae poena. Poena autem gravis gravitatem peccati demonstrat.

18. Denique quam grave peccatum sit Avaritia ab ejus effectis demonstrat Apostolus, 1. *Tim.* 6. primum ait: Qui volunt ditescere, incidunt in tentationem & laqueum Diaboli. Quinam propriè dicuntur velle ditescere? Illi qui hunc unum sibi praefixerunt scopum, ut ditescant, quo jure quáve injuria id fiat non curantes. Hoc propriè significat velle ditescere. Non igitur loquitur de illis, quibus propositum est servire Deo & suam sequi vocationem, operam dantes ut bona conscientia aliquid suae familiae relinquant ex suis laboribus, unde & tegi possint & vivere honestè: de quibus supra cap. 4. Qui furabatur jam non furetur: laboret autem manibus suis, ut habeat unde succurrat egentibus. Impii igitur avari illi sunt, de quibus loquitur Apostolus dicendo, *Qui volunt divites fieri* (Quid in illis facit haec πλεονεξία? Ait) *incidunt in tentationem,* id est, *omni tentationum generi sese exponunt, quales sunt mentiri, furari, peierare, praedari, rapere, occidere, Christum etiam abnegare, à fide deficere, & alia mala perpetrare.*

Subdit Apostolus, Et in laqueum (singulare pro plurali); laqueis enim multis se implicant, quibus magis ac magis captivi fiunt Satanae. Laquei sunt divitiae ipsae, quae quo plures augentur, eo pluribus implicantur laqueis Avari, ut eripi è manibus Diaboli non possint. Qua de causa dixit Christus, Impossibile esse divitem introire in Regnum Coelorum. Quid ita? Propter hos laqueos, quibus captivi detinentur Avari à Satana. Subdit:

Subdit: Et concupiscentias multas, stultas & noxias, quae demergunt homines in exitium & interitum. Dixit, *primo*, *Multas*, quia ferè infinitae sunt. Hic enim proprius effectus Avaritiae, ut, quo plus habemus, eò pluribus concupiscentiis & cupiditatibus implicemur. Ideò dixit, *multas*. Et qualibus? Ait *secundo*, *Stultas*. Vanae enim sunt, & de rebus vanis ac stultis. Stultae item, quia appetimus impossibilia. Ut stultum fuit desiderium Alexandri, de nescio quo altero Mundo expugnando. *Tertio* ait, *Noxias*, Quomodo? Demergunt enim homines in exitium & interitum. Multa enim flagella Dei coguntur experiri, & tandem aeterna morte perire; ἔμφασιν habet verbum *demergendi*. Significat Avaris divitias, id est, *Mundum hunc quo nihil gravius, & quem totum habent in corde, esse instar molae* (ut est in Evangelio) *inferioris in molendino appensae illorum collo & demergentis eos in profundum Maris.* Hic est fructus avaritiae, ideo subdit dicendo: *Radix enim malorum omnium est* φιλαργυρία. Atque hac generali sententia causam indicat omnium horum malorum. Sententiae Apostoli consentanea est illa Phocylidis, ἡ φιλοχρημόσυνη μητὴρ κακότητος ἁπάσης.

Exemplo autem confirmat sententiam dicendo, *Cui addicti quidam defecerunt á fide, & seipsos implicuerunt doloribus multis.* En laqueos, quibus sese implicant Avari, Hoc est proprium Avaritiae, efficere ut homines deficiant à fide. Fides enim Solo Deo nititur: Avaritia autem pecuniis, *id est*, Mammona. Qui igitur Mammonam sequitur & colit, Dominum deserat oportet.

Hoc enim est deficere à fide. Ergo si postea eos consequantur multi dolores & cruciatus, non conquerantur nisi de seipsis. Ipsi enim implicuerunt *(inquit)* seipsos doloribus multis Proinde consilium optimum dat Apostolus Timotheo, si nolit implicari doloribus, dicendo: *Tu autem, o homo Dei, fuge haec*, φιλαργυρίαν, scilicet, cum suis studiis. Quomodo? Subdit studium contrarium, dicendo: *Sectare verò justitiam, pietatem, fidem, dilectionem, patientiam, mansuetudinem, certa bonum certamen fidei: Apprehende vitam aeternam, ad quam etiam vocatus es.*

Nunc igitur de remediis vitandae Avaritiae morbíque hujus curandi dicendum est.

IV. Ad quartum ergo & ultimum caput quod attinet de remediis, principio notanda est regula Medicorum, *Contraria contrariis curari, & similia similibus nutriri.* Ideo etiam Apostolus, postquam descripsit gravitatem hujus morbi, hoc est, φιλαργυρίας, ab ejus effectis, primum mox subjecit, *Tu vero, ô homo Dei, haec fuge.* Morbus igitur iste curatur, non ad illum accedendo & ejus desideriis gratificando, sed fugiendo. *Fuge* (inquit). Deinde subjecit contrariorum studium, dicendo, *Sectare verò justitiam, &c.* Nascitur Avaritia ex injustitia (*erga proximum*), ex impietate, ex infidelitate ac dissidentia, φιλαυτία, cum caritate proximi pugnante, ex impatientia (*quo* scilicet *Avarus ferre non potest tenuitatem & sua sorte esse contentus*). Sunt etiam arrogantes & superbi Avari divites: nascitur etiam inde & fovetur Avaritia studiumque ditescendi, quia homines de vita aeterna nihil cogitant, nec eam sperant, toti rebus hujus Mundi addicti. Apostolus igitur vult has causas, ut fomenta hujus Morbi, tolli, & contraria adhiberi, nempe *justitiam, pietatem, modestiam, & ut mente apprehendamus vitam aeternam, déque illa cogitemus, eam amemus, studia nostra ad*

illam-

illam dirigamus, idque in finem usque, donec tandem reipsa ipsam apprehendamus. Sed singula diligentius sunt examinanda.

1. Ait Apostolus, *Tu vero, ô homo Dei, fuge ista*, quasi dicat, quia homo es, debes haec fugere: ac si cogitaveris serio te hominem esse Dei, procul dubio fugies.

Primùm igitur remedium est, ut fugiamus: *id est,* animo *primum* vitium hoc detestemur; *deinde*, reipsa negotiis avaritiae non implicemur. Toti enim quanti sumus, & animo & corpore, fugere debemus. Iis enim duabus partibus constat homo, qui jubetur fugere ταῦτα. Duas igitur habet partes etiam haec fuga.

Una est, ut animo & corde Avaritiam fugiamus, *hoc est*, tanquam rem pestilentissimam nobis Deóque ingratissimam & inimicissimam aversemur, detestemur, ita ut ne de illa quidem cogitemus. Haec pars ex diametro pugnat cum natura Avaritiae, quae est insatiabilis habendi & lucrandi cupiditas. *Si autem contraria contrariis curantur*, hoc remedio tolletur è cordibus nostris, si qua inest, φιλαργυρία, πλεονεξία.

Altera pars fugae est, ut toto corpore ab externis etiam Avaritiae actionibus, iniquis negotiationibus & exercitiis, abstineamus, imò & ab Avarorum commerciis & societatibus nos subducamus & procul fugiamus. Talis enim evadet homo, quali societate fruitur. Haec altera pars fugae necessaria est ad pellendum prorsus è cordibus nostris Avaritiae morbum. Sententia est certissima Aristotelis in Ethicis: Habitus, tam vitiorum quàm virtutum, ex frequentatis actionibus comparari & illis intermissis & omissis amitti. Ergo si velimus vitio Avaritiae liberari, ejus actiones & exercitia, quibus fovetur, omittamus & contemnamus oportet. Hae sunt partes fugae, de qua Apostolus, *Tu verò, ô homo Dei*, Ταῦτα φεῦγε. *ô homo Dei*, nempe quantus quantus es, fuge tum animo, aversando & exsecrando, tum corpore, ab iniquis ejus actionibus te subducendo.

Ad hanc fugae admonitionem pertinet, quod in nostro contextu ait Paulus: Ne nominetur quidem inter vos. Quid enim aliud est, quam ita fugere rem, ut ne nomen quidem ipsum feras?

Caeterùm, quanam ratione adduci poterimus ad hujus vitii fugam odium ac detestationem? Ratio haec duo habet capita: *unum* pendet à re, quam fugere jubemur: *alterum* a nobis, *id est,* a dignitate nostra qui jubemur fugere.

Res, quam jubemur fugere, turpissima est per se, Deo odiosissima, nobis perniciosissima. Et ad hoc caput pertinent ea, quae praecedunt de Avaritia, in loco ad Timoth.; nempe, *qui volunt divites fieri incidunt in laqueos Diaboli.* Eodem pertinent omnia argumenta, quibus ex contextu ad Ephes. demonstravimus: Avaritiam gravissimum esse peccatum. Est enim (*ut alia taceam*) idololatria excludens à Regno Dei. Hoc est primum caput primúmque genus rationum, quibus adduci debemus ad hanc fugam.

Nos verò, qui jubemur fugere, sumus homines Dei, *id est*, e Mundo electi & Deo consecrati. Ideo ait, *ô homo Dei.* Eodem pertinent quae scribit ad *Ephes.* quia, *scil.*, sumus filii Dei ἀγαπητοὶ, sumus sancti, ἅγιοι, haereditatem nostram

nostram habemus non in terra, sed in Coelis, in Regno Christi & Dei: eramus aliquando tenebrae, nunc autem lux in Domino: Æquum igitur est, ut abjiciamus opera tenebrorum, & ambulemus ut filii lucis. Istae sunt rationes, quibus adduci ad fugiendam Avaritiam possumus & debemus, petitae partim à turpitudine & pernicie rei fugiendae, partim à dignitate & conditione nostra, qui fugere debemus. Et utrumque significat Apostolus, dicendo: *Tu verò, ô homo Dei, haec fuge;* fugiamus ergo, quia non vincitur hîc manus conserendo, sed fugiendo.

Secundo loco ait, Sectare verò justitiam &c. Opponuntur haec omnia Avaritiae causis & effectis. Proinde cum jubemur illa fugere, contra jubemur haec sectari: quia haec sectando illa fugiemus: cum fieri nequeat, ut simul cohaereant: Contraria autem contrariis curantur. Avarus injustus est & iniquus (ut supra ostendimus) in Deum, in seipsum, in proximum, in res ipsas. Apostolus verò ait: Sectare justitiam. Justitia reddit cuique suum; sicut contrà Avaritia congregat quae aliorum sunt.

Alterum igitur remedium est, ut in omnibus actionibus nostris hoc semper curemus & studeamus, ut neminem defraudemus, sed cuique, quod suum est, reddamus. Hoc est sequi justitiam. Hujus justitiae actionibus continuatis tandem evanescet habitus injustae avaritiae, si quis sit comparatus.

Subdit Apostolus: Sectare pietatem. Haec opponitur idololatriae. Est autem Avaritia idololatria.

Tertium igitur remedium est, ut perpetuo exerceamus nos in vero cultu Dei, cùm interno tum externo, frequentemus Ecclesiam, non negligamus conciones, participemus Sacramentis, & invocemus Deum. Hoc pietatis exercitium consistere non potest cum Avaritia, quae est idolorum servitus. Proinde mirum in modum facit ad morbum Avaritiae curandum. Qui enim servit Deo, non potest servire Mammonae, juxta dictum Christi. Pietas haec efficiet, ut simus nostra sorte contenti, juxta illud Apostoli, in hoc eodem c. 6. primae ad *Tim.* Magnus quaestus pietas μετ᾽ ἀυταρκείας.

Subdit Apostolus, *Sectare fidem, scil.* in Deum. Praecipuam pietatis partem expressit. Haec opponitur infidelitati & diffidentiae, ἀπιστία καὶ ἀπειθεια. Ex diffidentia certè Dei nascitur Avaritia, & Avari sunt υἱοὶ τῆς ἀπειθείας. Est autem certa regula ablata causa tolli effectum: nec morbos bene curari, nisi causae morborum tollantur. Fiducia autem tollitur infidelitas ac diffidentia.

Quartum igitur remedium est, ut exerceamus nos in fide de providentia Dei, & quod Deus sit Pater noster propter Christum & in Christo. Si sequamur hanc fidem, fieri nequit ut Avaritia haereat in cordibus nostris: quia si Deus est Pater, & curam habet rerum omnium, pascit aviculas, omnia animantia, homines etiam impios & hostes suos: qui poterit nobis filiis suis deesse? Pertinet huc tota illa concio Christi, Matth. 6. qua nos hortatur discipulos suos, ne simus solliciti de rebus hujus Mundi, quid edamus aut bibamus. Multis enim argumentis confirmat suos in fide de providentia Dei Patris nostri adversus Avaritiam, de qua dixerat prius. Non potestis servire Deo & Mammonae. Fidei igitur de providentia Dei Patris exercitium efficacissimum est Φαρμάκον adversus pestem Avaritiae.

Subdit,

Subdit, *Sectare charitatem*, ἀγάπην. Pugnat haec cum φιλαυτίᾳ. φιλαυτία enim sua tantum quaerit, cum aliorum etiam injuria: proinde causa est & mater Avaritiae. At vero charitas *(ait Paulus)* non quaerit quae sua sunt, non agit perperam. 1 Cor. 13. Quare ubi charitas regnat, ibi certè Avaritia consistere nequit.

Quintum igitur medicamentum adversus morbum Avaritiae est, ut te exerceas in dilectione proximi dilectionísque effectis atque officiis, praesertim in Eleemosynis ac liberali beneficentia erga pauperes. Si enim crescit amor numi, quantum & ipsa pecunia crescit: Ergo decrescit amor nummi, *id est*, φιλαργυρία, si beneficentia & piis Eleemosynis decrescat pecunia in arca. Certum est, crescente charitate decrescere & paulatim extingui φιλαυτίαν, Avaritiae parentem. Ac si ames proximum, legem impleveris: Non furaberis, non defraudabis, non rapies aliena.

Subdit Apostolus, Sectare etiam patientiam. Patientia nascitur ex fide in Deum, & à charitate in proximum. Et ejus proprium est adversa omnia, famem, inopiam, & omnium rerum indigentiam, perferre potius, quam Deum & proximum offendere. Novit enim meliorem esse pauperem justum, quam divitem iniquum. Quare pugnat cum impatientia Avarorum, qui ideo non possunt vel unius numili jacturam perferre, quia nec Deum timent nec homines reverentur, sed solum suum Mammonam adorant: nunquam vel mediocribus aut etiam summis divitiis contenti. Ergo si contraria contrariis curantur, etiam tolletur è cordibus nostris *(si quis inest)* φιλαργυρία, πλεονεξία.

Sextum remedium adversus Avaritiae impatientiam est, ut freti divinis promissionibus assuefiamus ferendae inopiae & omnibus adversis propter Christum: & malimus perire fame, quam ullo modo proximum defraudare & cum aliorum injuria divites fieri. Hac ratione frenatur cupiditas.

Addit Apostolus πραότητα, mansuetudinem. Adversatur haec arrogantiae & superbiae avarorum, qui suis divitiis insolescunt & omnes prae se contemnunt homines intractabiles.

Septimum remedium. Non parum profuerit, si studuerimus mansuetudini. Defervescet enim rumor, avari animi proprius effectus. Mansuetudo haec promovebitur, si cogitemus nos nihil in hunc Mundum intulisse, nec inde etiam ablaturos esse, sed morituros, sicut & caeteri homines moriuntur. Plurimum autem haec cogitatio, eóque & animi humilitas, ad extinguendum fervorem φιλαργυρίας & πλεονεξίας profuerit.

Subdit, *Certa bonum certamen fidei: apprehende vitam aeternam, ad quam & vocatus es.*

Certamen fidei est pugna, qua per fidem, seu scuto fidei, contra omnes infidelitatis & diffidentiae tentationes & Satanae insultus pugnamus; freti divinis, cum de auxilio Dei perpetuo ad vitam hanc sustentandam tum de possessione aeternae vitae, promissionibus. Quod enim ait hîc Paulus, *certa certamen fidei*, ad Ephes. dixit, *nobis esse pugnam adversus principes, &c. Sumendum igitur scutum fidei.* Petrus autem dixit C. 5. *cui resistite fortes in fide & 1. Joh. 5. Haec est victoria, quae vincit Mundum, fides nostra.* Certamen igitur fidei est certamen, quo per fidem pugnamus contra tentationes Diaboli ad diffidentiam

de

de Dei providentia eóque ad avaritiam nos sollicitantis. Vocat autem bonum certamen, quia & per se laudabile est & utile, bonúmque habet exitum. Qui enim certat hoc certaminis genere reportat de hostibus victoriam. *Haec est victoria, quae vincit Mundum, fides nostra.*

Octavum igitur remedium est, ut freti divinis promissionibus, quibus promittit se suos suíque timentes non deserturum, omnia verò ad vitam hanc necessaria abundè suppeditaturum, repellamus omnes carnis nostrae ad diffidentiam sollicitantis tentationes, & omnibus Satanae insultibus fortiter resistamus promissiones divinas illi objicientes; qualis est illa: *Quaerite primum Regnum Dei, & haec omnia adjicientur vobis.* Ergo propter lucrum & commoda hujus mundi non est abnegandus Christus & ejus doctrina. Qualis & illa, *Qui reliquerit patrem, matrem, fundos, agros, propter nomen meum, centuplum accipiet in hoc seculo, & in altero vitam aeternam.* Non est igitur, cur bona terrena me in statu idololatrico retineant, quasi periturus sim fame, si Christum sequar. Sic & Christus hoc fidei certamine pugnavit contra Satanam, dicendo: *Non in solo pane vivet homo, sed &c.* Et David, *junior fui, & senui, & non vidi justum derelictum, nec semen ejus quaerens panem.* Psal. 37.

Subdit ad extremum. *Apprehende vitam aeternam, ad quam vocatus es.* Apprehenditur primum fide. *Qui credit in me, habet vitam aeternam.* Joh. 3. Deinde Spe, qua certo speramus plenam ejus possessionem nos habituros. *Spe enim salvi facti sumus.* Rom. 8. Tertiò re ipsa, cum exuti corporibus migramus in Coelum. Vult igitur Apostolus, ut, postquam fide apprehendimus vitam aeternam, eam spe certa perpetuo retineamus, donec tandem peracta pugna in plenam illius possessionem recipiamur. Pugnant autem haec duo inter se, sollicitudo & cura perpetua atque studium de rebus terrenis, quae propria sunt avarorum, & perpetua continuáque apprehensio vitae aeternae.

Nonum igitur remedium adversus Avaritiam est, ut certa fide retineamus nos è Mundo ad vitam aeternam esse vocatos: certáque spe apprehendamus illam plenitudinem coelestium divitiarum, quas in Coelo habituri sumus. Quid hac certa vitae aeternae apprehensione efficacius ad ignem φιλαργυρίας & πλεονεξίας extinguendum, seu ad morbum Avaritiae curandum, inveniri potest? Pulchrè Gregorius primus: *Vilescunt temporalia cum desideramus aeterna.* Huc illud Christi: Nolite thesaurisare in terra: Thesaurisate in Coelo. Ubi enim est thesaurus tuus, ibi cor tuum erit. Matt. 7. Thesaurisamus in Coelo, cùm verè credimus nostros ibi esse thesauros. Nam tantum quisque habet, quantum credit, juxta illud: Secundum fidem tuam tibi fiat. Si hoc crediderimus, ibi certè habebimus cor nostrum. Atque hoc est, quod voluit Christus, ut cor nostrum elevetur in Coelum, ubi nostri sunt thesauri per Christum parati: quod nullum remedium efficacius sit ad tollendum studium thesaurisandi in terris isto quod jam explicavimus.

Sed addam *extremum.* Hoc autem est perpetua oratio ad Deum, ut is ne nos inducat in tentationem: ut is nos eripiat è laqueis Diaboli: ut is denique aqua sui Spiritus extinguat in nobis ignem πλεονεξίας, qui ignis, quo plus ei addis lignorum, eo fit fortior & augetur. Precandus igitur est Deus cum Salomone, ut neque divitias det neque paupertatem: sed tribuat nobis & victui

nostro

nostro necessaria. Hoc est ultimum remedium: & sic docuit Christus, cum Apostolis dicentibus: Quis igitur servabitur, si impossibile est divitem intrare in regnum Coelorum? *respondet*, quod impossibile est apud hominis possibile est apud Deum. Matth. 19.

De vitiis linguae.

Καὶ αἰσχρότης &c. Locus est de lingua compescenda, ut ne illa quidem vitia linguae inter nos sinamus locum habere, quae nullius aut parvi momenti esse vulgo judicantur: uti sunt αἰσχρότης, μωρολογία, εὐτραπελία: quod neque haec deceant sanctos. De iis igitur aliquid etiam breviter dicendum est. Quia enim Apostolus in his tribus postremis capitibus agit de moribus Christianis, ideo non sunt haec praetereunda, quin explicentur ad aedificationem vitae nostrae. Quia vero nomen αἰσχρότης significat non solum verborum obscoenitatem seu αἰσχρολογίαν, verum etiam omnem aliam in actionibus turpitudinem, uti sunt actiones choraearum, vestitus personatorum hominum in Bacchanalibus, & alia id genus multa, & recte ad haec damnanda adduci potest hoc Apostoli dictum: idcirco de iis quoque nonnihil dicendum fuerit.

De iis igitur simul omnibus duo disseremus *Primum* quid sint, & unde oriantur. *Secundo*, Quanta diligentia haec etiam sint vitanda.

De primo.

Αισχρότης in genere *(ut supra quoque diximus)* significat quicquid vel in verbis, vel in factis ac gestibus, ab honestate & decoro recedit: Hoc demum dicitur αἰσχρόν: sicut αἰσχρὸν (1. Cor. II.) est mulieri tondere, viro autem comam nutrire. Item αἰσχρὸν est viro muliebres vestes induere, foeminae autem viriles: id quod & Dominus lege sua cavit, Deut. 10. Speciatim vero accipitur pro αἰσχρολογίᾳ. Haec autem nil aliud est, quam sermo de rebus obscoenis & verba continens obscoena, contra decorum vel loquentis vel audientis vel ejus, de quo verba sunt, prolatus. Haec est αἰσχρολογία.

Μωρολογία sermo est vel de rebus vanis atque stultis, vel etiam de rebus quidem seriis agens, sed verba vanitatis plena continens, vel etiam ineptè, stultique ac morionis more pronunciatus, qualis fuit Davidis apud Regem Achis.

Εὐτραπελία sermo est ad immoderatum risum excitandum compositus, aut verbis per se scurrilibus constans, aut dictis sapientum & sacrarum etiam literarum scurriliter abutens. Dictis sapientum ad risum abutebantur Comoedi, ut Aristophanes dictis Socratis. Dictis Sacrarum literarum abutuntur Pontificii frequentissimè, tum in privatis colloquiis & Scenis, tum in publicis Comoediis.

Quid sint Bacchanalia & habitus personatorum hominum: quid item choreae & hujuscemodi turpitudines, ita notum est, ut non sit opus longa explicatione.

Non praeteribo tamen facetam quandam choraearum definitionem: Chorea

(quidam

(quidam dixit) est circulus, cujus centrum est Diabolus. Res per se vera est, & earum autorem demonstrat.

Unde verò vitia haec omnia nascuntur? Ex corde certè, ut Christus docet. Sed quali corde? Ex corde partim lascivo, partim ventris studioso, partim etiam avaro, semper autem vano & pravo.

Αἰσχρότης plerumque ex corde lascivo est: *ex abundantia enim cordis os loquitur;* μωρολογία ex vanitate plerumque est: quanquam & parasiti stulta loquuntur, ut ventri consulant.

Εὐτραπελία plerumque ex vitio gulae & ex avaritia est. Est enim proprium parasitorum scurriliter agere & loqui: Item Aulicorum, ut oblectent principes, atque ita impetrata illorum gratia facilius eos emungere possint. Isti sunt fontes horum vitiorum.

Proinde non sine causa Apostolus, cum dixisset de Scortatione & de Avaritia, subjecit *de turpiloquio, stultiloquio, scurrilitate:* quia haec nascuntur ex illis.

Ex iisdem fontibus, praesertim ex lascivia, ortae sunt & nascuntur choraeae, saltationes & bacchanalia. Unde apparet quam indigna sint haec omnia homine Christiano.

De Secundo.

Ad secundum igitur quod attinet, fugienda esse haec omnia cum Apostolo dicimus. Quamobrem veró? Nomina ipsa per se docent, αἰσχρολογία, μωρολογία, scurrilitas, Bacchanalia, Lupercalia.

1. Si omnis turpitudo fugienda est homini Christiano: Ergo omnis αἰσχρολογία, item omnes choraeae & Bacchanalia. Sunt enim omnia turpia & Christiano homine indigna.

2. Apostolus vocat τὰ οὐκ ἀνήκοντα: Christianus autem non debet agere & loqui, nisi quae professioni & vocationi conveniunt. Sunt igitur fugienda.

3. Turpiloquio, stultiloquio, & scurrilitati opponit Apostolus εὐχαριστίαν, *id est*, sermonem χάριν & gratiam habentem saléque conditum. Atque hanc vult ut Christiani sequantur: Contraria igitur fugienda.

4. Fructus esse ostendit Scortationis & omnis immunditiae, atque etiam saepe πλεονεξίας, sicut supra declaravimus. Non possunt igitur esse boni, quare vitandi ac rejiciendi.

5. Nec solum fructus sunt Scortationis & lasciviae, sed etiam ad novas immundities provocant auditores & spectatores.

Exemplo nobis est puella, quae saltavit coram Herode. Fugienda igitur sunt.

6. Per haec malè audit Christiana Religio apud Turcas & alios infideles, qui haec apud nos detestantur. Fugienda igitur sunt.

7. Multa alià secum ferunt & trahunt mala, choraeae praesertim & lupercalia: ut sumtus sunt inanes, inde rixae, blasphemiae, interdum & homicidia.

Christiani autem hominis est, ut Paulus docet, abstinere non solum à manifeste malo, sed etiam ab omni specie mali.

Quae mala consecuta sint puellae illius impudicam saltationem liquet ex teme-

temerario Herodis juramento & impio sceleratóque mandato, ut sanctissimus Johannes Baptista occideretur, ejúsque caput daretur saltatrici.

8. Certè in choraeis concupiscentia carnis & concupiscentia oculorum nutritur atque fovetur. Hanc autem ait Joannes non esse ex Patre, sed ex Mundo: & qui iis delectantur, ait eos à Patris dilectione alienos esse. 1. Johan. 2.

At inquiunt choraearum & saltationum patroni nullum extare mandatum de non ducendis choraeis.

Respondeo: Sed hîc est generale mandatum, ut procul absit à nobis omnis αἰσχρότης. Alibi etiam ait abstinendum esse ab omni specie mali. Christus item, si manus scandaliset te, eam esse abscindendam. Quid? *ait*, qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, eum moechatum esse in corde, Mat. 5. Ostensum est autem in hujuscemodi spectaculis foveri concupiscentiam carnis ex visu & contacto, ex gestibus & apprehensione puellarum, quas trahunt huc illuc saltando. Quid igitur ineptius & impudentius quam ideo tueri choraeas, quia expressum mandatum non extat, ne saltemus.

Putidissimum verò est quod affertur de Davide, eum saltasse coram arca. *Primo* hoc semel fecit. *Secundo*, in honorem Dei fecit. *Tertio*, solus sine ulla foemina manu apprehensa fecit. *Quarto*, nulla ibi occasio libidinis excitandae fuit. Quid igitur putidius adferri potest ad defensionem vel excusationem choraearum.

Caeterum de lingua frenanda, & quot quantaque mala ex ea nascantur si non frenetur, praeter quotidiana exempla, praeter etiam dicta Philosophorum, praeter ea quae variis in locis suorum proverbiorum scripsit Salomon, est etiam locus insignis in Jacobi Epistola, c. 3. ubi & quanta sit utilitas frenatae linguae, & quanta mala afferat si non frenetur, luculenter & copiosè explicat.

Continuatio textus v. 8.

Diximus in altera hujus capitis Quinti parte, quae est in vers. 3. usque ad 21. tria praecipua ab Apostolo praestari. *Primum* enim dehortatus est à tribus perniciosissimis vitiis, à Scortatione omnique immunditia: ab Avaritia: à vitio linguae, cujus species tres nominavit, αἰσχρολογίαν, μωρολογίαν, εὐτραπελίαν, significans si haec vitanda sint, multo magis graviora, uti sunt detractiones, contumeliae, blasphemiae, vitanda esse. Hoc primum absolvimus explicatis tribus locis, loco de Scortatione, loco de Avaritia, & de turpitudine choraearum, deque vitiis linguae; quanquam hîc non potui omnia dicere, quae volebam, adversus linguae vitium, sed remisi tunc lectorem ad locum Jacobi cap. 3.

Sequitur *alterum* hujus secundae partis caput, quod à v. 8. usque ad 17. inclusive protenditur. Horum 10. versuum haec est summa.

A particulari adhortatione ad generalem rediens Apostolus, *primum,* nova propositione tum, quae antea dixit, confirmat, tum novam, (ad verba scilicet quod attinet) exhortationem instituit. Exhortatio est, ut ambulemus sicut filii lucis. *Deinde* summam hujus generalis adhortationis complexus, in tria membra eam distribuit; *unum est*, ut quaeramus diligenter quidnam Deo placeat, quo, *scilicet*, vitam nostram ad ejus voluntatem componere possimus.

Al-

Alterum, ut ne communicemus cum operibus tenebrarum infructuosis. *Tertium*, ut ea potius quacunque possumus ratione, atque in primis luce sanctae vitae, redarguamus. Ad haec vero exstimulat nos argumentis aliquot (*sicut supra etiam fecit)* ut videbimus in contextu. Tandem, quod figurate dixerat, planis & perspicuis verbis clarius explicans hanc generalem adhortationem concludit.

Ad primum igitur quod attinet, ait:

Eratis enim quondam tenebrae, nunc autem lux in Domino: ut filii lucis ambulate.

Syriacus dictioni *Domino* addit *nostro.* Item addit in adhortatione particulam illationis, *igitur*, his verbis, *Ut filii lucis igitur ita ambulate.*

Duo sunt membra hujus versus: *primum* est antecedens. Eratis enim quondam tenebrae (nempe extra Dominum:) nunc autem lux in Domino. *Alterum* est consecutio. Ut filii igitur lucis ambulate.

Illud Antecedens *primum* continet confirmationem superioris conclusionis in vers. 7. μὴ οὖν γίνεσθε συμμέτοχοι αὐτῶν, nempe filiorum ἀπειθείας. Quid ita? Quia non estis amplius tenebrae, sed lux in Domino. Quasi dicat, Cum essetis tenebrae extra Dominum, eratis etiam filii ἀπειθείας: ideo mirum non est, quod essetis consortes aliorum filiorum ἀπειθείας in iisdem peccatis. Nunc autem, cum sitis facti lux in Domino, non debetis amplius esse ἀπειθεῖς, nec eorum fieri consortes. Conjungi cum superioribus hunc versum docet particula γὰρ: *Eratis enim*, &c.

Sed *secundo* loco est etiam nova propositio; ex qua mox infert aliam conclusionem, dicendo: Ut filii igitur lucis ambulate.

Caeterum, quid nomine *tenebrarum & lucis* intelligat breviter explicandum est, cum multa sint hujus vocis significata, duo tamen praecipua huc quadrant. *Primò* significat ignorantiam Dei rerúmque divinarum, eóque statum omnino impium. 1. *Joan*. 2. Tenebrae praeterierunt, & vera lux jam lucet, i. e. cognitio Dei. *Secundò* significat vitam prorsus impiam & scelerum plenam. Atque haec significatio pendet ex priore. Sic opera tenebrarum hîc & alibi vocat omnis generis scelera. Ita duo Apostolus de Ephesiis commemorat: *Unum* quod fuerint, cum essent sine Christo, omnis verae cognitionis Dei expertes: *Alterum*, quod fuerint homines flagitiosi. Utrumque breviter Scholia attigerunt: σκότος δε λέγει τόν ἐν πλάνῃ βίον. Hoc idem confirmat vox contraria φῶς, *lux*. Significat enim cognitionem Dei & vitae puritatem, quia utrumque habetur per communicationem Christi, qui lux est, *id est*, sapientia divina, ac λόγος Dei Patris. Item lux est, *id est*, purissima sanctitas, in qua tenebrae non sunt ullae, & in quo non est inventum peccatum. Deus in primis lux vocatur propter summam sapientiam, sanctitatem, & felicitatem. 1. *Joh*. 1. Deus lux est. Secundò, Christus etiam ut Mediator. *Joh*. 8. Ego sum lux Mundi, qui sequitur me non ambulat in tenebris. *Tertiò*. Pii omnes, qui κοινωνίαν habent cum Christo luce, & in quorum cordibus accensa est lux fidei per charitatem efficacis. Merito igitur nomine *tenebrarum* significatur ignorantia Dei, adeóque omnis impietas & vita flagitiosa, sicut contra nomine *lucis* significatur cognitio Dei ac fides, & puritas sanctitasque vitae: ac proinde ipsi fideles ac

sancti

sancti sanctaeque vitae homines. Habet autem ἔμφασιν quod non dixit, *Eratis pleni tenebrarum*, sed per metonymiam, *Eratis tenebrae*, sicut dicitur aliquis non scelestus sed scelus ipsum.

Et contrá, non ait, nunc autem lucidi estis, sed estis lux. Sensus igitur est, vos eratis homines prorsus caeci & flagitiosi, nunc autem pleni sapientia & sanctitate.

Sed hoc *(inquies)* facilè concedo: verum quomodo congruit, quod fideles vocat non lucidos, sed lucem ipsam, dicendo, *Nunc autem lux in Domino:* cùm tamen adhuc tenebrae multae in nobis sint & multa caligo, item multa peccata, quae sunt opera tenebrarum.

Respondeo. *Primò:* sumus lux, quia licet in nobis ipsis non simus tales, sumus tamen in Christo capite nostro: ideo dixit, *lux in Domino:* qua voce significat non solum per Dominum nos esse factos lucidos, sed in ipso Domino consideratos esse lucem ipsam. *Secundò:* quia quicquid in nobis est adhuc tenebrorum & caliginis, illud non imputatur: sed contra imputatur nobis sapientia & justitia ac sanctitas Christi. Ad summam, quod hîc paucis ait Apostolus, *vos quondam eratis tenebrae*, explicandum est per id, quod tradidit supra c. 4, v. 17. 18. 19. Ubi descripsit statum Ephesiorum ante conversionem, dicendo, eos fuisse sicut reliquae sunt Gentes, quae versantur in vanitate mentis suae, intellectum habentes obtenebratum, abalienati à vita Dei propter ignorantiam, quae est in illis, & obdurationem cordis eorum, qui, posteaquam dedoluerunt, dediderunt se lasciviae ad perpetrandam omnem immunditiem. Ecce tenebras. Quod vero hîc subdit: *Nunc autem lux in Domino*, idem est cum eo, quod ibi dixit, v. 20. 21. 22. Vos autem non sic didicistis Christum, &c. Legatur locus. Nunc igitur tenemus quid sibi voluerit Apostolus, cum dixit, Eratis quondam Tenebrae, nunc autem lux in Domino.

Sequitur consecutio: Ut filii igitur lucis ambulate. Hebraïsmus quidem est, pro donati estis luce, & lux estis, sicut filius hominis, *id est*, homo; non sine causa tamen nos filios lucis vocat, quia, *scilicet*, ex luce, quae est Deus, geniti sumus, ac proinde quia naturae illius aeternae lucis participes facti sumus. Sed sunt filii lucis & Dei duorum generum, alii legitimi alii spurii. Legitimi sunt, qui ingenium Patris referunt (sic enim declarant se vere natos esse ex Spiritu Dei), spurii, qui ex aqua tantum, non autem ex Spiritu Dei nati sunt. Quinam verò unius sint & qui alterius generis filii, soli Deo, dum hîc vivimus, verè notum est. Quoniam autem nobis est ignotum, ideo Paulus sine discrimine, omnes, qui dederunt nomen Christo, filios lucis, sicut supra filios Dei appellat. Revera etiam adhortatio ad omnes pertinet: quae causa est, cur omnes sine discrimine filios lucis appellet, cùm tamen non omnes reipsa essent. Porrò, ambulare ut filii lucis nil aliud est quam juxta nostram vocationem & conditionem vivere, lucemque fidei internam per bona externa opera foros proferre, ad gloriam Dei & ad aedificationem proximi: juxta illud *Matt.* 5. Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant vestra bona opera, & glorificent Patrem vestrum qui in coelis est.

Argumentum igitur Apostoli, quo hîc ad sanctitatem vitae hortatur & exstimulat, ducitur à collatione diversorum statuum ad diversam vitae rationem. Aliud

Aliud enim genus vitae congruit nobili aliud ignobili, aliud iis, qui in tenebris semper versantur, aliud illis, qui in luce & in omnium conspectu positi sunt. Ergò, *Ut filii lucis ambulate*, nil aliud est quam: Ergo vitam ducite vestrae conditioni congruentem. Hoc enim ut faciatis, vestra à statu illo tenebrarum ad statum hunc lucis vocatio postulat. Argumentum hoc observandum est. Sequitur aliud.

V. 9. Fructus enim Spiritus situs est in omni bonitate & justitia & veritate.

Syriac. nihil habet diversi.

Per parenthesin haec legenda sunt, ut congruat constructio praecedentis versus cum insequenti, δοκιμάζοντες. Est autem hîc novum argumentum ab eo, per quem vocati sumus e statu tenebrarum in Regnum lucis, *hoc est,* à Spiritu Sancto ductum. Argumentum tale est:

Debetis ambulare juxta ductum ejus, per quem vocati estis ab illo impio & pernicioso ad hunc salutarem statum, *hoc est*, tales proferre fructus, quales ipsi placent, & quales ipse operatur in suis & verè ad Christum conversis: Atqui fructus Spiritus positi sunt in omni bonitate, justitia & veritate: Ergo, &c.

Etsi verò hîc ex professo non doceat Apostolus, quomodo, sed potius cur debeamus *ut filii lucis ambulare:* tamen obiter etiam indicat quaenam opera digna sint filiis lucis. Sunt autem haec: *Bonitas, justitia, veritas.* Bonitas opponitur malitiae, qua homo in sese malus est: justitia injustitiae, qua homo injuste se gerit erga proximum, per avaritiam, fraudes: veritas opponitur erroribus, mendacio & hypocrisi, qua etiam in Religione fallimus & Deum & homines. Summatim ergo complexus est omnes fructus Spiritus. Caeterùm, *qui male agit, odit lucem* (inquit Christus Johan. 3.) qui item injustè & qui mendaciter, quaerunt tenebras. Ergo contraria, bonitas, justitia & veritas, luce gaudent: quare filios lucis haec decent. Cùm igitur hi sint fructus Spiritus Sancti: sequitur, *si filii estis lucis*, debere vos cum iis ambulare fructibus, *hoc est*, proferre fructus illius Spiritus, per quem è statu tenebrarum in regnum lucis vocati estis. Est igitur hîc argumentum alterum, quo ad studium sanctitatis nos una cum Ephesiis hortatur. Sequitur:

V. 10. Probantes quid sit acceptum Domino.

V. 11. Et ne commercium habeatis cum operibus infructuosis tenebrarum: quin ea potius etiam arguite.

Sic etiam legit *Syriacus*, per omnia cum Graeco consentiens.

Construuntur autem hi duo versus cum 8. hoc modo: Quando quidem non estis amplius tenebrae, ut quondam, sed lux in Domino, ideo ut filii lucis ambulate, *id est*, vivite. Sed quomodo? Et in quibus consistit ista ambulatio? Explicat dicendo. 1. *probantes*, δοκιμάζοντες, *id est*, diligenter, accuratè & omni studio explorantes, quid acceptum & gratum sit, non hominibus aut prudentiae carnis, sed Deo. Hic est primus passus in hoc itinere.

2. *Et ne commercium habeatis cum operibus infructuosis tenebrarum, id est,*

& quod noveritis Deo non probari aut placere, sed ejus naturae & sanctitati repugnare, illud rejicitote. Talia autem sunt opera tenebrarum, *id est*, peccata omnia.

3. *Ea potius redarguite*, nempe non tam verbis quàm contraria vita, i. e. operibus: quasi dicat, quod vero videritis Deo gratum esse, illud praestare studete; haec autem sunt opera lucis, quibus ipsa opera tenebrorum potestis manifestè redarguere. Ita haec cum superiori adhortatione, *ut filii lucis ambulate*, construenda sunt & conjungenda.

Docet igitur Apostolus quibus in rebus summatim consistat vita Christiana, nimirum in iis tribus: *Primum*, in accurato studio cognoscendi Deum ejúsque voluntatem, quid ei probetur quid improbetur. *Deinde*, in vitandis illis, quae Deo improbantur, ita ut ne ullam quidem communionem cum illis habeamus, eáque infructuosa. *Postremo*, in praestandis illis, quae Deo grata sunt: haec autem sunt opera lucis ac fidei, seu fructus Spiritus, quibus & placere proximo nostro debemus, & omnia tenebrarum opera reipsa redarguere. Haec est sumna horum duorum versuum 10. 11.

Consideranda igitur sunt priori loco haec duo argumenta. *Primum* ducitur à formali causa: Vos cum quondam extra Deum essetis tenebrae, nunc in Domino facti estis lux: Ergo ut filii lucis (i. ut lux & luminaria in mundo) debetis ambulare. Nititur haec consecutio illa generali & physica propositione, unum quodque agit & operatur per suam formam, operaque suae naturae consentanea efficit: Ignis operatur non ut aqua, sed ut ignis, i. e. calefacit & siccat. Sol operatur & ambulat seque gyrat in coelo, non ut Luna sed ut Sol, clarissimè, *scilicet*, lucendo, calefaciendo, vivificando inferiora. Si igitur non estis amplius tenebrae, sed lux in Domino, revera ambulabitis ut filii lucis, non ut tenebrae, lucendo & lucis opera praestando. Ac proinde cum operibus tenebrarum nihil vobis erit negotii, sed illa potius arguetis.

Alterum argumentum bifariam explicari potest. Uno quidem modo, prout ducitur à causa efficiente i. e. à Spiritu Sancto, per quem facti sumus lux. Fructus Spiritus est in bonitate, justitia, veritate: Ergo debetis tanquam acti à Spiritu Sancto ambulare fructúsque illius proferre, fructus, *inquam*, qui luce gaudent & non tenebris: tales sunt bonitas, justitia, veritas: sicut contrá, qui malitiosè agunt, injustè & mendaciter, oderunt lucem. Versum verò hunc continere probationem praecedentis conclusionis liquet, quia simul ac dixisset, Ut filii lucis ambulate, statim subjecit particulam γὰρ, dicendo, ὁ γὰρ κάρπος τοῦ πνεύματος. Pendet autem vis hujus argumenti ex ista propositione. Quicunque aguntur à Spiritu Dei, ii quatenus ab eo aguntur, fructus Spiritus proferunt. Horum verò summa consistit in bonitate, justitia, veritate: Atqui si vos verè facti estis lux in Domino per Spiritum Sanctum, ab eo etiam ducemini. Quicunque enim filii Dei sunt, ii aguntur à Spiritu Sancto. Ergo si estis lux in Domino, debetis ambulare in luce ad ductum Spiritus Sancti.

Potest tamen hic locus etiam exponi de Spiritu, qui opponitur carni, i. e. pro homine renato, quatenus renatus est & factus spiritualis, ut sit sensus: Vos facti estis lux in Domino, i. e. renati per Spiritum Domini, donatíque ejus lumine & sanctitate. Fructus autem Spiritus in bonitate consistit, justitia & veritate, sicut contrá fructus carnis sunt malitia, injustitia, mendacium. Ergo

si

si verè estis lux in Domino, renati per Spiritum Sanctum, vos ambulabitis ut filii lucis, in bonitate, justitia, veritate. Atque haec interpretatio simplicior videtur. Nam etiam Galat. 5. simile quiddam habet, cum recenset opera carnis & fructus Spiritus. Haec de duobus iis argumentis.

Secundo, consideranda est explicatio Apostoli, qua tribus membris declarat, quid sit ambulare ut filii lucis. *Primùm est*, ut accuratè investigemus & cognoscamus, quid Deo placeat: ex hujus enim cognitione liquet etiam quid ei displiceat: quia si quid non placet, displicet. *Alterum*, ut non commercium & communionem habeamus cum infrugiferis tenebrarum operibus, i. e. cum illis, quae Deo non placent. *Tertium est*, ut ea opera tenebrarum redarguamus, *hoc est*, ut faciamus quae Deo placent, i. e. opera lucis, & ea re opera tenebrarum redarguamus. De hac enim redargutione, quae fit manifestis sanctae vitae exemplis, loquitur hîc Apostolus; quia ad omnes fideles scribit: non est autem omnium verbis arguere, est verò exemplis sanctae vitae. In iis tribus docet consistere totum hoc ambulandi in luce studium, eóque totam vitae Christianae rationem.

Explicatio haec & sufficiens est & congruens. Sufficiens: quia tota lex consistit in cognitione voluntatis divinae & in ejus obedientia. Ideo *primum* mandat Deus, ut audiamus vocem suam, & cognoscamus ejus voluntatem: *deinde*, ut faciamus eam. Et sic Christus dicit illum esse optimum servum, qui novit voluntatem Domini & fecit eam. Obedientia autem duas habet partes: *unam*, ut declinemus à malo: *alteram*, ut faciamus bonum. Utroque autem modo malum redarguimus, illud, *scilicet* fugiendo, & contrarium, i. e. bonum faciendo. Quare sufficiens fuit haec totius vitae Christianae, ad quam hortatur Apostolus, in tres partes distributio: cum dixit *primò:* δοκιμάζοντες τί ἔστιν εὐάρεστον τῷ κυρίῳ: *Secundò:* καὶ μὴ συγκοινωνεῖτε τοῖς ἔργοις τοῖς ἀκάρποις τοῦ σκότους: *Et tertiò:* μᾶλλον δὲ καὶ ἐλέγχετε.

Deinde explicatio haec congruentissima est cum metaphora lucis, i. e. adhortatione, Ut filii lucis ambulate. Haec enim omnia propria sunt lucis. Primum *lux*, puta Sol, semper ambulat, nunquam quiescens, & sua luce omnia illustrat, ac quae bona quae mala, quae amplectenda & quae vitanda sint, demonstrat. Meritò igitur, postquam dixit nos esse lucem in Domino & filios lucis, jussit nos, ut tales ambulate probantes quidnam sit beneplacitum Domino. Vult enim ut, qua luce donati sumus per Evangelium, ea utamur semper ad magis ac magis indies cognoscendum quid Domino gratum sit aut ingratum. Hanc enim vim habet participium praesens δοκιμάζοντες: quo significatur studium & accuratum & continuum cognoscendae voluntatis divinae; ídque non tam legendo & audiendo, quam πράξει, experiendo. Nam Rom. quoque 12. idem significavit dicendo. Nolite conformari huic seculo, sed transformemini per renovationem mentis vestrae ad hoc, ut probetis εἰς τὸ δοκιμάζειν ὑμᾶς, τί τὸ θέλημα τοῦ θεοῦ τὸ ἀγαθὸν καὶ εὐάρεστον καὶ τέλειον. Non potest igitur bene probari, quae sit voluntas Dei bona, nisi mente renovata & tenebris repurgata. *En primum lucis officium.* Certè Sol sua luce probat & reipsa experitur, quid quaeque res sit, bona an mala, formosa an deformis: & quotidiè hoc probat & experitur suae lucis communicatione & usu.

II.

II. *Lux*, etsi foedissima quaeque tangat *(neque enim hoc vitari potest)*, ipsa tamen nunquam inficitur, nec particeps fit impuritatis, quae in rebus est quas ipsa percellit. Sic neque filii lucis vitare possunt, quin cum multis etiam impiis versentur (alioqui, ut Paulus ait ad Corinth, oporteret nos ex hoc mundo discedere, 1. *Cor.* 5.10.); interim tamen cum infrugiferis tenebrarum, *id est*, impiorum operibus non communicant, multò minùs cum perniciosissimis. Viden naturam lucis? Meritò igitur ait, καὶ μὴ συγκοινωνεῖτε τοῖς ἔργοις τοῖς ἀκάρποις τοῦ σκότους. Non ait simpliciter, Ne communicetis cum tenebris, *id est*, cum Gentibus infidelibus, *sed ait*, cum operibus tenebrarum. Ergo non prohibetur simpliciter omnis consuetudo cum impiis, sed omne commercium cum operibus eorum impiis & tenebricosis. Quaenam verò sunt haec opera tenebrarum? Scholia: ἔργα σκότους εἶπε ὀνομάσας πᾶσαν ἁμαρτίαν. Ac notandum, quod ait, ἀκάρποις: quantò minùs igitur commercium & κοινωνία habenda est cum operibus impiorum manifestè perniciosis? Vult igitur Deus totam vitam nostram & actiones nostras esse frugiferas & utiles Ecclesiae: ac proinde vitanda vana otia & otiosas infrugiferásque actiones. Certè lux semper se reddit utilem. Multis autem modis potest quis dici cum operibus tenebrarum communicare, nempe vel cooperando eadèmque faciendo, ut qui cum idololatris intersunt iisdem sacris & idololatriis: vel consulendo & approbando: vel etiam permittendo aut connivendo, & non prohibendo, cùm possis ac debeas, sed tacendo & dissimulando. Omnia enim continet verbum συγκοινωνεῖν. Nullo autem modo debemus communicare cum operibus tenebrarum & illis infici, sicut neque lux inficitur sordibus rerum immundarum, sed eas tantum detegit & in lucem profert. Quae enim communio luci cum tenebris? 2. *Corinth.* 6.

III. Sequitur tertia lucis proprietas. Lux suo splendore omnia retegit, & foedissima quaeque sua pulchritudine damnat & arguit. Meritò igitur Apostolus in metaphora lucis persistens subdit μᾶλλον δὲ καὶ ἐλέγχετε: μᾶλλον δὲ (inquit) καὶ ἐλεγχετε. Sensus est: Tantùm abest ut debeatis cum talibus operibus communicare, ut ea potiùs debeatis ἐλέγχειν. Quid est ἐλέγχειν? *convincere*, scilicet, *esse mala*, *esse infrugifera*, *perniciosa*, *eóque vitanda*. Vult igitur Apostolus, *ut opera tenebrarum*, *quae in aliis cernimus*, *sive sint idololatriae*, *sive ebrietates*, *sive scortationes*, *& alia peccata omnia*, *& vitemus nos & vitando redarguamus atque damnemus.*

Bifariam verò hoc fieri potest; *primum*, verbo; sic Christus Mat. 18. *Si peccaverit frater tuus, vade & corrige eum.* Et. 1. Tim. 3. Tit. 1. in episcopo requiritur scientia & cognitio sacrarum literarum, ut possit contradicentes ἐλέγχειν. Item, *argue*, *obsecra*. Item, *peccantes coram omnibus argue.*

Secundo, factis, *id est*, contraria vitae conversatione contrariísque moribus: quanquam quibuscunque possumus modis, & quantum nostra postulat vocatio, debemus peccata arguere. Tamen de primo modo non hîc propriè loquitur Apostolus, sed de altero; id quod hinc liquet:

Primo: Quia priori modo uti debemus juxta mandatum Christi erga fratres peccantes, *si peccaverit frater tuus* (inquit) *vade &c.* Mat. 18. Hîc verò Apostolus de infidelibus loquitur, quos vocat tenebras & opera eorum opera tenebrarum.

Se-

Secundo: Ad omnes hîc scribit Apostolus Christianos: verbis autem arguere aliorum peccata non est cujusque; cujusque autem est arguere contrariis moribus, sancta vitae conversatione & à communicatione peccatorum declinando.

Tertio: Metaphora ipsa lucis hoc idem confirmat. Lux non verbis sed suo splendore redarguit tenebras, & omnia tenebricosa & foeda illa in lucem proferendo; ideo dixit: Vos estis lux in Domino, ut filii lucis ambulate: & (nempe ut lucidi vestra luce) arguite opera tenebrarum.

Quarto: Ait debere nos arguere non tenebras ipsas, *id est*, ipsos infideles, sed opera tenebrarum. Homines peccantes redarguuntur verbis, fratrem peccantem arguendum docet Christus; sed hominum peccata & opera mala redarguuntur contrariis, *id est*, bonis operibus.

Quinto & postremo, verba quae subjicit Apostolus idem evincunt; rationem enim subjicit, cur debeamus arguere opera tenebrarum luce nostra, *quia* (inquit) *quae ab illis secreto fiunt turpe est vel dicere. Primum*, si secretò fiunt, quomodo verbis arguere poteris ignota? *Deinde*, si turpe est & dicere, quomodo tu ea verbis honestè reprehendes? Sed luce pietatis & bonorum operum scelera etiam redarguuntur. Ubi? in ipsorum, qui ea agunt, conscientiis. Impius enim & ebriosus si videat te aversari omnia idola, omnem ebrietatem, scortationem &c. convincetur in sua conscientia, quae agit non esse bona. De hoc genere redargutionis 1. *Corinth.* 14. Quod si omnes prophetetis, ingrediatur: ero incredulus aut indoctus: coarguitur ab omnibus, deinde cavetur ab omnibus: & sic occulta cordis ejus manifesta fiunt, atque ita procidens in faciem adorabit Dominum, renuncians quod revera Deus in vobis sit. Hoc enim genere redargutionis non offenduntur peccatores, sed melius & utilius redarguuntur quam altero modo & citius convertuntur.

De hoc igitur modo propriè hîc Apostolum loqui dubium non est. Et sic Photius in Scholiis: *ἐλέγχετε φησὶ τῇ παραθέσει τοῦ οἰκείου βίου.* Item, *ἅπαντα τὰ ἔργα αὐτῶν διὰ τοῦ φωτὸς τοῦ ὑμετέρου βίου ἐλέγχεται καὶ φανεροῦται.* Proinde, quae etiam sequuntur, idem evincunt, cum ait, *τὰ δε πάντα ἐλέγχομενα ὑπὸ τοῦ φωτὸς φανεροῦται.* Quia enim dixerat, quae turpiter ab ipsis Ethnicis secreto fiunt turpe est dicere: docet quomodo illa secreto admissa scelera argui & patefieri possint: nempe *luce sanctae vitae.*

Hactenus vidimus quaenam sint illa, in quibus Apostolus docuit consistere rectam rationem ambulandi in luce, collata cum tribus proprietatibus lucis.

Quae subdit vers. 12. 13. 14. rationes & argumenta continent, quibus nos Apostolus excitat ambulandum in luce & ut filios lucis: atque in primis ad redarguenda opera tenebrarum luce nostrae & pietatis & sanctitatis.

V. 12. *Τὰ γὰρ κρυφῇ γινόμενὰ ὑπ᾿ αὐτῶν αἰσχρόν ἐστι καὶ λέγειν.*

Haec verba continent, *Primo:* primam rationem cur Apostolus in genere dixerit *μᾶλλον δε καὶ ἐλέγχετε*, *scilicet*, ipsorum opera, & non ea explicavit: quia *(inquit)* turpe etiam est ea nominare. *Secundo:* Exaggerationem habent peccatorum, quae inter Gentiles regnabant: quasi dicat, usque adeò foeda sunt & turpia, ut etiam turpe sit ea nominare. Ita *tertio* loco continent argumentum, cur

cur non debeamus cum illorum operibus ullum habere commercium: quia nimirum sunt turpissima. *Quarto:* Sed in primis verba haec continent rationem, cur luce sanctae vitae debeamus arguere omnia opera tenebrarum: quia *(inquit)* quae admittunt secreto, sunt omnia turpissima: ac cùm sint occulta, verbis corrigere nequimus; neque etiam fortè nos audirent, usque adeò turpia sunt, ut turpe etiam sit apud ipsos ea nominare. Ergo luce pietatis & sanctitatis potiùs quam verbis praestat ea tenebrarum opera redarguere; ἔμφασιν habet illud καὶ αἰσχρόν ἔστι καὶ λέγειν: quasi dicat, quanto igitur turpius ea perpetrare? Ita hoc novum est argumentum, quo excitamur ad vitandos Gentium mores, sequendamque lucem divini verbi & quod εὐάρεστον est τῷ κυρίῳ.

V. 13. Τὰ δέ πάντα ἐλεγχόμενα ὑπὸ τοῦ φωτὸς φανεροῦται: πᾶν γὰρ τὸ φανερούμενον φῶς ἔστι.

Syriac. *Omnis enim res corrigitur a luce & manifesta fit: & omnis res, quae manifestat, lux est.*

Hoc versu duo docet: *Primo:* Quàm utilis sit haec aliorum vitia redarguendi ratio, nempe per lucem pietatis & sanctitatis: & hoc facit primo membro, dicendo, *Omnia autem, &c. Deinde* ostendit vitam piorum, qua tenebrarum opera arguunt, esse veram lucem, quia omne quod manifestat lux est. Ita hic duo alia sunt argumenta, quibus exstimulat nos Apostolus ad vitae sanctitatem. *Unum* ab utili ductum, quia hac ratione salus proximi promovetur. *Alterum* ab honesto, quia cum hac ratione, *id est*, exemplo vitae manifesta fiant inque lucem producantur opera impiorum etiam occulta, apparet vitam piorum veram esse lucem: πᾶν γάρ τὸ φανερούμενον φῶς ἐστί; ac proinde sequitur honestum esse & aequum, ut hac ratione vitia impiorum redarguamus. Haec est summa hujus versus.

Ad *primum* quod attinet, illa vox, ὑπὸ τοῦ φωτὸς, construi potest & cum praecedenti participio ἐλεγχόμενα conjungi, & verò etiam cum sequenti verbo φανεροῦται, ὑπὸ, *scilicet*, τοῦ φωτὸς, copulari. Videtur tamen secunda lectio magis congruere cum sequenti αἰτιολογίᾳ, πᾶν γὰρ τὸ φανερούμενον φῶς ἐστι. Sed sensus eodem recidit: quia etiam, quod reprehenditur, à luce reprehenditur, non minus quam, quod manifestatur, à luce manifestatur.

Sensus igitur est: si vita nostra sancta coarguamus opera tenebrarum, *id est*, opera impiorum infructuosa: sperandum est fore, ut hac ratione nostráque luce impii in sui cognitionem adducantur: adducti verò in sui suorúmque scelerum cognitionem serventur. Ergo utilissimum fuerit proximo nostro, si sanctè vivamus & luce sanctae vitae mala eorum opera redarguamus: πάντα γὰρ ἐλεγχόμενα ὑπὸ τοῦ φωτὸς ὑπο τοῦ φωτος etiam φανεροῦται, subintellige, & ideò etiam σώζεται: ἡ γὰρ τῶν κρυφίων (inquit Photius) διὰ τῆς εὐαρέτου πολιτείας φανέρωσις εἰς κατάγνωσιν προτρὲπεται, ἡ δε ἀρχὴ γίνεται ἐπιτροφῆς: αὐτὴ δε εἰς ἐργασίαν ἀρετῆς καταλήγει, ὅπερ ἐστὶ φῶς.

Est igitur manifestum argumentum nobis, qui facti sumus lux in Domino, ambulandum esse ut filiis lucis, *id est,* purè & sanctè vivendum, quia, praeter alias causas, hac luce pietatis & sanctitatis arguuntur peccata impiorum in suis

suis ipsorum conscientiis: sic autem reprehensa manifesta fiunt ipsis, *scilicet*, impiis, quod sint peccata verè frugifera imò damnantia. Haec autem peccatorum φανέρωσις initium est salutis ipsorum. Hoc est quod Christus dixit, *Mat.* 18. de correctione fratrum loquens: Vade & argue, si te audierit, lucratus eris fratrem tuum. Locus hic est de utilitate correctionis sive per verba sive per vitae exempla factae: πᾶν γὰρ τὸ φανερούμενον φῶς ἔστι.

Illud φανερούμενον quidam passivè accipiunt pro opere lucis, & volunt reddi rationem ejus, quod dixit modo, πάντα ἐλεγχόμενα ὑπὸ τοῦ φωτὸς φανεροῦνται, ut sit sensus: omne enim quod manifestatur à luce lux est, *id est*, opus lucis. Photius ab hoc non abludit, sed sensum habet clariorem & praestantiorem, is est, homines, quorum peccata arguimus luce sanctitatis nostrae, ita adduci in sui cognitionem, ut tandem & ipsi convertantur & conversi fiant lux in Domino. Hoc est, πᾶν γὰρ τὸ φανερούμενον (passivè) φῶς ἔστι, *id est*, fit lux in Domino.

Sed receptior est alia interpretatio, ut activè accipiatur, cum sit verbum μέσον. Atque hunc etiam alterum sensum affert secundo loco Photius. Sic Syriac. Omnis res, quae manifestat, lux est; ut sit sensus: Quicquid aliud manifestat lux est: Atqui vita piorum manifestat vitia impiorum. Ergo lux est. Si autem est lux: Ergo aequum est, ut hac luce utamini ad redarguenda opera tenebrarum. Hoc alterum hujus versus argumentum. Sententia haec manifestissima est: Omne quod manifestat, lux est: liquet à contrario, quia tenebrae regunt omnia; lux autem & tenebrae contraria sunt. Si igitur contrariorum contrariae sunt actiones: liquet omne quod manifestat esse lucem. Inverte igitur, sicut tenebrarum est omnia tegere, sic lucis est omnia revelare: Atqui vos estis lux: Vestrum igitur est luce pietatis & sanctitatis opera tenebrarum redarguere & in lucem proferre; in quem verò finem? ut, *scilicet*, impii pudefacti & suae impietatis cognitione donati convertantur & salvi fiant, fiantque & ipsi lux in Domino. Hic est sensus hujus versus 13.

Sequitur aliud argumentum idem concludens, à pronunciatis deductum.

V. 14. Διότι λέγει, ἔγειρε ὁ καθεύδων, καὶ ἀνάστα ἐκ τῶν νεκρῶν, καὶ ἐπιφανεῖ σοὶ ὁ Χριστὸς. *Quapropter dicit, expergiscere qui dormis, & exurge à mortuis, & illucescet tibi Christus.*

Syriac. *Propterea dictum est, Expergiscere &c.* Nihil praeterea diversi habet.

Διότι λέγει, Quis? Spiritus Sanctus. Ubi? in scripturis. In quo libro? Quidam volunt innui cap. 60. Jesaiae, Surge, illuminare Hierusalem, quia venit lumen tuum. Alii cap. 9. ejusdem Prophetae, populo, qui sedebat in tenebris, & qui ambulabat in umbra mortis, lux orta est illi. Hieronymus vult dictum Apostoli à Spiritus Sancti afflatu acceptum & usum fuisse consuetudine Prophetica, qui dicebant, Haec dicit Dominus, *scilicet*, per nos: sic Apostolus Διότι λέγει (*scilicet*, Spiritus Sanctus per me.) Alii, Apostolum summam praedicationis poenitentiae collegisse ex Prophetis, & hac brevi sententia complexum esse. Surge, qui dormis &c. *id est*, desine peccare & resipisce, & illucescet tibi Christus, id est, & Christus servabit te vitáque aeterna donabit: iis enim duabus

duabus partibus constat summa Propheticae & Apostolicae doctrinae, praedicatione, *scilicet*, poenitentiae: surgamus à peccatis; & annunciatione promissionum de remissione peccatorum salutéque aeterna per Christum. Haec sententia placet.

Sed quaestionem movet Hieronymus, cur peccatorem modò ut viventem alloquitur, comparans eum dormienti, dicendo, Expergiscere qui dormis: modò ut mortuum, dicendo, Et exurge à mortuis?

Summa responsionis est, duo esse peccatorum genera, qui ad poenitentiam invitantur: sunt homines spirituales, *id est*, renati, qui tamen & ipsi peccant, & ceu dormiunt saepè in suis affectibus: sunt & animales, *id est*, prorsus impii, qui revera mortui sunt in peccatis, ut supra etiam Apostolus docuit. Ad omnes tamen pertinet praedicatio poenitentiae. Sic explico obscuram Hieronymi responsionem, qui tantùm nominat Spiritum & Animam. Hanc innuit etiam Photius, qui ait ταῦτα καὶ πρὸς ἀπίστους και πρὸς πίστους ἁμαρτώλους ἁρμάξειν. Fideles, qui peccant, comparantur vivis quidem hominibus, sed dormientibus: Infideles autem mortuis. Omnes invitantur ad poenitentiam, & omnibus promittitur Christus, qui illis affulgeat sua gratia, & donet vitam aeternam. Hunc enim sensum habet verbum affulgendi, sicut *Jes.* 9. Populo qui erat in tenebris & in umbra mortis, lux orta est ei. Haec pro explicatione & intelligentia verborum Apostoli.

Caeterum argumentum Apostoli, quo nos excitat ad redarguenda opera tenebrarum, hoc est, Spiritus Sancti vult, *ut qui facti sunt lux in Domino, luménque habent, & facem portant coelestis doctrinae, arguant perpetuò opera tenebrarum, omnes ad poenitentiam excitando:* & hoc apparet in omnibus Prophetis & Praeconibus Spiritus Sancti. Summa enim doctrinae ipsorum haec est, *expergiscere ô qui dormis:* Atqui vos facti estis lux in Domino. Ergo vestrum est tum lumine verbi, tum maximè lumine pietatis & sanctae vitae, redarguere opera tenebrarum & omnes ad poenitentiam excitare, ut & ipsi fiant lux in Domino.

Tribus versibus insequentibus concludens generalem hanc adhortationem, qua dixit, *Ambulate ut filii lucis, probantes quid sid* εὐαρέστον τῷ κυρίῳ, &c. quod figuratè hactenus dixerat metaphora usus lucis & tenebrarum, nunc propriis & perspicuis verbis explicat. Ait ergo:

V. 15. βλέπετε οὖν πῶς ἀκριβῶς περιπατεῖτε, μὴ ὡς ἄσοφοι ἀλλ' ὡς σοφοὶ.

Α'σόφους vocat eos, qui non tenent sapientiam coelestem ignari Christi & voluntatis divinae, de qua dixerat, probantes τί ἔστιν εὐάρεστον τῷ κυρίῳ. Contrá σοφοὺς vocat, qui per Evangelium donati sunt cognitione Dei & Christi.

Illud, βλέπετε quomodo ἀκριβῶς περιπατεῖτε, significat accuratum studium & diligentiam, quam debemus adhibere in traducenda vita nostra, ita ut neminem offendamus, sed lumine fidei & bonorum operum omnes aedificemus.

Scopus autem Apostoli est monere Ephesios, inter quos multi adhuc Ethnici versabantur, ne se sinant abduci à doctrina Evangelii ad tenebras Ethnicorum, qui docebant, Scortationem non esse peccatum, neque πλεονεξίαν, neque αἰσχρολογίαν, aut

aut μωρολογίαν aut εὐτραπελίαν: sed ipsi potius, cum verbis tum luce sanctae vitae, damnent illorum doctrinam & opera. Sensus igitur est *(ut explicant Scholia)* βλέπετε οὖν *id est* πρόβατα ἐστε ἐν μέσῳ λύκων: διὸ πολλῆς φυλακῆς χρεῖα, μὴ ἀναδέξασθαι ἔχθρας πλὴν διὰ τὸ κήρυγμα, μὴ ὡς ἄσοφοι, &c. οἱ γὰρ σοφοὶ ἴσασι πῶς δεῖ περιπατεῖν. Hujus dicti subdit rationem, cur, *scilicet*, debeant accuratè videre quomodo ambulent.

V. 16. Ἐξαγοραζόμενοι τὸν καιρὸν, ὅτι αἱ ἡμέραι πονηραί εἰσι.

Syriacus Illud *Redimentes* in tertia posuit persona, referens ad sapientes: *Ambulate non tanquam insipientes, sed tanquam sapientes: qui redimunt tempus, quia dies mali sunt.*

Redimere tempus & sinere tempus labi infructuosè sunt contraria. Ergo redimere tempus nil aliud est, quàm non permittere ut propter nostras voluptates & otia tempus elabatur infructuosè: sed jactura etiam voluptatum & rerum nostrarum illud antea amissum recuperare, eóque captare quasvis occasiones bene agendi & de omnibus bene merendi ad gloriam Domini promovendam. Secundum Scholia ἀγοράζειν καιρόν ἐστιν ἴδιον ποιεῖν, ἴδιον autem ποιοῦμεν, quando in ipso bene operamur, ut placeamus Deo. *Quia dies* (inquit) *mali sunt:* non quod dies mali sint sua natura, sed malos vocat propter hominum malitiam, quae in illis grassatur. Sunt igitur mali, *id est,* periculorum ab impiis hominibus pleni. Sic Scholia.

V. 17. Διὰ τοῦτο μὴ γίνεσθε ἄφρονες, ἀλλὰ συνιέντες τί τὸ θέλημα τοῦ κυρίου.

Repetitio est conclusionis: Sensus est, ut Scholia explicant, ἐπειδὴ ἡ πονηρία, φησὶν, ἄνθει καὶ ἐπικρατεῖ τοῦ παρόντος βίου καὶ τῶν ἡμερῶν, μὴ γίνεσθε ἄφρονες, ὥστε ἁλίσκεσθαι αὐτῇ.

Ἀλλὰ συνιέντες, Photius συνιέντες περιπατεῖτε (ἀπὸ τοῦ κοινοῦ.)

Loci.

Primum, ex eo, quod ait, *Eratis quondam tenebrae, nunc autem lux in Domino*, *ut filii igitur lucis ambulate*, colligimus aequissimum imò necessarium esse, ut quales facti sumus & fimus a Domino, talem etiam vitam ducamus. Æquum est, quia in hunc finem tales nos efficit, puta, bonos, sapientes, lucem, ut etiam tales fructus proferamus. Necessarium verò, quia fieri certè aliter non potest, quàm ut, qualis quisque est, talia etiam operetur. Nam unumquodque operatur secundum suam formam. Ignis calefacit, quia calidus factus est: Sol illuminat & vivificat, quia talem à Deo vim accepit: atque ita de singulis rebus in Natura, quo illud Christi pertinet, *Matt.* 7. Non potest arbor bona malos fructus facere, neque arbor mala bonos; ac proinde concludit unamquamque rem a fructibus suis cognosci. Atqui Deus nos non fecit tenebras, sed eramus tenebrae extra Dominum, ac proinde quod tum faceremus opera tenebrarum, hoc non erat à Domino; facti autem sumus lux

lux in Domino & per Dominum, & quidem in hunc finem, ut tanquam filii lucis ambulemus, vitatisque operibus tenebrarum faciamus opera lucis. Est igitur aequissimum ut ambulemus tanquam filii lucis, & vita nostra professioni nostrae respondeat. Sic Christus argumentatus est, sicut & Apostolus. Vos estis lux Mundi: sic igitur luceat lux vestra coram hominibus *Matt.* 5.

Veri Philosophi idem concludebant: Philosophus es, philosophicè igitur tibi vivendum est: qui secus faciebant dicebantur μέχρι τόν λόγον φιλοσοφεῖν & Pseudophilosophi: qualem inter alios volunt fuisse Aristippum, qui & canis regius à Diogene fuit appellatus. Et in Ethicis dixit Aristoteles eum non esse idoneum auditorem Ethicae, qui expers sit morum. Est igitur aequum, ut ita respondeat professioni. Nec solum aequissimum est, sed etiam necessarium (propter rationes antè allatas) ut facti lux in Domino ambulemus ut filii lucis. Ut enim fieri nequit, quin sol luceat, quia lucidus est: sic etiam ἀδύνατον est, ut qui factus est lux in domino, is lucem, qua donatus est, non patefaciat verbis, moribus, totáque vita. Confirmavit hoc Apostolus, cum per parenthesin subjecit, dicendo: Fructus enim Spiritus situs est in omni bonitate, justitia, veritate: quasi dicat, si verè per Spiritum Domini facti estis lux, fructus certè Spiritus proferetis, qui summatim consistunt in sanctitate. Ergo necesse est, ut qui lux sunt, ambulent ut filii lucis. Inde enim agnoscuntur, an sint lux. Quare meritò etiam dixit Christus, ab operibus eorum cognoscetis eos: & D. Jacobus conclusit illos non habere fidem veram, qui opera fidei non praestant. Et 1. *Johan.* 2. Qui dicit se in luce esse & fratrem suum odit, in tenebris est usque adhuc. *Item*, Qui odit fratrem in tenebris est, in tenebris ambulat, & nescit quò vadat. Haec & alia innumera testimonia confirmant hanc doctrinam, fieri non posse, ut, qui verè facti sunt lux in Domino, non ambulent ut filii lucis, sed sequantur opera tenebrarum.

Sed si ita res se habet, quorsum igitur adhortatio, ut ambulemus tanquam filii lucis? Omnino enim ambulabimus etiam sine exhortatione, si vera sunt quae dixisti. Quis enim dicat Soli, Sol es, igitur ut Sol ambula: aut igni, ignis es, ergo ut ignis calefacito?

Respondeo: Argumentum hoc tractavit Augustinus in lib. de Correct. & gratia, adversus quosdam Monachos, qui dicebant, si omnia ex gratia, quorsum igitur correctiones? Respondit Augustinus correctiones etiam & adhortationes esse ex gratia, & iis gratiam promoveri ex Dei ordinatione. Sicut etiam ex praedicatione Evangelii excitatur fides in cordibus Electorum, & eadem praedicatione fides excitata promovetur, augetur, conservatur; non igitur supervacaneae correctiones, preces, adhortationes: omnia enim sunt dona Dei, quia dona donis auget & conservat.

Ad simile Solis: vanum quidem fuerit, si tu ei dicas: luceto ut Sol: sed si hoc illi dicat Deus, nequaquam, quia ipse dicendo omnia efficit. Illud enim verbum Dei, *Gen.* 1. Sunto luminaria & illuminent terram, adhuc sonat & vim habet atque efficacitatem in Sole, & inde fit ut luceat. Quo etiam illud Hebr. 1. Portat omnia verbo potenti suo. Cùm igitur etiam per Apostolos aliósque ministros loquatur Dominus, iísque dicat, Ambulate ut filii lucis: hac ratione Electos ad ambulandum excitat. Non sunt igitur supervacaneae adhortationes, etiamsi verum sit, quod verè lux sunt in Domino, eos omnino ambulaturos in luce.

Sed

Sed accedit alia ratio. Nondum sumus perfecta lux, sed primitias tantùm habemus Spiritus, & tenebrae adhuc multae in nobis manent: Voluntas autem, posita inter lucem & tenebras, a tenebris carnis ad opera tenebrarum facienda subinde excitatur. Ergo propter tenebras, quae remanent in natura, necessariae sunt adhortationes.

Addo, quòd etiamsi essemus toti lux, tamen dum sumus in carne, mutabiles sumus. Necessaria igitur est adhortatio, ut permaneamus in luce. Cùm pervenerimus in Coelum, cum non fuerit necessaria, tum linguae cessabunt, & ministerium verbi. Sed dum hîc vivimus, necessarium est. Meritò igitur Apostolus nos hortatur, ut quando facti sumus lux in domino, ambulemus ut filii lucis.

Quare tria haec retineamus: *Primum*, cùm facti simus lux in Domino, aequum esse ut ambulemus tanquam filii lucis, *id est*, in luce: *Secundum*, si verè sumus facti lux in Domino, nos id omnino facturos: *Tertium*, nec tamen ob id supervacaneas esse ad hanc rem adhortationes, sed potiùs utiles & necessarias, tanquam organa & media, quibus Deus ad illa in nobis excitanda utitur, quae nobis largiri constituit; eóque diligenter audiendum esse Deum per suos Prophetas, Apostolos, doctores loquentem.

II. *Secunda* doctrina; ex versu, ubi ait, *Fructus Spiritus in omni bonitate, justitia, veritate consistere*, colligitur doctrina de bonis operibus, quaenam tandem sit summa eorum, in quibus vult exerceri Spiritus Sanctus. Summa est, 1. *ut simus boni ac sancti & mundi in nobis ipsis.* Sanctitas enim opponitur scortationi & omni immunditiae de qua supra 2. *Ut simus justi erga proximum.* Opponitur enim justitia avaritiae, qua defraudamus proximum. 3. *Ut simus veraces, tum in politicis, tum maximè in religione erga Deum, sequentes veritatem doctrinae coelestis, idque sine hypocrisi. Veritas enim opponitur non solùm turpiloquio, stultiloquio, scurrilitati, de quibus supra, sed etiam omni falsae doctrinae, quam multi docebant, scortationem non esse peccatum.* Proinde subdit, ut probemus, quid sit Deo placitum & quae ejus voluntas, & ut simus σοφοὶ. Ex quibus locis apparet veritatem hîc veram quoque Dei & voluntatis ejus cognitionem complecti. Haec tria expressit etiam ad Titum, cap. 2. aliis tribus verbis, dicendo, *Gratiam Dei apparuisse, ut abnegata impietate & secularibus desideriis sobriè* (quoad nos,) *justè* (quoad proximum) *& piè* (quoad Deum) *vivamus in hoc seculo.*

Haec est summa Christianae vitae, in qua vult Apostolus nos tanquam filios lucis ambulare. Quaecunque ad haec tria promovenda faciunt, ea contemnenda & negligenda non sunt: quae verò aut inutilia sunt aut noxia, ea omnia sunt abjicienda. Fructus enim Spiritus summatim positus est in omni bonitate, justitia, veritate.

III. *Tertia* doctrina; ex eo quod cum verbo *Ambulandi ut filios lucis* conjungit statim tria lucis hujus officia, dicendo, δοκιμάζοντες &c. *Primum* officium est, quod patefacit, quid Deo gratum sit, & per consequens, quid ingratum. Hoc habet ibi, δοκιμάζοντες τί ἔστιν εὐάρεστον τῷ Κυρίῳ. Idem repetit & explicat *vers.* 13. dicendo, lux omnia manifestat, & *vers.* 15. Videte igitur quomodo circumspectè ambuletis, non ut insipientes sed ut sapientes. *Item vers.* 17. Propterea ne sitis imprudentes, sed intelligentes quae sit voluntas Domini. Hoc est enim praecipuum, quod hîc agit & repetit. *Alterum* lucis officium & proprietas

prietas est, quod nihil commercii habet cum tenebris, cum sint ex diametro contraria: quo illud 2. *Cor.* 6. Quae communio luci cum tenebris? *Tertium*, quòd tenebras pellit, & opera, quae in tenebris turpiter fiunt, & foeda quaeque retegit & arguit. Ideò ait, *vers.* 13. Sed omnia dum arguuntur à luce, manifesta fiunt.

1. Quid igitur est, ambulare ut filios lucis? *Est primum utendo luce*, id est, cognitione Dei divinaeque voluntatis, qua donati sumus per Evangelium, & per lumen Spiritus Sancti, circumspectè videre quomodo ambulemus, *id est*, quid Deus velit à nobis fieri & quid vitari cogitare atque inspicere, ut possimus ambulare, non ut insipientes sed ut sapientes, prudentes atque intelligentes, quae sit voluntas Dei, atque ita ambulando magis ac magis in cognitione Dei & voluntatis illius proficere, proficere, *inquam*, non tam legendo & audiendo verbum Dei: quàm quid verè placeat Domino experiendo. Hoc est enim quod dicit, ambulate δοκιμάζοντες τί ἔστιν εὐάρεστον τῷ Κυρίῳ.

Duplex est Dei cognitio, *una*, quam vocant simplicem cognitionem & quae habetur per verbum: *altera*, quam ideò vocant experimentalem, quia per experientiam acquiritur. Nam quò quis magis sese in obedientia voluntatis divinae exercet, eò magis etiam & vividiùs sentit ac novit, quid Deo placeat gratúmque sit. Illa prior praecedit, haec subsequitur ac perficit priorem: & in summa, una est θεωρήτικη, altera πράκτικη. *Exemplum.* Qui prius didicit, *verbi gratia*, ex Plinio mel esse dulce, aut rhabarbarum purgare choleram, scientiam tenet simplicis cognitionis: si postea accedat experientia, tùm verè probat re ipsa, quid sit mel & quae vis rhabarbari, hacque cognitione prior perficitur ac certior fit. De hac Heb. 5. legimus, Christum per ea, quae passus est, didicisse obedientiam: ideò potest & iis, qui tentantur, succurrere, ut ait Heb. 2. Ad hanc cognitionem invitat nos Propheta, *Psalm* 34. Gustate & videte, quàm suavis est Dominus. Et de hac est illud in Apocalyp. *cap.* 2. Dabo ei calculum album, & in calculo nomen meum novum, quod nemo novit, nisi qui accepit. Ideò multò meliùs novit voluntatem Dei pius literarum imperitus, qui perpetuò in illius faciendae studio versatur, quàm magnus theologus, qui vitam ducit cum voluntate Dei minimè consentaneam.

Duo igitur exigit Apostolus: 1. ut, non contenti modica quam habemus cognitione Dei & voluntatis illius, perpetuo in hac cognitione proficiamus, verbum Dei legendo audiendo & in lege ejus meditando. Ideo dixit, videte igitur quomodo cautè ambuletis: *Item*, Ne sitis insipientes, sed sapientes: *Item*, intelligentes quae sit voluntas Dei. 2. Ut neque hac simplici cognitione contenti addamus experientiam, *id est,* studio sanctae vitae reipsa probemus, quid Deo gratum sit & acceptum. Ideò dixit, Ambulate ut filii lucis, probantes quid beneplacitum sit Deo. Perstringit enim Ephesios utriusque ignorantiae, nempe quod & non legendo Sacras literas dubitarent adhuc, an scortatio esset contra voluntatem Dei: & quòd non se continendo à scortationibus, non sentirent nec reipsa experirentur, quantum Deo displiceat scortari, quam verò placeat mundities & sanctificatio nostrorum corporum.

Facit hic locus contra duo hominum genera; *Primum;* contra eos, qui negligunt lectionem & auditum verbi, ex quo solo quae sit Dei voluntas cognos-

gnoscitur: quorum alii expectant è coelo revelationes, ut ἐνθουσιᾶσται. Alii aiunt, *se nolle plus sapere quàm oporteat sapere*, se esse contentos sua sancta insipientia suáque simplicitate, quòd multae literae & studia S. Literarum deducant homines ad insaniam & in haereses pertrahant, ut Pontificiorum permulti solent dicere. *Alii* se satis habere, quod norint, quid Lutherus vel alius quispiam docuerit: se velle in ea simplicitate vivere & mori. Contra hos omnes scribit Apostolus (videte, quomodo cautè ambuletis: non ut insipientes ambulate, sed ut sapientes: *Item*, Ne sitis imprudentes, sed intelligentes, quae sit voluntas Domini). Quae voluntas Domini, (*inquit*) non quae hujus aut illius doctoris sententia: Qui ignorat, certè (ut ait Joan.) ignorabitur. Contra, Beatus vir, qui in lege Domini meditatur die & nocte. *Psal*. 1.

Alterum hominum genus, quod hìc damnatur ab Apostolo, est eorum, qui lectioni & auditioni S. literarum non addunt studium sanctae vitae, quo reipsa probent in seipsis, quid Deo sit veré gratum atque placens: Ambulate *(inquit)* ut filii lucis: probantes τί ἔστιν εὐάρεστον τῷ Κυρίῳ.

Atque haec de primo hujus coelestis lucis officio. Ex quibus etiam intelligimus, quibusnam in rebus vera σοφία, in cognitione, *scilicet*, voluntatis divinae.

II. *Alterum lucis*, eóque Christiani hominis, officium est, nullam habere cum operibus tenebrarum communionem.

De Communione cum infidelibus.

Duplex hìc proponitur quaestio, una facilior, & expeditior altera. *Prima*, An liceat ulli homini Christiano, qui est factus lux in Domino, ulla ratione cum operibus ullis tenebrarum communicare. *Altera,* An liceat saltem cum ipsis tenebris & inter tenebras versari, *id est*, cum hominibus impiis & scelerosis.

Ut haec probè intelligantur, quaedam explicanda sunt. *Primo*, subjectum, de quo quaeritur, *id est*, homo fidelis. *Secundo* id, quod de subjecto quaeritur, tenebrae & opera tenebrorum. *Tertio*, copula; sic verbum communicandi explicandum est.

Primum, Fideles, qui facti sunt lux in Domino, distinguuntur primùm in Magistratus & in Privatos: rursus privati in doctos atque fortes, qui non facilè seduci possunt, sed alios potiùs convertere ad Christum lucem mundi; & in imperitos ac debiles: adde & tertiam partem, quia alii sunt ministri, quibus multa incumbunt ex officio, alii absque ministerio. Distinctio haec servit posteriori quaestioni.

Ad alterum quod attinet, constat nomine tenebrarum intelligi infideles & scelerosos homines. Opera verò tenebrarum esse peccata ipsa. Peccata verò duplicis esse generis, alia in primam tabulam alia in secundam admissa, nemo itidem est qui dubitet. Multis porrò modis communicari posse seu communionem haberi cum talibus operibus antea explicatum est. Rediguntur omnes ii modi, *Primo*, ad externa facta, ut si idem agas quod & impius, aut illi coopereris, tam in peccatis contra primam quam contra secundam tabulam. *Secundo*, aut ad verba: Idque vel loquendo, ut si consulas, si horteris, si probes, si laudes factum, si doceas, quomodo illud perficiendum sit; vel ta-

cendo,

cendo, cùm opus est loqui, ut si conniveas, si dissimules, si aliqua alia ratione negligas facere officium tuum, & impedire cùm possis. *Tertio*, aut ad animi consensum refertur haec communio, etiamsi nihil intercedat factorum vel dictorum. Cor igitur sedes est hujus communionis: inde sequuntur verba vel silentium, *id est*, dissimulatio, & denique facta seu cooperatio. Graviùs tamen peccat, qui praeter animi consensum adhibet etiam linguam: gravissimè verò, qui etiam actionem & opus. His explicatis ad primam quaestionem paucis & perspicuè respondetur.

Thesis.

Nulli pio & Christiano homini licet cum ullis operibus tenebrarum ulla ratione communicare.

Θέσις haec certa est atque perspicua è Sanctis literis.

1. Hîc apertè scribit ad omnes fideles Apostolus, qui erant Ephesi, eóque & ad nos, ac simpliciter sine ulla exceptione ait vers. 11. *Et ne communicetis* (συγκοινωνεῖτε) cum operibus infructuosis tenebrarum. Singulae voces ἔμφασιν habent & varia continent argumenta.

Primo, ait, *Ne communionem habeatis:* (scilicet, vos, qui cum essetis tenebrae, facti estis lux in Domino, qui est perfecta lux, in quo nullae tenebrae) Argumentum tale est. Ideò è tenebris facti estis lux, ut κοινωνίαν habeatis cum luce, quae est Dominus. Non convenit igitur nec vobis, nec illi, in quo facti estis lux, ut communionem habeatis cum operibus tenebrarum: imò fieri nequit, ut utrumque cohaereat, quia nulla communio luci cum tenebris. Sic Christus Matt. 6. Non potestis servire Deo & Mammonae.

Secundo ait, *cum operibus tenebrarum* (id est, hominum, qui adhuc tenebrae sunt) propriis (*scilicet*). Distinguit opera tenebrarum propria ab operibus Dei in ipsis & per ipsas tenebras factis. Quod vivant, quod educent liberos, quod sustentent pauperes, & alia similia opera praestent. Infideles haec non faciunt ex seipsis, quatenus tenebrae sunt, sed opera sunt Dei in illis: in ipso enim vivimus omnes, movemur & sumus. At quòd scortentur, quòd avaritiae incumbant, quod colant idola, quod sequantur turpiloquia, scurrilitates, opera tenebrarum propria faciunt. Non prohibetur ergo homini Christiano, quin cum infidelibus & impiis communicet in operibus Dei, quae per illos efficit, puta in aedificando Xenodochio. in sustentandis pauperibus civitatis, in profligando communi hoste, & aliis politicis operibus: sed tantùm ei interdicitur, ne communionem habeat cum operibus, quae sunt verè opera ipsarum tenebrarum propria. Quòd cùm ita sit: Ergo quicquid in templis fit ac praestatur ab hominibus, quod non sit Dei, *id est,* quod non possit verbo Dei comprobari, cum eo communicandum non est. Quid ita? *quia non est opus Dei sed hominum, non lucis sed tenebrarum*, ac proinde peccatum, quia non ex fide, cùm careat verbo, cui soli adhaeret fides. Notandum hoc argumentum: Si quae à Deo instituta fuerunt, ut sacrificia quando offerebantur sine fide, Deus illa rejiciebat, Jes. 1. & alibi: quantò magis exsecrantur in cultu opera non

à

à se sed ab hominibus instituta, cùm careant verbo Dei, ideóque ex fide praestari non possint? Sunt enim mera tenebrarum opera, quia carent luce verbi Dei. En vim hujus locutionis, *Ne communicetis cum operibus tenebrarum.*

Tertiò addit, *infructuosis.* Infructuosa sunt, quae non faciunt aut ad decorum aut ad ordinem aut ad aedificationem, qualia multa sunt in templis idololatricis. Talia sunt etiam stultiloquia, vaniloquia, ad quae hîc alludebat Apostolus. Non licet igitur Christiano homini cum infidelibus & impiis hominibus communionem habere in operibus etiam tantùm infructuosis: quantò minùs igitur in operibus perniciosis? ut sunt idololatria, scortationes *&c.* Locus hic sufficere deberet: addo tamen & alia.

2. Ait, Nolite jugum ducere cum infidelibus 2. *Cor.* 6. Haec propositio generalis est: & rationes, quas affert, in genere concludunt de omni communione cum infidelibus atque impiis, quatenus impii sunt: ne, *scilicet*, cum illis communionem habeamus in impiis illorum operibus. *Quae enim participatio* (inquit) *justitiae cum iniquitate? aut quae communicatio luci cum tenebris? aut quis consensus Christo cum Belial? aut quae proportio fideli cum infideli? Quae conventio templi Dei cum idolis*? Haec est major propositio. Subdit assumptionem. *Vos autem estis templum Dei &c.* Sequitur conclusio. *Exite ergo de medio eorum, & separamini, & immundum ne tetigeritis, ait Dominus, & ego suscipiam vos.* Nihil est hoc loco clarius.

3. *Non potestis bibere calicem Domini & calicem Daemoniorum: non potestis mensae Domini participes esse & mensae Daemoniorum. An provocamus Dominum? Num fortiores illo sumus?* 1. Cor. 10. Doctrina est universalis in hoc loco. Non posse cum verae pietatis natura stare externam impietatis professionem: Deum verò maximè irritari, cùm fideles participant cum infidelibus in operibus eorum malis: praesertim in idololatriis falsisque cultibus.

4. *Denique* confirmatur haec doctrina argumento hoc firmissimo. Non licuit Judaeis cum Gentibus habere communionem, contrahere connubia, pacta & foedera inire, familiariter versari, ídque hanc ab causam, ne ex illorum consortio illi corrumpèrentur in religione & moribus, & ne ad illorum in peccatis communionem pertraherentur: Sicut contigerat plerisque omnibus, qui egressi fuerant ex Ægypto. Ergo multò minus licet cum harum tenebrarum operibus communicare.

Exempla innumerabilia sunt Sanctorum, qui maluerunt mori & variis affici tormentis, quàm cum idololatrarum cultibus communicare. Danielis socii maluerunt in fornacem conjici, quam adorare cum aliis statuam auream. Alia exempla praetereo. Certum igitur est, *non licere fideli cum operibus tenebrarum infructuosis habere communionem.*

Sed ad argumenta quaedam respondendum est; singula non excutiam, sed praecipua.

1. Ex 2. Reg. cap. 5. *Naaman conversus ad Dominum & rediturus ad suum Regem dixit Helisaeo, ignoscat mihi Dominus, cùm in aede Rimmon incurvavero me, quando incurvabit se Rex, qui innititur brachiis meis. Propheta autem nihil aliud respondit, quàm vade in pace. Videtur igitur concessisse hanc adorationem in Templo idololatrico.*

Res-

Respondeo: Quidam respondent: Naaman peccasse cùm se incurvavit, & novisse esse peccatum. Petiit enim veniam, si contigerit ut incurvaret se in templo: neque Prophetam concessisse, sed ea salutandi formula pollicitum esse, se precaturum Deum, & ut tueretur eum, ne laberetur in peccatum, & si laberetur, vellet ei condonare. Alii, incurvationem illam fuisse officiosam & politicam, imò necessariam, & nullo modo peccatum: sed Naaman ex ignorantia putasse esse peccatum: Prophetam igitur jussisse illum bono esse animo, non enim esse peccatum, modo ne se incurvet idolo, sed tantum Regi officii et obsequii causa. Et revera ita se res habuit. Tantum enim ad Regis inclinationem, quem sustentabat ac fulciebat, cogebatur Naaman se quoque inclinare: sed genua ante idolum non flectebat, id quod omnes observare facilè poterant. Nam postquam inclinaverat se Rex, Naaman non legitur inclinasse se idolo, & verba sunt perspicua Naamani: de Rege ait, quod ingrediebatur in templum, ut adoraret ibi: de se verò apertè significat se tantum ideò sese incurvasse in aede Rimmon, non ut adoraret ibi, sed ut sustentaret Regem, qui innitebatur super manum & brachia ipsius Naamani.

2. *Ex Epistola Jeremiae ad fratres, qui in Babylone futuri erant: Est autem haec Epistola in libro Baruch cap. 6.; ibi sic legimus: In Babylone videbitis Deos aureos & argenteos in humeris portari, intentantes metum Gentibus: cavete igitur ne imitatione vos ad exterarum Gentium mores ritúsque conformetis, eorúmque Deorum metu terreamini: Cum videritis turbam ante & post eos adorantem, mente potius ac cogitatione vestra dicite: Te Domine oportet adorare. Aiunt Nicodemitae, satis igitur fuerit, cùm ingressi fuerimus in templa cum idololatris & cum illis intererimus ipsorum sacris, dicere in animo, Tibi Domine debetur adoratio, &c.*

Respondeo: Quidam rejiciunt librum Baruch, quod non sit in Canone. Sed aliter respondendum est. Locus iste nihil facit pro Nicodemitis, sed potiùs eos damnat. *Primum* enim, Propheta non concedit fratribus ut ingrediantur in templa Gentilium, sed tantùm monet, quomodo debeant se gerere, cùm idola ferentur per urbem, ut ea cavere non possint. *Secundo*, manifestè dicit, ne adorent ea sicut Gentes.

Tertio, docet ne tamen seditiosè se gerant, ut turbent illas Gentilitias processiones, sed tum satis esse, si eas animo detestentur, & sublatis oculis in coelos dicant in cordibus suis, *tibi Domine debetur adoratio*. Quod hîc monet Jeremias Judaeos, idem faciant & nostri, & non contradicemus. Non debent ingredi in templa idololatriarum, & illarum sacris interesse, quia hoc non conceditur: sed si publicè videant per forum gestari idolum, non debent seditiosè illorum ritus turbare, sed nec ullo modo illud adorare, animo verò detestari, & solum Deum adorare. Ad locum Baruch duo cavenda: *Primum*, ne nos contaminemus idololatria liquet ex textu. *Secundo*, ne seditiones excitemus liquet ex textu. Non igitur vult ut palam damnes. Sed exceptio adhibenda; nempe, si tu jubearis adorare, tum liberè profitendum est & damnandum idolum. Sic pueri apud *Dan. Cap.* 3. Statuam tuam non adorabimus. *Eph.* Sed potiùs arguite. *Primum*, vita. *Secundo*, etiam verbis in tali casu. *Deinde*, locus iste intelligendus est de eo, quod ordinariè cuique faciendum est. Nam si aliquis speciali Dei

afflatu

afflatu percitus prodeat in medium & damnet talem cultum, non damnamus. Regulam generalem tradidit Jeremias: speciales motus Spiritus Sancti non impedivit.

3. *Exemplis Prophetarum, Simeonis, Mariae, & aliorum piorum se tuentur: cum illis temporibus multae essent corruptelae, pii tamen ingrediebantur in templum & intererant illis sacris. Ergò licet & nobis hodie.*

Respondeo: Argumentum est à longè dissimilibus. Illi certè *primùm* non colebant idola. *Secundo*, non probabant ulla ratione corruptelas Sacerdotum. *Tertio*, non faciebant nisi quod lex jubebat: vitia & doctrinas falsas, cum dabatur opportunitas, arguebant. At isti colunt idola, sua praesentia probant doctrinas, missae intersunt, quam certè ex verbo Dei probare non possunt: nec damnant aut arguunt impiorum sacra, doctrinas, vitia.

4. *Quòd fingunt ideò Danielem non fuisse cum sociis in fornacem missum, quia adoravit statuam, nimis putidum est & indignum quod refellatur, quasi aliae causae non potuerint esse, propter quas non fuit in fornacem missus. Primò,* fortè non fuit ei statua obviam facta. *Secundò*, Si facta fuit illi obviam, fortè Chaldaei non observarunt, quomodo ille se gesserit. *Tertiò*, Si observatus fuit, fortè non fuit accusatus, quod scirent eum esse in summa gratia apud Regem. *Quarto*, Si accusatus, fortè Rex propter amorem, quo illum complectebatur, noluit eum cum aliis puniri. Quid igitur hinc arguunt eum adorasse statuam? Magna injuria fit sancto Prophetae.

5. *Adfertur exemplum etiam Apostoli ex Actor.* 21. *Consilio seniorum Ecclesiae votum cum aliis quatuor suscepit, & de more Judaeorum se purificavit; fecit tamen quod ipse damnabat apud Gentes, quod abrogata esset lex, ut pacis causa dissimularet apud Judaeos, quod tamen non probabat. Licet igitur etiam nobis interesse sacris Pontificiorum pacis causa & propter caritatem, licet non sint per se licita.*

Respondeo: Quidam apertè damnant factum Apostoli, quam sententiam & Ego quondam secutus sum: sed pugnat ea responsio cum cap. Actor. 24. Ubi Paulus narrat hoc factum tanquam benefactum. Notandum igitur, legales caeremonias pro eo tempore fuisse res ἀδιαφόρας, ac potuisse servari & non servari, modò ne tanquam necessariae ad salutem obtruderentur. Liquet, quia Paulus ipsum etiam Timotheum circumcidit: sed si proponerentur tanquam ad salutem necessariae, non erant licitae. Proinde cùm Judaei vellent ut circumcideretur Titus, quod alioqui non posset sine circumcisione servari, noluit Apostolus, sed restitit, ut ad Gal. 2. legimus. Ideò ad *Galat.* 5. Christus factus est nobis otiosus, si ex lege justificamini; quasi dicat: Legalia per se vos non alienant à Christo, sed ea tantùm ratione, si per ea velitis justificari & servari. Ergo licuit Paulo in templo votum suscipere & se purificare, cùm nihil fecerit concordiae causa, nisi quod adhuc licitum erat. Licita erant illa donec manebat Respublica Israëlitica. Item, donec coalesceret Ecclesia ex Judaeis & Gentibus. At verò sacra, quibus intersunt nostri Nicodemitae, per se impia sunt & idololatrica. Ergo argumentum est à longè dissimilibus.

6. Hoc modo respondetur ad illud, quod adferunt ab exemplo Apostoli dicentis, *Omnibus omnia factus sum, ut omnes lucrifaciam.* De rebus ἀδιαφοραῖς

 lo-

loquitur Apostolus: quibus verò intersunt nostri, ἀδιαφοραί non sunt. Haec sunt praecipua illorum argumenta, quae aliquid coloris habere videantur. Nam, quòd aiunt, licet externa praesentia & corpore videamur cum illis adorare idola, non adoramus tamen, quia animo detestamur, putida est excusatio. *Corde enim creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem.*

Et idololatria prohibetur non tantum animo, sed toti homini: Et Deus laudat eos, qui non curvarunt genua ante Baal.

7. *Quod etiam aiunt, Missam institutam fuisse à Christo: licet igitur corrupta sit, non tamen propter corruptelas, quae accesserunt, deserendam esse substantiam: indignum est responsione. Primum,* ut de voce non disputemus, etiam serpens aeneus fuerat institutus à Deo: ubi tamen accessit abusus, laudatur Ezechias, quod illum in cineres redegerit: quantò magis tollenda talis Missa, cui non solum abusus accesserunt, sed tales idolomaniae & idololatriae, ut nullam planè formam habeat illius Coenae, quam Dominus instituit. Proinde *secundo loco* negamus talem Missam fuisse à Christo institutam: negamus ibi manere substantiam Coenae Dominicae.

8. Sed addunt, communicamus cum Pontificiorum sacris, ut illos lucrèfaciamus. *Primùm*, non sunt facienda mala, ut eveniant bona. *Secundò*, Non lucrifiunt, sed magis perduntur, quia confirmantur in sua idololatria. *Tertiò*, Fratres etiam infirmi vestra praesentia offenduntur. Apostolus autem docet etiam à rebus ἀδιαφοραῖς & ab esu carnium abstinendum esse, si tua esca scandalizetur frater tuus: quantò magis abstinendum à rebus per se malis? *Denique*, quid opus est effugiis, ut eludatur apertum Dei mandatum? Simpliciter Deus ait per Apostolum: Nolite communicare cum operibus tenebrarum infructuosis. Ac de prima quaestione satis.

Ad alteram quaestionem quod attinet, quia eam ex professo non tractat Apostolus hoc in loco: idcircò paucis de illa hìc agam, & brevibus propositionibus me expediam.

Consuetudo consortiumve cum infidelibus impiisque hominibus, qui nomine tenebrarum intelliguntur, nemini simpliciter & absolutè interdicitur: sed tantùm ne aut nos inficiamur ab illis & ita communicemus cum illorum operibus: aut illi in sua impietate, quod videant nos ab ipsis non abhorrere, confirmentur: aut infirmi in fide offendantur: aut denique Evangelium per nos malè audiat, quasi non admodum opera tenebrarum nobis displiceant.

Non prohiberi simpliciter liquet, 1. quia nullum tale praeceptum exstat in sacris literis, praesertim in novo Testamento. 2. Apostolus in 1. ad Cor. 10. hoc apertè liberum facit. Ait enim, Si quis infidelis vos ad convivium invitat & vultis ire, edite quae apponuntur. *Item* ait, oportere nos exire de hoc mundo, si omnium impiorum consortia evitare velimus. *Item* fideli conjugi non permittit ut discedat ab infideli conjuge, si velit cum illa habitare 1. *Corinth.* 5. 7. Lothus conversabatur & commercia habebat cum scelerato populo Sodomis, Christus cum publicanis & peccatoribus. Non ergo simpliciter omne cum impiis hominibus consortium prohibetur. Vetari autem illa consortia, unde vel nos inficiamur, vel impii in sua impietate confirmentur, vel infirmi offendantur, vel nomen Dei blasphemetur, per se manifestum est à fine totius pietatis religionísque Christianae (qui est tum gloria Dei tum salus proximi).

Addi

Addi tamen possunt haec testimonia, *de prima causa*. 1. *Cor*. 15. Corrumpunt bonos mores consuetudines malae: & hanc praecipuè ob causam Deus interdixerat populo connubia, foedera, familiare consortium cum Gentibus, ne, *scilicet*, ab illis inficerentur.

De secunda causa Christus mandat, ut fratres in peccatis pertinaces sint nobis tanquam Ethnici & Publicani: & Apostolus, cur à talibus hominibus abstinendum sit & tradendi potiùs sint Satanae in interitum carnis causam explicans ait, ut spiritus salvus fiat. *Item*, ut discant non blasphemare.

De tertia causa liquet ex eodem Apostolo, cùm de esu idolathytorum in templis Gentilium scribens ait, omnia quidem licere sed non omnia expedire, quia, *scilicet*, nostra libertate intempestivè usurpata infirmi offendantur; multò magis igitur hanc ob causam abstinendum est ab impiorum & idololatrarum consortio, ne infirmi videntes nos familiariter cum impiis versari offendantur. 1. Cor. 8.

De quarta causa, liquet ex eodem Apostolo, qui ait, *omnia ad gloriam Dei facite*. Si igitur propter nostram cum impiis & infidelibus consuetudinem gloria Dei periclitatur & nomen Evangelii malè audit, omnino abstinendum est. Atque etiam hae sunt causae, cur fratres peccantes & correctionem Ecclesiae non admittentes excommunicentur, ne, *scilicet*, alii ex eorum consortio contaminentur, ne ipsi in suis peccatis confirmentur & obdurescant, ne nomen Dei apud infideles malè audiat & blasphemetur. Hinc sequitur

Thesis II.

Quibus haec pericula non imminent, illis licet cum impiis in tenebris versari: multo verò magis, si spes sit fore ut impios ad Christum, id est, *tenebras ad lucem convertant, & si hoc animo cum illis versentur.*

Sic Christus cum peccatoribus, ut, *scilicet*, eos converteret: sic Apostoli, sic Prophetae in Israël. Pericula autem haec non ita imminent peritis & fortibus in pietate, sicut imperitis & imbecillis. Proinde & fortibus plura licent, quam indoctis & infirmis. Hinc sequitur

Thesis III.

Non facilè permittendum est ut pueri in scholis impiorum praeceptorum moribus doceantur & instituantur: facile enim corrumpi & seduci possunt. Sicut contigit Juliano, qui quoniam audiebat Libanium & Jamblichum Ethnicos, facilè ἀποστασίαν fecit à Religione Christiana. Et huc illa sententia: *Qui tangit picem, inquinabitur ab illa.*

Thesis IV.

Ubi aut jus naturale postulat aut vera necessitas, modò ne ad communionem scelerum pertrahamur & à Christo abducamur: ibi quisque potest & saepè etiam debet inter tenebras habitare & cum illis vivere.

Jus

Jus naturale dixi, ut si parentes sunt, aut conjux, aut princeps, aut herus verusque dominus, tu verò liber non sis. Ideò Christus multos, quos curaverat, remisit ad suos, & filium restituit matri suae: nec Paulus voluit fidelem conjugem discedere ab infideli conjuge: sed si nos à Christo abducere velint, tum deserendi potiùs parentes & conjux & liberi quam Christus. *Nam qui amat patrem aut matrem* (inquit Christus) *plus quam me, non est me dignus.* De mera autem necessitate exemplum esto, ut si aut ille impius & idololatra non possit vivere sine te, puta parens: aut tu sine illo. Sic Jacob cum liberis venit in Ægyptum & inter idololatras habitavit propter necessitatem, quod alibi non posset vivere: sed interim cum impietatibus Ægyptiorum non communicavit: alioqui potiùs pereundum est fame & omni alio mortis genere, quàm ut Christum abneges & cum impiorum sceleribus communices. *Nam qui amat animam suam plus quàm me*, ait Christus, *non est me dignus.* Manendum igitur & vivendum inter impios, serviendùmque est nostris parentibus & dominis, cum hoc aut jus naturale aut mera necessitas postulat: sed tantisper dum per conscientiam licet, & non deseritur Christus. Sempiternum enim est hoc mandatum, *ut diligamus Christum super omnia: & ne communicemus cum operibus tenebrarum.* Addo quintam.

Thesis V.

Cum praefractis impietatis doctoribus nemini licere familiaritatem & amicitiam colere.

2. Joh. 1. *Si quis venit ad vos & hanc doctrinam non adfert, ne recipiatis eum in domum, nec ei dicatis Ave.* Exemplum Joannis Evangelistae, qui viso Cerintho discessit. Quatenus ergò licitum sit & non sit licitum habitare inter impios atque idololatras & cum illis communicare, satis dictum esse arbitror, quantum praesens locus Apostoli postulare videbatur.

Tertium lucis, id est, Christiani hominis, eòque tertium hujus, quam colligimus ex vers. 11., doctrinae caput est, ut non solum non communicemus cum operibus tenebrarum, sed ut etiam illa arguamus & in lucem proferamus, ob salutem, *scilicet*, illorum qui ea admittunt. Est enim proprium lucis revelare & foeda detegere. *Omne quod manifestat lux est*, ait Apostolus. Est igitur lucis manifestare. Fit hoc luce verbi aut luce sanctae vitae, *id est*, vel verbis vel factis. Quisque pro sua conditione atque officio debet arguere opera tenebrarum: Magistratus poenis ea castigando: Ministri verbis & disciplina Ecclesiastica: Patres familias itidem verbis & disciplina domestica: frater fratrem corrigendo verbo Dei: omnes verò luce sanctae vitae.

Dixi verò hîc propriè loqui Apostolum de luce vitae: qua quisque fidelis debet infidelium & tenebrarum opera arguere: quo etiam illi agnitis peccatis suis convertantur ac fiant lux in Domino. Interim non negamus, quin de ea etiam redargutione intelligi possit, quae fit luce verbi Dei. Nam 1. Thessal. 5. de hac eadem re loquitur, cum ait, *Omnes vos filii lucis estis & filii diei:* & statim duo intulit, primum nempe, *igitur non dormiamus ut reliqui, sed vigilemus & sobrii simus.* Hoc convenit cum eo, *Ne communicetis cum operibus tene-*

tenebrarum. Alterum quod infert est hoc, *Quapropter* (inquit) *adhortemini alii alios, & aedificetis singuli singulos.* Hoc respondet huic alteri dicto, *sed potiùs arguite ea.* Ergo officium Christiani hominis est opera tenebrarum, *id est*, peccata arguere, tum lumine verbi Dei tum luce sanctae vitae. Luce sanctae vitae semper, lumine verbi cum datur occasio & vocatio postulat.

Utilitas hujus redargutionis, quae utroque lumine fit, inde spectatur, quia postquam dixit de officio lucis, subjecit, *Quapropter dicit, Expergiscere qui dormis, & exurge à mortuis, & illuscescet tibi Christus.* Finis igitur omnis lucis in redarguendis operibus tenebrarum, ut homines excitentur ad poenitentiam, & Christus illis illucescat, eóque salvi fiant.

IV. *Quarta* doctrina ex hoc vers. 14. Quapropter dicit (Spiritus Sanctus per omnes Prophetas & Apostolos) *Expergiscere qui dormis, & exurge à mortuis, & illucescet tibi Christus.* Summa igitur totius scripturae est praedicatio poenitentiae & salutis per Christum. Confirmatur hoc ex praedicatione Christi: *poenitentiam agite & credite Evangelio.* Item Act. 20. Paulus ait se praedicasse poenitentiam in Deum & fidem in Jesum Christum. Iis duabus vocibus summam Evangelii complexus est.

V. *Quinta:* Item si summa omnium promissionum haec est, Et illucescet tibi Christus: in Christo igitur omnes promissiones eóque tota salus continetur: *ipse est unica lux, quae populo sedenti in tenebris & in umbra mortis affulgere potest,* omnésque servare. Neque Christus est solus: nam Pater quoque in Filio est & Spiritus Sanctus: ita ut, qui habet Filium, habeat Patrem: qui non habet Filium, nec Patrem habeat, *Christus lux Mundi est.* Joh. 8. *Ego sum lux Mundi.* Item, *Lux venit in Mundum.* Luxit haec lux à condito orbe in hominibus & Angelis. Joh. 1. *Lux in tenebris lucet & tenebrae eam non comprehenderunt.* Item: *Illuminat omnem hominem venientem in hunc Mundum.* Luxit magis in carne sua: ita ut, qui viderent Christum, viderent & Patrem. *Joh.* 14. Philippe, qui videt me, videt & Patrem. Lucet nunc in cordibus nostris, ita ut nos faciat lucidos: *eratis tenebrae, nunc autem lux in Domino.* In Coelo quoque lux erit totum Coelum illustrans. Apoc. 21. *Lucerna ejus est agnus.*

VI. *Sexta:* Omnes peccatores aut dormiunt aut mortui sunt. Impii, & in quibus non est Spiritus Christi, planè mortui sunt in peccatis. Pii, cum labuntur extra conscientiam, in gravem incidunt somnum, ut vix sentiant ampliùs effecta Spiritus: ligatos habent sensus: non sunt tamen planè mortui: *sed interim opus habent resipiscentia, & ut Christus denuò illucescat, remittat peccata, augeat fidei lumen & servet.*

VII. *Septima:* Redimentes tempus (καιρὸν) opportunitatem, occasionem: quoniam dies mali sunt, id est, pleni insidiis & periculorum malorúmque hominum. Praeceptum hoc est. Qui igitur jacturam faciunt temporis & occasiones negligunt benefaciendi, graviter peccant. *Gal.* 6. Dum tempus habemus, operemur bonum. Et Christus *Joh.* 17. Dum lucem habetis, ambulate in luce. Nullae igitur occasiones, quibus possimus cum jactura etiam nostrarum voluptatum benefacere, promovere Evangelium, servare proximum, negligendae sunt: & quò magis dies mali sunt, eo etiam diligentiùs redimendum est tempuss

Die.

Dies nostri boni sunt propter lucem veritatis quae fulget: mali etiam sunt propter haereses quae excitantur, propter tyrannos qui vexant fideles & Ecclesiam evertere conantur. Ergo redimamus tempus, &c.

VIII. *Octava: Ne sitis,* ait, *imprudentes, sed intelligentes quae sit voluntas Dei.* Ignoratio igitur voluntatis Dei peccatum est. Est enim mandatum Dei, ut ejus agnoscamus voluntatem. Quomodo enim facere illam possumus, si non agnoscamus? *Qui autem non facit voluntatem Domini, sive illam sciat sive nesciat, ille certè vapulabit multis plagis* (inquit Christus) quanquam pluribus qui eam novit & non fecit, quàm qui ignorat. Agnoscitur autem voluntas Domini ex ejus verbo. Qui ergo negligit verbum Dei, is graviter peccat.

IX. *Nona:* Denique non solùm requirit ut simus intelligentes, quae sit voluntas Domini: sed etiam prudentes in vita nostra circa voluntatem Domini traducenda: videte (*inquit*) quomodo cautè ambuletis. Item, Propterea ne sitis ἄφρόνες, imprudentes. Ergo vult, ut Christiani sint etiam prudentes in facienda voluntate Dei & in omnibus suis actionibus. Prudentia regit actiones: tum quia semper & in primis respicit finem, tum quia ad illum ordinat actiones.

Quicquid agas, prudenter agas & respice finem.

Finis est gloria Dei, & salus cum nostra tum proximi. Ad hos igitur fines ordinandae sunt actiones nostrae. Non autem vel ad gloriam Dei facit, vel ad salutem tuam aut proximi & Ecclesiae, ut quidvis apud quosvis, quovis tempore & loco & modo, vel loquaris vel agas, sed prudenter considerandae sunt circumstantiae locorum, temporum, personarum, & videndum non tam quid liceat, quàm quid expediat. Exemplis illustro quod dico.

Voluntas Dei erat ut Christus moreretur pro salute nostra, sed certo tempore, certo loco, certo modo. Quoties enim voluerunt eum occidere Judaei? Sed Christus declinavit, quia nec venerat hora ejus, nec illa ratione debuit mori: verùm in cruce, per manus Gentium, non autem Judaeorum: ista fuit prudentia.

Erat enim Dei voluntas, ut praedicaret Evangelium & curaret praedicari per Apostolos: Sed si qui etiam essent porci & canes, cavit ne ante illos spargerentur hae margaritae. Apostolus quoties se eripuit è manibus Judaeorum mirabili prudentia? Cum circumdatus à Judaeis videret se non facilè posse evadere, quin ab illis opprimeretur & interficeretur: prudentem excogitavit rationem elabendi: videns ibi esse Sadducaeos, qui negabant resurrectionem mortuorum, & Pharisaeos, qui illam tuebantur & praedicabant, exclamavit, De resurrectione mortuorum Ego judicor. Ita commisit Pharisaeos cum Sadducaeis: quibus inter se commissis ipse evasit ex eorum manibus. Prudentia fuit Christiana.

Denique voluntas Dei est, ut benefaciamus omnibus sed in primis domesticis fidei, ut ad Gal. 6 ait Apostolus. Prudentia igitur opus est, qua discernas unos ab aliis, item an possis utrisque satisfacere necne: ne quod das extero & infideli fraudi sit liberis tuis & fidelibus. Prudentia igitur Christianis quoque necessaria est: ideò Christus, Estote prudentes sicut serpentes. De hac virtute aliâs plura: pro hoc tempore haec pauca observasse satis esto.

Se-

Sequuntur tres versus, quibus haec altera pars clauditur, vers. 18. 19. 20.

Hactenus *primùm* à peculiaribus quibusdam vitiis dehortatus est Apostolus Ephesios, quae ferè non agnoscebantur inter Gentiles esse vitia, ut est Scortatio, Avaritia, Turpiloquium, Stultiloquium, Scurrilitas. Deinde generaliter hortatus est ad vitam traducendam suae conditioni congruentem, nempe, *ut quando è tenebris facti sunt lux in Domino, ambulent etiam ut filii lucis probantes voluntatem Dei.*

Nunc redit ad particularem adhortationem. Dehortatur enim ab Ebrietate, & contrà hortatur ut loco vini impleantur Spiritu Sancto, & loco vociferationum, turpium sermonum, ineptarum laetitiarum & cantionum, quae consequi solent Ebrietatem, canant Psalmos & spirituales cantiones, laudantes Deum & gratiam illi agentes pro omnibus beneficiis: & ita sese honestè & sanctè exhilarent. Haec est summa horum trium versuum.

V. 18. *Et ne inebriemini vino, in qua re* (ἐν ᾧ) *est luxuria, sed impleamini Spiritu.*

Syriac, *in quo est temulentia.*

Illud ἐν ᾧ, Scholia referunt ad vinum: quod scilicet immodicè sumtum reddat homines lascivos: θημώσεις ποιεῖ καὶ θρασεῖς καὶ ἀκροσφαλεῖς καὶ πρὸς ἀσελγείαν ἐπιῤῥεπεῖς. Cum hac consentire videtur locus Prover. *luxuriosa res est vinum.* Sed optimè referri potest illud ἐν ᾧ ad id quod dixit, Ne *inebriemini vino* ἐν ᾧ, id est, qua in re, est ἀσωτία: ἄσωτος significat hominem luxu perditum, ita dictum, quòd non possit σώζεσθαι, servari, ut explicat Phavorinus. Qui vocarentur ἄσωτοι, Cicero docet 2. de Finibus: *Noli mihi fingere Asotos, ut soletis, qui in mensam vomant, & de conviviis auferantur crudique postea rursus sese ingurgitent.* Ἀσωτία igitur significat luxum & profusionem summa cum turpitudine conjunctam, Arist. Ethic. 5. Ασωτευομενοι, κατατοκιζόμενοι, γίγνονται πένητες. Qui igitur omnia profundunt in comessationes, compotationes, voluptates, vocantur ἄσωτοι, quòd perditi sint nihilque sibi & suis servantes, tandem pauperes & miseri effecti miserabiliter pereant.

Plato & alii volunt populum Asotorum sic primum vocatum fuisse à Graecis, quod populus esset luxu perditus, qui totum diem in commessationibus & compotationibus insumeret, ita ut nunquam videret Solem vel orientem vel occidentem: inde postea omnem luxu diffluentem vocatum fuisse ἀσωτεύειν, *luxu diffluere & perdi.*

Continet autem haec particula, ἐν ᾧ ἡ ἀσωτία, αἰτιολογίαν cur non debeamus inebriari vino: quia, *scilicet*, in hac ebrietate luxus, turpis profusio, perditióque nostra & rerum nostrarum omnium, animae, corporis, famae, fortunarùmque posita est.

Duas igitur habemus propositiones in hoc versu, & unam αἰτιολογίαν. *Ne inebriemini vino*, eóque nec ullo potu qui inebriare potest; & est Synecdoche: complectitur enim nomine ebrietatis etiam cibos.

Αἰτιολογία hujus propositionis est, quia in vino, vel potiùs in ebrietate vini, positus est turpis & perniciosus luxus: ἐν ᾧ ἡ ἀσωτία.

II. Propositio contraria priori, *sed impleamini Spiritu* (scilicet Sancto).

Prima

Prima propositio perspicua est, ut modò declaravimus. Ratio quoque, quam subdit, non est obscura: deducitur enim à damno & perditione, quam afferunt commessationes & ebrietates, quia deditos ebrietati multa gravissima mala consequuntur, Amissio bonorum ac paupertas, varii morbi, rixae, & saepè etiam caedes, infamiae & ludibria, alia quoque vitia & peccata, Turpiloquia, Obscoenitates, Scortationes, Adulteria, Blasphemiae, tandem verò aeterna mors. 1. *Cor.* 15. Neque Ebriosi regnum Dei possidebunt. Pertinent huc quae *Jesa.* 5. leguntur: Vae qui consurgitis ad potandum, & qui immorantur usque ad crepusculum, donec vinum aestuare faciat eos, &c. Ideò etiam Christus praemonuit, dicendo, Cavete ne graventur corda vestra crapula & Ebrietate. Ergo verè ἀσωτία est in vino seu Ebrietate.

Altera propositio opus habet explicatione. Notandum igitur, *primum*, nomine *Spiritus* intelligi Spiritum Sanctum, *quatenus,* scilicet, *inhabitat in cordibus nostris.* Sunt tamen qui intelligunt spiritum nostrum, quia ait ἐν πνευμάτι, quasi dicat impleamini in spiritu vestro. Quanam re? vino, *scilicet*, spirituali. Alii ἐν pro *Per,* nempe Spiritum Sanctum. Haec eadem est cum prima.

Notanda, *secundo*, est ἀντίθεσις haec, qua opponit Spiritum Sanctum vino, & repletionem Spiritus Ebrietati seu repletioni vini. Spiritus Sanctus significatur in scripturis nomine Aquae. Aqua autem opponitur vino in potu: quia aqua sobriorum est & non ebriat. Vult igitur, ut omissa vini intemperantia impleamur aqua, aqua, *inquam*, hac spirituali, *id est,* Spiritu Sancto.

Tertio indicantur & sunt etiam duae Ebrietates, *Ebrietas vini & Ebrietas Spiritus Sancti.* Illa nota est. De hac *Act.* 2. Et repleti Spiritu Sancto coeperunt loqui variis linguis Apostoli, quo factum est ut Judaei putarint Apostolos esse Ebrios, nempe vino, quia arrepti à Spiritu Sancto loquebantur tanquam Ebrii: sed Ebrietas erat spiritualis, *quia repleti Spiritu Sancto.* De hac Ebrietate spirituali Psal. *Inebriabuntur ab ubertate domus tuae.* Quasi dicat Apostolus, si vultis inebriari, docebo vos salutarem Ebrietatem, in qua non est ἀσωτία, sed σωτηρία: haec est Ebrietas Spiritus: *Replemini Spiritu Sancto.*

Quarto illud Ἀλλὰ ἔμφασιν habet. Significat, *primum*, hanc Ebrietatem & repletionem Spiritus opponi alteri, quae est ex vino: & unam esse salutarem, inque ea esse σωτηρίαν, alteram perniciosam, quia in ea est ἀσωτία. *Deinde* docet hac particula, unam non posse consistere cum altera, Ebrietatem vini cum repletione Spiritus, eóque illos mentiri, qui gloriantur se esse repletos Spiritu Sancto, cùm Ebrietati vini indulgent.

Hi duo versus 19 & 20. nihil habent difficultatis, si quaedam explicentur. *Primum* igitur, quod ait, λαλοῦντες, *loquentes,* ἑαυτοῖς. illud ἑαυτοῖς significat, *inter vos.* Confert enim effecta seu laetitiam Ebrietatis ex Spiritu, seu quae fit ἐν πνεύματι, cum effectis seu cum laetitia, quae est ex vino. Qui simul vino inebriantur, solent vino exhilarati inter se garrire, canere, & aliquo etiam instrumento musico ludere, sed carnalibus & vanis verbis, contionibus, ludis. Ait igitur, vos autem repleti Spiritu loquimini inter vos, canite inter vos, psallite inter vos. *Sed quid?* Spiritualia, sicut & Ebrietas est spiritualis, & ex Spiritu & per Spiritum.

Secundo illud ἐν τῇ καρδίᾳ ὑμῶν non excludit vocem oris, quasi non sit ca-

nen-

nendum Deo voce externa, sed tantum in corde: verùm excludit hypocrisin & vanitatem; ex qua ferè loquuntur & canunt Ebrii vino. Haec igitur vox, ἐν καρδίᾳ ὑμῶν, idem valet atque ἐκ τῆς καρδίας ὑμῶν: quasi dicat, non vanè, neque ex hypocrisi, sed ex corde & ex animo. Scholia μὴ τοῖς χείλεσι, ἀλλὰ καὶ κατά τὴν καρδίαν.

Tertio, notanda illa tria verba λαλοῦντες, ᾄδοντες, καὶ ψαλλοντες: λαλεῖν est simpliciter loqui, imò potiùs garrire, & vanè, temerè ac inconsideratè loqui & effutire, sicut solent Ebrii: & ideò adjecit Apostolus ἐν τῇ καρδίᾳ, contra hanc vanitatem.

Caeterum hoc primum verbum, nempe λαλεῖν, fit tantùm simplicibus verbis & simplici voce: ᾄδειν est canere, sed lingua tantùm & voce. Hoc igitur est ampliùs quam λαλεῖν. Tertium, ψάλλεσθαι & ψάλλειν, significat adhibito etiam Musico instrumento ludere & canere. Sic enim & David suos Psalmos solitus fuit decantare.

Isti sunt tres modi, quibus solent homines sese mutuò exhilarare, praesertim jam bene poti, collocutio, cantus, & ludi, seu instrumentalis Musica. Nihil horum prohibet Apostolus Christianis hominibus, modo omnia fiant ἐν τῇ καρδίᾳ, spiritualiter, & τῷ κυρίῳ, *hoc est*, ad aedificationem & ad gloriam Dei.

Quarto pertinent huc & illae tres voces ψαλμοῖς, καὶ ὕμνοις, καὶ ᾠδαῖς. Discrimen faciunt inter has voces, ut Psalmi sint cantiones, in quibus decantandis adhiberi soleant praeter linguam Musica etiam instrumenta, ut Chelys, Testudo, & fistulae. Hymnos volunt esse cantica continentia laudes & ἐγκώμια praesertim Dei, sive sola lingua decantentur sive adhibito Musico instrumento. Odae sunt cantiones continentes non solùm laudes, verùm etiam adhortationes, doctrinas, vaticinia, gratiarum actiones. Atque hae odae voce tantùm & lingua decantantur.

Quinto, Caeterum quia carnales etiam homines & profanae Gentes habent suos Psalmos, suos hymnos, suas odas, sed carnales, eásque vino repleti decantant: idcircò differentiae causa adjecit Apostolus ἐπίθετον, quo nostras ab illorum discriminet, dicendo πνευματικοῖς. Supra Ebrietati ex vino opposuit repletionem Spiritus: hîc cantiones spirituales opponit carnalibus.

Cantiones Ebriosorum & profanorum hominum carnales sunt, respectu causae efficientis, causae materialis, formalis & finalis. *Primum* enim à carnali impuróque corde proficiscuntur. *Secundo*, continent plerumque materias carnales, quia de rebus sunt vanis & carnalibus. *Tertio*, Forma etiam & compositio carnalis est, constans plerumque verbis obscoenis, idololatricis & mendaciorum plenis: & *denique* finis carnalis est, quia neque ad gloriam Dei, neque ad aedificationem decantantur, sed ad voluptatem carnis, aut ad vanitatem, aut ad quaestum, aut ad venandam hominum gratiam, aut etiam ad tempus *(ut loquuntur)* ludendum.

Vult igitur contrá Apostolus nostras cantiones esse spirituales omnibus modis: ut. 1. sint à Spiritu Sancto: tales autem sunt omnes, quas habemus in Sanctis Literis. 2. sint de rebus spiritualibus. 3. sint compositae verbis Spiritus Sancti eóque honestis. 4. ad gloriam Dei & ad aedificationem. Omnes has conditiones habent Psalmi Davidis. Hanc vim habet illa vox πνευματικοῖς.

Sexto,

Sexto, Quod verò addit, τῷ κυρίῳ, ad Christum immediatè refero, quem κατ' ἐξοχὴν vocat κύριον, sicut Patrem nomine Dei significare solet, quemadmodum mox sequitur, dicens, Deo & Patri; ut sit sensus, in omnibus cantionibus & precationibus nostris in Christum semper nobis intuendum esse tanquam in Mediatorem, per quem preces nostrae ad Patrem referuntur & gratae illi fiunt. Nam qui habet Filium, habet Patrem. In Summa, vult Christum nobis esse cynosuram in tota hac vitae nostrae navigatione.

Septimo, quod subdit in v. 20. ἐυχαριστοῦντες, usum unum, unum finem ac scopum nostrarum cantionum significat: is est, ut gratias agamus per Jesum Christum Patri ac Deo nostro de omnibus rebus, idque semper. Quatuor dicit, 1. debere nos gratias agere. Quando? ait πάντοτε. Oportet igitur semper animo habere gratiam, etiamsi semper non possimus verbis agere. 2. pro quibus seu de quibus? ὑπὲρ πάντων (*inquit*) quae, *scilicet*, nobis aut proximo nostro à Deo immittuntur prospera sint sive adversa esse videantur, omnia enim sunt beneficia Dei. De prosperis nemo dubitat: de adversis ait Apostolus, *omnia cooperari ad salutem diligentibus Deum.* Quanta sit utilitas & usus ex rebus adversis dici non potest. Philosophi certè docent virtutem fortitudinis sine adversarum rerum experientia comparari non posse: quoniam omnis habitus ex frequentatis actionibus comparatur. Maximum autem Dei donum est fortitudo. Ergo etiam pro rebus adversis agendae sunt gratiae. Sed cui? Subdit tertio loco, *Deo & Patri. Deo* dicit propter creationem & generalem gubernationem. *Patri* verò propter Electionem, Redemtionem, Justificationem. Omnia ergo Patri sunt accepta ferenda tanquam fonti bonorum omnium. Sed per quem? Nos enim sumus indigni, qui compareamus ante conspectum Dei. Ait quarto loco ἐν ὀνόματι τοῦ Ιησοῦ Χριστοῦ. Hic est enim Mediator, per quem & Deus Pater omnia bona è Coelo nobis communicat, & nos omnia nostra opera, preces, laudes, hymnos, gratiarum actiones è terris ad Patrem mittimus: & per quem fiunt illi grata omnia, per Dominum, *scilicet*, nostrum Jesum Christum. Nunc ergò tenemus sensum horum trium versuum.

Caeterum duae sunt praecipuae doctrinae, quas nobis tradit Apostolus his tribus versibus: *Una est*, damnari quidem Ebrietatem, quae est ex vino & ex quovis alio potu carnali: sed non damnari vinum, aut Usum vini moderatum. Non enim ait, Nolite bibere vinum: sed, nolite inebriari vino. Quid est inebriari? Ex ἀντιθέσει, quam subdit, liquet, dicendo: *sed impleamini Spiritu,* seu ἐν τῷ πνεύματι. Inebriari igitur vino est immodico vino repleri. Hoc damnat Apostolus: sed de moderato vini potu ait. 1. ad *Tim.* 5. Utere modico vino propter stomachum tuum & propter tuas crebras infirmitates. Eatenus igitur bibendum est, quatenus calefacit, confortat & corroborat stomachum, adjuvatque concoctionem: seu bibendum est ad valetudinem. Item *Psal.* 104. Vinum (inquit) laetificat cor hominis. Ergo non solùm ad valetudinem, sed etiam ad Christianam hilaritatem bibi potest, & ad cor exhilarandum. De quo altero usu vini Salomon *Prover.* 31. Date siceram moerentibus, & vinum iis, qui amaro sunt corde. Proinde licet ἀσώτικα convivia vel potiùs συμπόσια damnentur, in quibus à mane usque ad vesperam potatur: Christiana tamen & moderata convivia, quae animi exhilarandi & amicitiae confirmandae gratia fieri solent inter pios,

non

non damnat Apostolus: imò dicebat Corinthiis. 1. *Cor.* 10. si quis etiam infidelium vos vocat ad convivium, & vultis ire, edite quae apponuntur: nec Christus recusabat ire, cum invitabatur. Vita Christiana non est vita Stoica aut Cynica: nec vult nos Christus esse μισανθρώπους, sed humanos & moderatè laetos. Atque haec de prima doctrina breviter ac summatim.

II. *Altera* doctrina est de *Musica* sive vocali tantum, sive etiam adhibitis Musicis instrumentis. Liquet in genere Musicam non damnari ab Apostolo simpliciter, sed eam tantùm perstringi, quae non est πνευματίκη sed carnalis: quae autem πνευματίκη est, faciens ad aedificationem proximi & ad gloriam Dei, eam commendari: Psallentes *(inquit)* & canentes in cordibus vestris in Domino. Licet igitur Christiano homini & canere & ludere in testudine, organis, lyra, & aliis Musicis instrumentis: modo spiritualis sit Musica. Quid autem sit Spiritualis Musica suprà declaravimus. Caeterum de Musica in templis aliàs dicemus.

De Ebrietate.

Praecipuus locus in hoc contextu est de Ebrietate vitanda. Causa verò, cur hanc damnarit apud Ephesios, est, quia de hac, sicut etiam de Scortatione & de aliis suprà explicatis, persuasi erant eam non esse peccatum, vel saltem non grave peccatum: imò rem esse potiùs laudabilem, quod faciat ad cordis exhilarationem. De hac igitur videnda sunt haec:

1. *An sit peccatum, & an grave peccatum.*
2. *Quàm perniciosa sit.*

Utramque enim ex verbis Apostoli colligimus quaestionem: Priorem, quia ait, Ne inebriemini in vino: Alteram, quia dicit, ἐν ᾧ ἀσωτία.

1. Videndum priùs est, quid nomine Ebrietatis intelligamus. Triplex est hujus nominis significatio. *Aliquando* significatur liberalis & plena sitis restinctio ad hilaritatem usque: ita tamen ut ne supra vires Naturae & sine corporis damno bibatur. Sic vertunt *Schacadh.* Gen. 43. Hoc sensu accipitur, cum de fratribus Josephi legimus, quod comederint cum fratre & inebriarint se cum eo, id est, ad hilaritatem usque liberaliter biberint. Sic *Joan.* 2. Omnis homo primum apponit bonum vinum: cùm autem inebriati fuerint, tunc id quod deterius est: μεθύσκειν accipitur pro liberaliter sitim explere. Hoc sensu Ebrietas peccatum non est.

Aliquando hoc verbo significatur ipsa mentis alienatio, quae ex epoto vino nascitur: sicut videmus contingere illis, qui Ebrii sunt: Non sunt enim sui compotes. Sic quidam interpretantur illud *Gen.* 9. de Noah. Et bibit de vino, & inebriatus est, id est, & mente fuit alienata, sui impotens factus propter vinum epotum. Duo dicit. 1. & bibit. 2. & inebriatus est. Ergo aliud est bibere, aliud inebriari: posterius est effectum prioris. Hîc igitur *Schacadh.* effectum potiùs Ebrietatis quàm Ebrietatem significat. An verò iste effectus peccatum esse possit ex distinctione liquebit. Talis effectus & morbus nascitur aliquando ex repletione vini: aliquando ex vi & praestantia vini quamvis modicè epoti. Si ex repletione, est poena peccati potiùs quàm peccatum: si

ex

ex praestantia vini, potest hoc alicui contingere aut inscio aut conscio. Inscio, ut si quis ignoret vinum tantae esse efficacitatis, ut mentem turbet: Conscio, ut si quis vim vini norit. Si inscio accidat is non dicitur peccasse, quod ita sit inebriatus, id est, mente turbatus. Et sic nonnulli volunt intelligi illud de Noah, nempe quod biberit vinum, cujus vim ignorabat: & ita inebriatus sit. Verbum enim *Schacadh.* ibi videtur significare hunc animi defectum, non autem vini repletionem. Si vero sciens tale quis bibit vinum, non potest excusari à peccato. Proinde talis mentis turbatiò imputatur ei ad peccatum. Haec est secunda verbi *Schabadh* significatio: quae Ebrietas, quomodo sit peccatum & quomodo non peccatum, jam dictum est.

Tertio, hac voce significatur immodica vini repletio, *hoc est*, quae fit praeter necessitatem & praeter honestam voluptatem. *Primum poculum* (dicebat quidam Philosophus) *est necessitatis, secundum hilaritatis, tertium Ebrietatis.* Ergo vini repletio, quae fit praeter necessitatem & honestam hilaritatem, Ebrietas est vitiosa. Ebrietas enim opponitur Sobrietati: Sobrius autem dicitur, qui temperatè & secundum rationem edit & bibit. Est enim Sobrietas pars temperantiae. Qui igitur terminos Sobrietatis excedit, ita ut supra vires Naturae, & plus quam aut necessitas aut honesta voluptas postulat, se vino ingurgitet & impleat: is verè Ebrius dici potest: sive ex hac repletione sequatur mentis alienatio, sive non sequatur. Multi enim inebriantur, qui tamen mente non alienantur, quod fortissimi sint cerebris: hos tamen certè Scriptura Ebrietatis crimine non liberat. Propriissimè tamen illi dicuntur Ebrii, qui prae nimio potu mente alienantur. Haec est tertia vocis hujus significatio, eáque propria. Juxta hanc tertiam significationem loquitur Apostolus ferè, cum de Ebrietate agit, sicut hîc, dicendo: Nolite inebriari vino, i. e. nimio vino repleri; ἀντίθεσις enim hoc demonstrat, cum ait, *sed impleamini Spiritu Sancto.* Quid igitur sibi vult, nolite inebriari vino, nisi nolite impleri nimio vino, quo, *scilicet*, corda vestra graventur? Sic enim Dominus explicavit, quid sit Ebrietas, repletio, *scilicet*, vini, qua corda nostra gravantur, *id est*, immodica, quam non simus ferendo, & qua impediti ac gravati non possimus vacare rebus Coelestibus. Hanc igitur Ebrietatem, *id est*, vini repletionem dico esse peccatum, & gravissimum peccatum. Multis probationibus non est opus.

Apostolus ait, *Ne inebriemini vino:* ergo peccatum est, 1. *Cor.* 6. Ebriosi regnum Dei non possidebunt. Ergò grave peccatum est, cum excludat à Regno Dei. Quid pluribus opus est? Effecta & mala, quae inde sequuntur & quibus Deus punit Ebrietatem, docent quàm grave peccatum sit. Sequuntur enim ex Ebrietate Incestus, Adulteria, Caedes. Et quid non scelerum parit Ebrietas? Et sunt poenae Spirituales, quibus Deus puniens peccata peccatis ulciscitur Ebrietatem. Veniamus igitur ad secundum.

2. Quàm perniciosum sit vitium Ebrietatis, & quàm gravibus poenis à Deo puniatur, liquet tum ex comminationibus Prophetarum, tum exemplis irae Dei adversus Ebriosos homines. *Jes.* 5. Vae qui consurgitis manè ad potum sectandum usque ad vesperam. Illa multa Vae adversus Ebriosos homines satis luculenter docent, quàm gravibus poenis puniatur a Deo. Infinita sunt talia loca apud Prophetas, multa vae denunciantia Ebriosis hominibus. Exempla verò

verò quis omnia recenseat? Unus Lothus sit nobis exemplo: Inebriatus fuit, non tamen à seipso sed à filiabus, nisi quod voluit illis gratificare largiter bibendo, ut exhilararetur ipse & exhilararet filias, quae amiserant matrem, & erant omnes profugi à propriis aedibus: quid tamen secutum sit notum est. Peccatum unum consecuta sunt alia peccata: concubuit cum filiabus, ex iis suscepit Ammon & Moab: unde duo populi semper infensi Ecclesiae nati sunt. Fuit haec gravis poena illius Ebrietatis: quam tamen secutus est non malo sed bono animo, sui, *scilicet*, & suorum exhilarandorum gratiâ. Plurima exempla in Sanctis Literis habemus: sed quia non ago concionatorem sed simpliciter doceo, plura non affero: multò minùs ex historiis profanis, ut de Alexandro Magno & aliis.

Hoc tantùm addam, quod quotidiana experientia discimus bona omnia, animi, corporis & fortunae, everti Ebrietate, sicut diximus indicari à Paulo voce illa ἀσωτίας. Quantùm obsit animo docent Sanctae Literae, confirmat experientia. Christus ait, Vino gravari corda nostra. Eccles. 19. Vinum & mulier apostatare faciunt sapientes. Unde? à rectè institutis, à ratione, à mente ad brutalem stultitiam. *Item. c.* 38. Vinum immodicè sumtum acerbitatem animi parit, cum rixis & contumacia. Ad summam videmus quotidie homines per Ebrietatem ex hominibus fieri bestias, imò peiores, quia insaniunt & omnium obliviscuntur: mens non novit, memoria non recordatur, voluntas non discernit bonum à malo, eligit pessima quaeque, lingua garrit stulta & ridicula, & quicquid in corde erat absconditum, profert in lucem. Unde proverbium, *In vino veritas*. Seneca dixit, quid est Ebrietas? voluntaria *(inquit)* insania. Quantum vero noceat corpori, quis est qui non videat? Infinita morborum genera inde nascuntur: apoplexiae, paralyses, arthritrides, mortes repentinae, miserandi casus, cadunt alii in ignem, alii in aquas, ut submergantur, alii in saxa, ut frangantur illis crura, brachia, caput, cervices: alii cruditatibus laborant, languescunt alii, alii fiunt tremuli & inepti ad opera. Quis mala enumeret omnia, quae corpori adfert Ebrietas? Certè diu vivere non possunt Ebriosi homines: quo illud, Plures occidit crapula & Ebrietas, quàm gladius. Concludat Salomon hoc caput. *Prov.* 23. Cui est vae? cui rixae? cui anxietas? cui gemitus? cui vulnera sine causa? cui est suffusio oculorum? *Resp.* His, qui moram trahunt juxta vinum, & qui veniunt ut scrutentur longam infusionem. Ne intuearis vinum cum flavescit, & cum in calice diffundit colorem suum atque rectè ingreditur. Novissimum enim ejus mordet veluti serpens, & velut aspis aculeum immittit. Oculi tui contemplabuntur aliena, & cor tuum loquetur perversa. Legantur reliqua.

Quid verò dicam de damnis, quae accipimus in re domestica & bonis fortunae ex Ebrietate? Legatur Salomon, *Prov.* 23. Qui amat vinum & pinguia, non ditescit. *Prov.* 23. Non sis inter potatores vini, & cum illis, qui devorant carnes. Potator enim & comessator ad inopiam redigetur, & laceris vestibus induet se, qui assuevit dormitationi. Aristoteles ipse Ethic 5. ἀσωτευόμενοι, καταποκιζόμενοι, γίγνονται πένητες. Legantur etiam quae Plinius contra Ebrietatem scripsit, *lib.* 14 *c.* 22. Item divina Senecae epistola ad Lucilium. 84. *lib.* 12.

Ob-

Observent haec testimonia omnes Christi amantes, & iis sese excitent ad sobrietatem, & obtemperent salutari mandato Apostoli dicentis, *Ne inebriemini vino &c.* Nulli etiam sunt, qui magis injurii fiant proximo, quàm Ebriosi homines: familiam defraudant rebus necessariis, dum ipsi omnia consumunt in popinis & comessationibus: contumeliis afficiunt & verberibus uxores, liberos, famulos, ancillas, vicinos, invadunt in aliorum bona, furantur, rapiunt: stuprant aliorum filias: traducunt hunc & illum.

Ad summam: Ebrietate (ut dictum est) omnia bona evertuntur, animi, corporis & fortunae: & omnibus vitiis atque sceleribus porta aperitur: ira Dei mirabiliter provocatur: & tandem, nisi resipiscant, homines Ebriosi exclusi à regno Dei cum Diabolis in sempiternum crucientur in inferno necesse est. Nam Ebriosi regnum Dei non possidebunt. Fugiamus igitur Ebrietatem, quae est ex vino: & sequamur Ebrietatem spiritualem, quae est repletio Spiritus Sancti.

De hac Ebrietate spirituali, quam Platonici vocant Ebrietatem superlunarem seu coelestem, non malè scripsit Marsilius Ficinus in argumento *Dialogi* 2. *de justo*. Sed de iis satis.

Restat ut quaestiunculam explicem, quam Aristoteles quoque tractat in Ethicis: An peccata, quae admittuntur ab Ebriis, excusari debeant, aut saltem extenuari possint Ebrietate, nec ne possint: an verò potius graviora fiant & majoribus poenis sint punienda?

Aristoteles certè scribit in Ethicis, *lib.* 4. Qui Ebrius admittit facinus aliquod, putà homicidium, eum duplici poena puniendum esse: *una*, propter Ebrietatem, *altera*, propter facinus ex Ebrietate admissum. Neque enim peccatum excusari vel extenuari posse videtur sed potiùs gravari: Augustinus tamen contra Faustum excusat incestum Lothi, quod Ebrius, ac nesciens quid ageret, illum admiserit. Et ratio quaedam affertur: quia peccatum, quo minùs est voluntarium, eo etiam minùs peccatum est, *id est*, levius esse videtur. Videtur autem Ebrius, quae admittit, admittere involuntariè.

Respondeo. In Ebrietate tertio modo seu in tertium sensum accepta duo sunt, defectus mentis consequens Ebrietatem, & actus ipse Ebrietatis, quo quis inebriavit sese. Si defectum mentis, qui consequitur Ebrietatem, consideres in sese, dubium non est quin peccatum ex mentis defectu admissum extenuetur. Ratio est, quia minus voluntarium est, quàm si praesente mente admitteretur. Sed si spectes actum praecedentem, quò quis voluntariè sese inebriavit, excusari non potest quin peccatum sit, quod ex Ebrietate admittitur. Est enim & hoc voluntarium in sua causa, *hoc est*, in actu Ebrietatis voluntariae praecedente. Ergo respectu unius, *id est*, actus praecedentis, quod postea admittitur malum, peccati culpa non caret, & verè peccatum est, illúdque quodam modo, *id est*, in causa voluntarium est: respectu autem defectus mentis fit ut leviùs sit peccatum, quàm si praesente & libera mente ac voluntate admissum esset.

Caeterùm, si juxta secundam significationem ignorans vini vim inebrietur, id est, mente alienetur, & non sit compos sui, ídque factum sit (*ut dixi*) ex ignorantia: sicut tunc non peccavit, sic neque, quod postea mente alienata

&

& omnino ignorans ac nolens admittit malum, peccatum propriè loquendo non est: quia nullo modo voluntarium fuit.

De Musica in Ecclesia.

Musicam tam instrumentalem quam vocalem Christianis hominibus licitam esse, imò verò & laudabilem & utilem esse ad usurpandum, ex praesenti Apostoli contextu conclusum fuit; modo (*ut dictum est*) & quae canuntur sint res spirituales, & spiritualiter, id est ex corde, sine hypocrisi, atque ad proximi aedificationem, & Domino, *id est*, in conspectu Domini, & ad gloriam Dei canantur. Talis enim Musicae usus non solum jucundus, sed etiam honestus & utilis est. Neque video, qui hunc privatum & inter fratres usum improbare possit.

Restat tantùm quaestio de Musica Ecclesiastica, *hoc est*, An licitum sit in coetu fidelium, seu in templis, canere & psallere? Si licet, an expediat? Ut verò expediat utilísque sit cantus, quaenam ad hoc requirantur? Ita duo erunt capita hujus quaestionis.

Primum quod attinet, notandum est non defuisse, qui cantum seu Musicam in templis improbarint tanquam vanam & inutilem. *August.* Tom. 1. Retract. *li* 2. c. 11. refert de quodam Hilario tribunitio, eum odio sacerdotum adductum solitum fuisse improbare cantus Ecclesiasticos & Psalmorum decantationes: & ait, se adversus hunc Hilarium scripsisse librum de cantibus Ecclesiasticis, qui sic incipiat, Qui dicant mentionem, &c.

Adferunt nonnulli testimonia è Sanctis Literis sed perperam accommodata adversus hanc vetustissimam canendi consuetudinem: ut illud, Heliam irrisisse cantus Sacerdotum Baal, dicendo, clamate fortiùs, fortè dormit, *Item*, Dominum Jesum jussisse, cum volumus orare, ingrediamur in cubiculum nostrum, & ibi clauso ostio secretô oremus Patrem. Item laudari Annam matrem Samuelis, quae orando Deum vix labia movebat. Ecclesiam item Romanam non fuisse solitam canere, cum esset purior: & antiquitatis hujus vestigia adhuc retineri in Sacrario, quod vocant Capellam Papae, ubi neque organis luditur, neque canitur.

Sed facilè sententia haec refellitur, adhibita priùs distinctione duplicem esse precationem, privatam *unam* publicam *alteram*. De privata damus magis expedire, ut secretò fiat spiritu ad Deum: & de hac Christus loquitur. Ita Anna precabatur Deum in silentio: quanquam si quis etiam velit alta voce domi suae precari & Psalmos privatim decantare, quid peccat contra verbum Domini? aut quid admittit, quod improbari possit ac non potiùs laudari? Christus etiam voce sonora invocavit Patrem in suscitatione Lazari; & in horto; & Apostolus ad Heb. 5. ait, eum orasse cum clamore valido. Hymnum quoque cum Apostolis cecinit post coenam. Paulus & Silas in carcere alta voce laudabant Dominum, auditaeque fuerunt eorum voces à custodibus carceris. Actor. 18.

Caeterùm de Musica in templis primo constat, eam nullibi damnari in Sanctis Literis, sed potiùs laudari. *Psal.* 33. 96. 149. Cantate (*inquit*) & psallite Do-

Domino: & exemplo Ecclesiae Israëliticae confirmatur. Neque enim dubito quin hic praesens locus Apostoli Ephes. 5. & quem habemus similem ad Col. 3. tam de iis, quae in publico coetu fidelium, quàm quae inter privatos parietes & in privatis familiis canenda erant, intelligendus sit. Ecclesia enim Christiana solita semper fuit decantare psalmos & hymnos & laudes Domino. Extat apud Eusebium in *hist. Eccles. lib.* 3. *c.* 33, epistola Plinii secundi ad Trajanum Imperatorem testificantis Christianos solitos fuisse hymnos & laudes Christo, tanquam Deo, ante lucem collectos simul decantare. Idem testificatus est Philo Judaeus, qui vixit tempore Apostolorum, ut refert idem Euseb. *histor. Ecclesiast. lib.* 2. *c.* 12. Plinii autem Traianíque tempore vivebat Joannes Evangelista & Apostolus. Ita apparet fuisse Apostolicum institutum.

De Ecclesiis Occidentalibus, inter quas Romana excelluit, verum est eas seriùs cantum in templis admisisse, ut Augustinus refert, qui lib. Confess. 9 docet Ambrosium fuisse primum autorem, ut hymni & Psalmi canerentur in templo. Itaque summae inscitiae fuit simpliciter improbare decantationes psalmorum & hymnorum in templis.

Multiplex certè & magnus est *usus* hujus Musicae. *Primus* est gloria Dei illustrior, quod hac ratione magnificentius & illustrius cum majore auditorum attentione & admiratione celebrantur laudes Dei, quae hymnis continentur & Psalmis, quàm si submissa voce recitentur & sine cantu: quae causa fuit praecipua, cur in beneficiis Dei populo praedicandis Levitae dulcissimam adhibebant Musicam. Sic etiam ante extructum à Salomone templum, cum ferebant Arcam contra hostes pugnaturi Israelitae, sonora voce canebant, Exurgat Deus, & dissipentur inimici ejus: & cum redibant victores, carmen et laudes Deo canebant: quod hac ratione meliùs intelligerentur beneficia Dei & attentiùs audirentur, & augustius gloria Dei illustraretur: hostes verò, cum audiebant tales laudes Dei, ab Israëlitis terrebantur, & gloriam Dei cogebantur saepenumero admirari atque suspicere. Ergo quo clarius illustrius & magnificentius gloria & bonitas Dei praedicetur, voluit Deus beneficiis suis celebrandis adhiberi Musicam. Nemo principum est, qui non ducat sibi majori honori, si ipsius laudes Musica adhibita praedicentur, quàm si voce simplici recitentur.

Alter est multiplex utilitas, quam ex Musica percipiunt fideles. *Primum* enim mirum in modum afficitur & oblectatur humanus spiritus suavitate Musicae: ac si afflictus sit, recreatur & reficitur. Et quid mirum? Omne simile oblectatur suo simili. Animus humanus totus est Musicus & mirabili harmonia compositus est, ut dicebat Plato. Ac nemo est, qui ex harmonia Musicae non statim recreetur & summa afficiatur oblectatione. Quo pertinent illa, quae Poëtae fabulantur de Orpheo & Arione, de saxis concentu lyrae excitatis & ad aedificationem Thebanae urbis sponte confluentibus, déque aliis similibus. Sed certissima sunt illa, quae hac de re scribuntur in Sanctis Literis. Helisaeus magnus & fortis Dei propheta, cùm videret se animo (propter zelum tamen gloriae Dei) esse turbato adversus Regem Israël, Psalten accersivit, qui se levaret per Musicam molestia animi ac recrearet. Legimus etiam de Saule, cum vellet contra spiritum malum, à quo vexabatur, recreari, illum solitum fuisse accersere ad se Davidem, qui canendo carmen aliquod & in cythara lu-

ludendo, Regem laetitia afficiebat & spiritus afflictione liberabat. Ergo valet Musica ad hominem eiusque spiritum salutariter exhilarandum, atque ut Deo hilarius inserviat excitandum.

Accedit alia utilitas: ea est, quod per Musicam exhilarato nostro corde Spiritus etiam Sanctus in nobis inhabitans quodammodo excitatur ad sua effecta in nobis efficacius exerenda. Colligo hoc cum aliundè, tum ex praesenti loco Pauli: Ait, Repleamini Spiritu *(scilicet Sancto)* loquentes, canentes &c. Iis verbis duo docuit: *unum* quidem, istud canere & psallere esse effecta Spiritus Sancti: quia qui sunt hoc repleti, in has spirituales cantiones erumpunt. Sed *deinde* etiam docuit istis cantionibus spiritualibus vicissim Spiritum Sanctum in nobis excitari. Excitatur enim in nobis Spiritus Sanctus vel potius efficacitas, sicut verbo, Sacramentis, studio bonorum operum, ita etiam Musica pia & sancta. Hoc verò excitato noster quoque spiritus accenditur ad amandum Deum & proximum ardentius & constantius. Est igitur maximus & multiplex usus Musicae. Quare constat non solum licitum esse Musicam in Ecclesiis retinere, verùm etiam expedire propter multiplicem utilitatem, quam inde percipiunt fideles. Quid vis amplius, quod Angeli saepè leguntur cecinisse? *Jes.* 6. clamabant (id est, canebant) Sanctus, sanctus, sanctus &c. In nativitate Christi canebant *gloria in excelsis Deo*. Est igitur res divina atque coelestis. Ac de primo satis.

Caeterùm, ut utilis sit & hos usus afferre possit, quaenam requiruntur, & qualis esse debet? Neque enim omnis Musica probari potest et utilis est in Ecclesia.

Primum, quoad materiam, cani non debent in Ecclesia nisi cantiones, hymni, & odae, quae in Sanctis Literis habentur ut compositae à Spiritu Sancto. Neque enim facilè admittendae sunt compositiones humanae, nisi fortè prorsus consentaneae sint cum verbo Dei. Nam quae semel admittuntur & ab omnibus canuntur, illae non facilè postea tolli possunt, nisi cum populi turbatione: inhaerent enim fixae in animis omnium. Contingit autem, ut nonnumquam aliquid contineant quod, cum cantiones illae recipiuntur, omnibus tanquam piè dictum probatur: sed postmodum deprehenditur non usque adeò bene & orthodoxè fuisse dictum; inde postea populi ita imbibunt falsam doctrinam, ut non facilè deponere eam possint. Satiùs igitur esset, si simpliciter, quae in Sanctis Literis habentur, ea tantùm canerentur. Interim non damno consuetudinem Ecclesiarum: tantum dico mihi non probari, ut cujusvis etiamsi excellentis Poëtae carmina & hymni facilè & temerè in Ecclesiasticas cantiones admittantur. Satis multas habemus in Sanctis Literis, eásque pulcherrimas. Ac de materia satis.

Deinde quo ad formam & speciem cantus seu Musicae, quia cantus adhibetur propter verba, non verba propter cantum: idcirco talis debet esse cantus, qui intelligentiam verborum non impediat, sed potiùs juvet: & qui potiùs animum & spiritum ex verborum intellectu cum suavitate Musicae conjuncto oblectet & afficiat, quàm sensus & aures. Proinde quomodo probari potest illa fracta, clamosa & fragosa Musica in templis, qua ita canitur, ut nihil penitùs intelligas aut percipias praeter harmoniam Musicae? Legatur Hieronymus in hunc locum Pauli Ephes. 5. quid adversus Theatralem *(ut vocat)* Musicam scribat:

qua fit ut homines magis attenti sint modulationibus quàm verbis. Et citatur etiam hic contextus Hieronymi in *Decret. dist.* 92. *c.* 1.

Augustinus etiam in *lib. Confess.* dolet & plorat, quod concentibus Musicis plus attentionis adhibuerit quam verbis, quae sub illis proferebantur. Ideò pòst scribit, eos poenaliter peccare, qui majorem attentionem Musicae quàm verbo Dei adhibent. Hoc autem facere coguntur, qui talem fractam Musicam audiunt. Multa in hanc sententiam & contra hanc nimis numerosam Musicam scripta legantur in *Decret. distinct.* 92. Et concluditur ex hoc loco Pauli, corde magis quam lingua & voce canendum esse Domino. Et ibidem glossa duos pios versus recitat, quanquam non elegantes.

Non vox sed votum: non chordula Musica sed cor,
Non clamans sed amans cantat in aure Dei.

Proinde illam porrò Musicam valde probavit Augustinus, quam Athanasius in Ecclesiam Alexandrinam introduxit: ea fuit simplicissima, ita ut singula verba facillimè intelligerentur. Parum enim vox attollebatur aut deprimebatur: & ad formam potiùs legentis quàm canentis accedebat. Hanc Gregorius etiam Rom. studuit imitari in sua Ecclesia Romana: & adhuc in quibusdam Psalmis & precationibus canendis servatur: videtur potiùs recitare quam canere.

Summa: cùm ideò sit instituta Musica, ut meliùs & majori cum fructu verba percipiantur, debet esse simplicissima. Hoc enim est canere Domino.

Hactenus à vers. 4. de moralibus vitae praeceptis ad omnes christianos pertinentibus, partim in genere partim in specie, disseruit Apostolus: nunc incipit de Oeconomicis agere, ab hoc contextu, & per caput sextum, usque ad ea verba cap. 6. v. 10. τὸ λοιπὸν ἀδελφοὶ, &c. Ibi verò incipit Epilogus totius Epistolae.

Hujus porrò postremae partis capitis Quinti summa haec est.

1. Generalem praemittit propositionem de subjectione. qua omnes homines sibi mutuò subjecti esse debent in timore Domini, vers. 21.

2. Eam in suas partes omnes divisurus incipit à subjectione Uxorum erga Maritos: & vicissim ab officio Mariti erga Uxores, ídque in hoc cap. Nam in sexto de aliis speciebus subjectionis aget.

Caeterùm in tractanda hac prima specie subjectionis ita se gerit Apostolus, ut exemplo Christi & Ecclesiae eam confirmans dulcissimam doctrinam interserat de spirituali conjugio Christi cum Ecclesia, quo factum est ut simus facti cum illo et ille vicissim nobiscum una caro, ac proinde de singulari amore Christi erga Ecclesiam déque hujus amoris effectis disserit. Scopus autem peculiaris hujus digressionis est, ut ostendat Ecclesiam, & unumquodque ejus membrum, habere cur debeat lubenti animo Christo esse subjecta & ejus obedire mandatis: inter quae etiam hoc est, ut Maritus diligat uxorem suam tanquam proprium corpus: & Uxor timeat ac observet suum Maritum tanquam proprium caput suum: & ita claudit caput Quintum. Percurramus contextum Apostoli. *V.*

V. 21. Ὑποτασσόμενοι ἀλλήλοις ἐν φόβῳ Θεοῦ.

Construitur quidem cum superioribus, sed nova est propositio: ideò Syriac. addit copulam &, item verbum *estote*, dicendo: *Et estote subjecti, unus alii, in charitate Christi.*

Illud ὑποτασσόμενοι omnes vertunt, *Subjecti.* Nomen autem Subjectionis accipiunt pro officio, quo quivis tenetur alius alii inservire, pro sua quisque conditione & vocatione, tam Reges suis populis quàm populi suis Regibus. Nam etiam Reges quodammodo subjecti sunt populis suis, *id est*, obstricti, & tenentur illos tueri, regere, fovere, non minus quàm populi tenentur Regibus suis servire, tributa praestare, servato tamen cujusque gradu. Et exemplo Christi confirmant: quia Christus ipse, licet Dominus, servit tamen Ecclesiae: & non minùs caput membris quam membra capiti hoc pacto subjiciuntur. Volunt igitur hunc esse sensum: *Omnes subjecti estote, alii aliis, id est*, omnes pro sua quisque dignitate, gradu & vocatione, mutua officia sibi invicem praestent.

Ad rem ipsam quod attinet, subscribo: sed locutio, *id est,* nominis interpretatio valdè dura esse videtur, nempe ut dicamus omnes homines sibi invicem esse subjectos, Reges etiam suis subditis, Maritum uxori, patrem liberis, Dominum servis, Christum Ecclesiae. *Rom.* 13. ait Apostolus, Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit: non contra. Item hîc ait Apostolus: Uxores subditae viris sint suis: de viris non utitur eodem sed alio verbo, diligendi *scilicet.* Item ait, Ecclesiam subditam esse Christo, non autem Christum Ecclesiae, sed Christum eam diligere. Itaque cum verbum hoc ὑποτάσσεσθαι significet etiam *subordinari:* fortassis consultius esset hanc alteram sequi interpretationem & significationem: idem tamen manet sensus. Et revera omnia in hoc Mundo ita se habent, ut invicem sibi mutuo sint subordinata, ut alia aliis mutuas praestent operas mutuáque officia. Inferiora tamen propriè dicuntur subjecta esse superioribus: *Terra aquae: Aqua aëri: Aër Sphaerae ignis: et omnia Coelis.* Caeterum cum de re constet, de nomine non altercabor cum quopiam. Sed si velimus retinere nomen Subjectionis, possumus dicere illud intelligi de illis, qui subjiciendi sunt, sicut postea explicat de uxoribus: non autem quod, quibus debemus subjici, illi nobis subjiciantur: ut sit sensus: Quicunque inter vos debent aliis esse subjecti, ut uxores viris suis, liberi parentibus, famuli Dominis suis, cives Magistratibus: ii ne graventur subjici, idque in timore Domini.

Illud ἐν φόβῳ θεοῦ duo significat, *Primum*, caussam impulsivam, qua adduci possimus ad nos aliis subjiciendos, *id est*, superioribus nostris: nempe timorem Dei, qui hoc mandat. Nisi enim quis verè timeat Deum, à quo est omnis potestas: is nunquam poterit adduci, ut aliis se ex animo subjiciat: ea est hominis superbia. Solus igitur timor Dei efficax potest esse causa, quae nos permoveat, ut aliis nos subjiciamus, ídque ex animo. Dico *ex animo:* quia vi etiam humana, velimus nolimus, cogimur subjici. Timor verò Dei facit, ut ex animo subjiciamur.

Deinde indicat rationem, qua debeamus aliis subjici, nempe in timore Dei, quasi dicat, non contra Deum, sed ad gloriam ejus: quo sensu infra etiam dicet

dicet filios debere obedire parentibus in Domino, i. e. non contra Dominum, sed pro Domino & pro ejus gloria. Nam si Magistratus, aut pater, aut maritus tibi imperet quae sunt contra Dominum, respondendum illis est, *oportet obedire Deo magis, quam hominibus.* Hoc autem non respondebit aut praestabit, nisi qui timeat Dominum. Hoc est aliis subjici in timore Domini.

Nunc tenemus sensum hujus versus de generali subjectione: quae certè doctrina diligenter est observanda: quia nemo est, ad quem non pertineat. Quisque enim aliquem habet superiorem, cui subjiciatur. Timor ergo Domini sit nobis prima causa impulsiva & calcar, quo ad subjectionem ex animo subeundam excitemur. Et deinde sit nobis idem timor regula, qua debemus alicui subjici, nempe in timore Domini, eóque ad ejus gloriam, non autem contra Dominum.

V. 22. *Uxores subditae estote*, &c.

A θέσει iam ad ὑποθέσεις transit Apostolus, ac *primum* de primo subjectionis genere agit. Fuerunt enim tres iam à condito orbe status hominum: *Prima* est subjectio uxoris ad virum suum. Nam Adamus antequam filios haberet, habuit primum uxorem, quae ei fuit subjecta: inde liberos: postea alii facti sunt Domini, & alii servi.

Prima ergo inter homines subjectio est subjectio uxoris ad virum, postea sequitur filiorum ad parentes: denique famulorum ad Dominos, in c. 6. Meritò igitur priori loco agit Apostolus de subjectione Mulieris ad virum suum.

Uxores propriis viris subditae sitis, tanquam Christo.

Syriacus nihil habet diversi, nisi quòd Christo addit *nostro.*

V. 23. *Quoniam vir est caput uxoris, quemadmodum & Christus est caput Ecclesiae, & idem est, qui salutem dat corpori.*

Syriac. nihil habet diversi.

V. 24. *Itaque quemadmodum Ecclesia subjecta est Christo, sic & uxores propriis viris subditae sint in omni* (re), *id est,* in omnibus. Ἀλλὰ pro ὥστε accepit: Quamobrem.

In iis tribus versibus, ubi de subjectione uxoris agit Apostolus, tria praecipua capita habemus. *Primo* loco propositionem, nempe debere uxores maritis suis esse subjectas. *Deinde* qualis debeat esse ista subjectio, sincera, sancta, & ex animo, quia debet esse subjecta uxor viro, ὡς Κυρίῳ, *id est*, Christo: ad quod caput multae aliae particulae pertinent. *Tertio,* multas habemus rationes, cur uxor ex animo & sincerè debeat esse subjecta suo Marito.

I. *Ad primum* quod attinet, propositio haec est: *Uxores propriis viris subditae sitis.*

Duplex est subjectio, *una* ex ordinatione divina, qua, scilicet, quis alteri subjectus est re ipsa, quia sic constituit Dominus: sive ei honorem debitum deferat & obedientiam, cui subjectus quis est, sive non deferat. Sic certè filii

filii subjecti sunt parentibus, sic famuli Dominis suis, sic uxor marito. Deus enim sic ordinavit, tam antè peccatum quam post peccatum: & Natura hoc postulat. Itaque, velit nolit, subjecta est uxor viro. *Altera* cum necessitate conjunctam habet voluntatem & obedientiam, voluntariamque reverentiam & honorem: qualis est subjectio verae & bonae uxoris suo Marito, & populi fidelis suo Domino, ut sit populus spontaneus: sicut etiam populus Dei ipsi Christo subjectus est. Et de hac loquitur Apostolus, cùm ait *subditae sitis:* Non ait, vos estis subjectae, sed ait, ὑποτάσσεσθε in Imperativo. Vult igitur, uxores agnoscentes Dei ordinationem in ea acquiescant, & spontanea voluntate subdant se viris suis.

Duo autem includit haec subjectio, honorem ac reverentiam, & obedientiam. Et sic intelligimus dictum. *Gen.* 3. Ad virum tuum erit appetitus tuus, & ipse dominabitur tibi, id est, non facies pro tuo appetitu quicquam, sed juxta viri imperium itaque illi obedies, & honorem hunc ei deferes. Ideò Petrus de Sara ait, quod virum vocabat Dominum suum.

Nunc tenemus intelligentiam propositionis. Sed hanc subjectionis qualitatem meliùs explicat Apostolus illa particula, *in Domino.* Veniamus igitur ad alterum caput.

II. Ὡς κυρίῳ, *id est*, Christo, non tanquam homini, & ad oculum, & coactè, sed tanquam κυρίῳ: ac proinde sincerè, & ex animo, agnoscentes in viris vestris dominum ipsum, qui vos eis subjecit. Item tanquam Domino, quasi dicat in rebus secundum Dominum. Ergo si quid jubeat, quod Dominus Jesus non probat, non debetis obedire. Particula igitur haec docet, qualis debeat esse uxoris ad virum suum subjectio, spontanea, ex corde, sincera in rebus honestis, & quae placeant τῷ κυρίῳ, cum debita reverentia & honore.

Haec eadem qualitas exprimitur etiam simili Ecclesiae: sicut Ecclesia subjecta est Christo, sic uxores debent viris subjectae esse. Quomodo Ecclesia vera Sponsa Christi subjecta est Christo? *Sponte, volens, sincerè, ex corde amoris & reverentiae pleno.* Ita igitur etiam uxores debent esse subjectae viris suis.

Ad eandem qualitatem subjectionis pertinet ultima particula in ultimo versu: ἐν παντὶ. Debet igitur esse perfecta subjectio, ut subjiciatur Marito non ex parte, sed in omnibus (*honestis*, scilicet, & τῷ κυρίῳ *placentibus.*)

Ad eandem qualitatem pertinet, quod ait τοῖς ἰδίοις ἀνδράσι. Debet igitur subjectio esse castissima & fidelissima, ut hoc genere subjectionis soli suo Marito sit subjecta. Subjectio igitur uxoris ad virum debet esse spontanea, non coacta: ex amore & corde, sincera ac sine hypocrisi: perfecta atque in omnibus, non ex parte: casta ac fidelissima: denique sancta & in Domino, & quae constet reverentia, honore & obedientia.

III. *Prima* ratio, qua docet debere uxores lubenti animo sese subjicere maritis suis, ducitur à sexu. Quae imperfecta sunt subjici debent perfectioribus. Talis verò est foemina respectu mariti. Nisi autem hoc fiat, ut, *scilicet*, imperfectiora subjiciantur perfectioribus, ordo Naturae non potest conservari.

Secunda, à conjugio, id est, ex eo quód sunt uxores. Quod propter aliud creatum est, & ut ei inserviat, id debet alteri esse subjectum: Mulier propter virum, non contra, condita est, & ut esset illi adjutorium data est ei in matri-

trimonium, Gen. 2. Huc referantur, quae 1. Tim. 2. & 3. scribit Apostolus: *Uxores itidem honestas, non calumniosas, sobrias, fidas in omnibus.*

Tertia, ex eo, quod non subjiciuntur alienis sed propriis viris. Quod proprium est bonum, illud quisque debet amare. Qui autem amat, non gravatur subjici rei amatae, si hoc deceat: Atqui viri sunt propria cujusque uxoris bona, & perfectio: unde illud, *Materia appetit formam, ut foemina virum.* Ergo si amatis Maritos, non gravabimini vos illis subjicere.

Quarta, ab autore subjectionis, qui est Dominus Jesus. Cogitare igitur debent uxores se subjectas esse viris suis, i. e. non temerè, neque humanis legibus, sed à Domino & lege divina: ac proinde se *primum* subjectas esse Domino, *deinde* propter Dominum ipsis maritis, & in maritis ipsi Domino. Quare hinc *secundo* sciant, se non esse simpliciter subjectas viris suis, sed in iis tantùm, quae non repugnant priori subjectioni, qua subjectae sunt Domino. Non enim subjectae sunt contra Dominum, sed in Domino. Ideò tanquam Domino debet suo quaeque viro subjecta esse & obedire. Debet enim uxor propter Dominum etiam marito proprio renunciare, sicut & filii parentibus, ut Christus docuit. Ideò rectè Scholia ὡς κυρίῳ ajunt significare οὐ πάντως ἰσότητα.

Ita sensus est perspicuus, tria continens membra: *Unum est*, uxores subjectas esse debere viris suis, non tam ipsorum respectu quam Domini, à quo illis subjectae sunt. *Alterum*, priùs & magis subjectas esse Domino, quàm viris suis: eatenus igitur illis obtemperandum esse, quatenus nil contra Dominum imperant. *Tertium est*, hanc subjectionem & servitutem esse cultum Domino gratum: subjectae enim sunt & serviunt Domino, dum subjectae manent maritis. Quare haec particula ὡς κυρίῳ significat & autorem & qualitatem dignitatemque subjectionis. Nomine autem κυρίου intelligendum esse Christum infrà patebit, ut dicit: *Servi obedite Dominis vestris, tanquam Christo:* quod hîc ὡς κυρίῳ, ibi ὡς Χρίστῳ.

Sequuntur aliae causae, illaeque expressae, cur uxores non debeant gravari subjectae esse suis maritis: ait Apostolus:

V. 23. *Quia vir caput est uxoris, sicut & Christus caput Ecclesiae:* καὶ αὐτὸς ἔστι σωτὴρ τοῦ σώματος.

Illud καὶ αὐτὸς *est servator corporis*, Scholia referunt ad virum, καὶ αὐτὸς ὁ ἀνὴρ: ut sit explicatio vocis σώματος. Quid est, virum esse caput uxoris? Est esse illius servatorem: Ideò subdunt explicationem Scholia, dicendo: καὶ γὰρ ἡ κεφαλὴ σωτηρία ἔστι τοῦ λοιποῦ σώματος, μικροῦ τὰς πάσας αἰσθήσεις ἔχουσα ἐν ἑαυτῇ.

Alii malunt referre ad Christum immediatè, & per illum ad virum, hoc modo: sicut & Christus caput Ecclesiae, καὶ αὐτὸς (Christus) est servator corporis (sui) sicut & vir uxoris suae. Significat autem haec vox non illum solùm, qui semel salutem dedit atque servavit, sed qui perpetuò salutem dat et eam servat. Atque hoc sibi voluit Verres, cum Syracusis inscribi voluit & nominari σωτὴρ illius insulae, quasi perpetuus futurus esset illius gentis servator. Hoc illi exprobrat Cicero, v. 4. dicendo: *Itaque non solùm Patronum istius insulae, sed etiam* σωτῆρα *inscriptum vidi Syracusis.* Haec significatio

optimè

optimè convenit Christo, qui non solùm semel suo sanguine sed semper & continenter servat, datque corpori suo salutem. Hoc enim est proprium capitis, ut semper et continenter salutem det corpori, vitam, motum & sensum in singula membra influens. Hoc idem est officium viri, qui est caput uxoris totiusque corporis domestici, ut, *scilicet*, semper suam amet, servet, tueatur uxorem, & quos ex ea habet liberos. Haec de significatione hujus vocis σωτῆρος, & ad quem referenda sit vox καὶ αὐτὸς ἐστὶ σωτὴρ.

Hìc igitur in v. 23 habemus tres alias causas, cur uxor debeat subjecta manere suo viro: & omnes videntur ad explicationem ejus, quod dixit ὡς κυρίῳ, pertinere. Iste enim κύριος voluit et ordinavit, ut vir sit caput uxoris, ac proinde ut illa ei subjecta sit, sicut corpus capiti: nec solùm ut sit caput, quasi inutile et mortuum, sed ut ei sit servator: & denique voluit hujus subjectionis uxoris erga virum exemplum extare in Ecclesia, quae subjecta est Christo, ut hinc discant uxores & esse subjectae, & quomodo debeant esse subjectae, nempe sicut Ecclesia vera Christo.

Quinta itaque ratio est: quia (inquit Apostolus) vir caput est uxoris. Sumitur haec ratio immediate a dignitate, praestantia & autoritate, qua Dominus voluit virum superiorem esse uxori eique praeesse. Ut enim capiti in homine primas dedit partes supremumque locum, & ei subjecit totum corpus, idque merito, quia in capite collocavit sedem sapientiae & prudentiae, omnes sensus, radicem omnium nervorum, eoque principium sensus & motus: sic etiam virum praefecit uxori, ut sit ei capitis instar: & in hunc finem donavit illum majori sapientia, judicio, autoritate, 1. Corinth. 11. hoc idem conclusit & docuit, dicendo, caput uxoris vir: caput viri Christus: caput Christi Deus. Semper igitur caput praestantius est eis, quorum est caput. Et hanc ob causam datum est illi imperium in ea, quae sub capite sunt, non contra. Optimum igitur est argumentum. Vir caput est uxoris, idque ex Domini ordinatione: Ergo uxor debet esse subjecta viro. Hanc verò rationem confirmat simili Christi, ut inde postea concludat, sicut igitur Christo, quia est caput Ecclesiae, subjecta est Ecclesia, sic debet uxor marito suo sese libenter subjicere, quia ille est caput uxoris. Ideo ait ὡς δε Χριστὸς κεφαλὴ τῆς ἐκκλησίας.

Illud ὡς non indicat aequalitatem, sed similitudinem. Nam certè longè praestantiori modo Christus est caput Ecclesiae, quàm vir uxoris suae, majorque unio est inter Christum & Ecclesiam suam, quàm sit inter virum & uxorem: sicut mox Apostolus significabit, cum dicet: Magnum mysterium, Ego autem dico in Christo & Ecclesia. 1. Est enim perpetua & omnino inseparabilis unio inter Christum & Coetum sanctorum Electorum (de hac enim Ecclesia loquitur) quae certè non ita se habet inter virum & uxorem: quia mortuo uno coniugum, cessat unio conjugalis, nec sunt amplius una caro, alioqui non liceret alteram ducere. Sed unio inter Christum & Ecclesiam indissolubilis est. 2. Adde, quod Christus est tale caput, quod semper influit in Ecclesiam spiritum, vitam & motum: vir autem non regit semper uxorem, nec erga illam facit officium capitis. 3. Denique re ipsa Christus habet carnem nostram, & nos vicissim sumus caro de carne ejus: non ita certe vir & uxor se habent, qua de re post dicemus. Concludo: multo verius Christum comparari capiti humano re-

respectu unionis cum Ecclesia, quàm virum respectu unionis cum uxore. Ergo particula ὡς significat similitudinem non aequalitatem, & comparat rem cum re, non autem modum cum modo: quia alio & praestantiori modo Christus est caput Ecclesiae, quàm vir uxoris suae: & meminerimus hoc nomine Ecclesiae non intelligi nisi coetum Electorum, & verè natorum, Christoque capiti insitorum: qui coetus propriè vocatur Ecclesia sancta, de qua in Symbolo; deque hac sola loquitur in hoc contextu Apostolus. Hac igitur similitudine vim addit superiori argumento, [debere uxores subjicere sese libenter maritis, quia vir caput est mulieris, sicut & Christus Ecclesiae] quasi dicat, sicut Christus caput est totius Ecclesiae, sic etiam voluit & vult, ut vir caput sit uxoris. Ergo sicut tota Ecclesia subjecta est Christo capiti suo, sic, si quae vera est & pia uxor, non gravabitur subjici suo marito tanquam suo secundario capiti, quod a primario capite sibi datum est: alioqui si hoc detrectet, neque Christo verè subjecta fuerit.

Quomodo Christus sit caput Ecclesiae, partim supra dictum est, tum in 1. cap. tum in 4., partim seorsim dicetur. Nunc explicabimus verba Apostoli. Sequitur *sextum* argumentum.

Et ipse *(Christus)* est servator corporis *(sui)*: nempe sicut etiam vir datus est uxori, ut sit ejus servator. Haec particula primum intelligenda est sicut & similitudo capitis: non secundum aequalitatem, sed secundum aliquam similitudinem. Neque enim vir eo modo est aut esse potest servator uxoris, sicut Christus suae Ecclesiae.

Deinde continet non tantùm explicationem praecedentis particulae, quomodo, *scilicet*, Christus sit caput Ecclesiae, & vir uxoris suae, nimirum, quia uterque datus est, ut sit servator sui quisque corporis: sicut etiam caput humanum dat salutem toti corpori: non tantùm, *inquam*, continet explicationem superioris particulae, sed etiam novum argumentum ab utili seu a fine, cur vir datus sit uxori tanquam caput; finis est salus uxoris: est enim illi datus [ut sit ejus servator, protector, defensor, sustentator, vivificator: sicut etiam Christus non est factus caput Ecclesiae in suum commodum, sed in commodum & bonum Ecclesiae, quemadmodum & caput humano corpori praepositum est in salutem totius corporis.] Ergo si mulieres amant suam salutem, non gravabuntur subjici suis maritis: sicut neque membra corporis humani gravantur subjici capiti, propter suam salutem & bonum: & sicut etiam Ecclesia non gravatur subjecta esse Christo, quia hoc cedit in suam salutem. Est enim Christus servator corporis sibi subjecti: non autem eorum, qui sibi nolunt subjici. Argumentum igitur est ab utili.

Quomodo verò Christus sit servator, seu potius quomodo det salutem suo corpori, *id est*, Ecclesiae, liquet ex praecedenti simili, nempe sicut & caput dat salutem toti corpori & singulis membris: quanquam Christus praestantiorem salutem & praestantiori modo dat suae Ecclesiae salutem, quàm caput humanum reliquo corpori. Interim in hoc sunt similia: quia sicut caput semper, idque invisibiliter & sine strepitu sineque intermissione, suppeditat corpori vitam, motum, sensum: sic Christus suo corpori mystico, quemadmodum supra cap. 4. explicatum fuit magna ex parte. Sequitur:

V.

V. 24. Αλλ' ὥσπερ ἡ ἐκκλησία *subjecta est Christo, sic & mulieres propriis viris.*

Diximus illud Αλλὰ accipi nonnunquam pro *igitur:* & ita haec erit conclusio hujus adhortationis collecta & illata ex praecentibus argumentis. Sed posset etiam accipi in sua propria significatione, ut sit conditio, quae requiritur ad hoc, ut mulieres re ipsa salutem & protectionem accipiant a viris suis: nempe si ipsae subjectae maneant viris suis, sicut & Ecclesia ideo accipit salutem a capite Christo, quia ei subjecta manet: fuerit igitur perinde atque si dixisset: *vir dabit salutem corpori suo*, id est, *uxori*, *sicut & Christus suae Ecclesiae:* ἀλλὰ, sed si subjecta maneat viro suo, sicut & Ecclesia Christo. Sicut enim membra corporis humani non possunt vitam & motum a capite re ipsa accipere, licet caput semper influat, nisi ei subjecta maneat: Ita neque uxor a viro, si recuset subjici. Ergo vir tanquam caput dat quidem salutem corpori suo, *id est*, uxori, sed ita, si uxor subjecta maneat, sicut & Ecclesia Christo. Uterque sensus admitti potest, vel ut sit novum argumentum, quo probat fieri non posse, ut uxor bene habeat cum suo viro, nisi ei jubenti animo subjecta maneat. Itaque sic potest legi: sed sicut Ecclesia subjecta est Christo: *(& ob id salutem ab eo accipit)* sic etiam mulieres subjectae sint viris suis in omnibus, si velint salutem percipere.

Caeterùm in hoc versu haec tria concluduntur. 1. Uxores debere esse subjectas viris suis. 2. Quomodo seu quali subjectione: quali nimirum & Ecclesia vera subjecta est Christo. Quali subjectione subdita sit Ecclesia Christo non explicavit Apostolus, quia notum erat fidelibus. Ideo satis illi fuit dicere, sicut & Ecclesia Christo subjecta est. Intelligit autem talem, qualem ante descripsimus, *spontaneam*, *sinceram*, *castam*, *perfectam*, *liberalem*, *jucundam*, *officiosam*, *piam*. 3. In quibusnam debet esse subiecta? Ait ἐν παντὶ, in omnibus, quae, *scilicet*, non pugnant cum illa subjectione, qua prius & in primis Christo subjecti sumus.

Ex hoc contextu multae salutares doctrinae colliguntur.

Primo, Quod tot rationibus usus sit Apostolus, ut persuadeat mulieribus subjectionem hanc, quam descripsimus, colligitur quale sit ingenium mulierum, *superbum & subjectionis impatiens: non libenter se subjicit marito uxor, sed cupit & nititur ei dominari.* Nisi tale esset, non fuisset opus ista admonitione. Interim dum hoc imperium in viro affectant, & subjectionem recusant uxores, suam produnt insipientiam & imprudentiam. *Non enim vident se naturae ordinem invertere, ordinationem Dei violare, contra Christum pugnare, sibi malè consulere, non secus atque si corpus nolit subesse capiti, se denique non posse obedire Christo eique subesse, nisi subsint & obediant maritis suis:* ac proinde denegare subjectionem marito nil aliud esse, quàm degenare cultum Christo. Ait enim Apostolus, *subjectae estote, tanquam Domino*, id est, *Christo.*

Secundo, Contrá igitur viri discant, si amant Christum & suas uxores totamque suam familiam, nullo modo sibi permittendum esse ut sinant uxores sibi dominari.

1.

1. Primum, *quia si ideo uxor debet subjecta esse viro, quia foemina est, eóque imperfectior viro, Ordo autem naturalis postulat, ut inferiora subsint perfectioribus: res igitur est contra Naturam & portentosa, ut mulier viro dominetur.*

Est hoc nil aliud quàm subjicere coelum terrae, ut ea coelo dominetur.

2. *Quia si ideo debet viro inservire, quia est uxor data viro in adjutorium, non ad dominium:*

ut secunda habet ratio: invertit ergo ordinem Dei, & legem matrimonii tollit vir, si uxorem sibi permittat dominari. *Hoc enim est facere, ut uxor sit vir & vir mulier.*

3. *Quia ex consequenti efficit, ut ea suo proprio privetur bono. Est enim vir, quatenus vir, proprium uxoris bonum.*

Si ergo permittat eam tanquam virum sibi tanquam foeminae dominari: uxori malè consulit totique familiae.

4. *Quia si debet esse subjecta viro* ὡς κυρίῳ, *id est, tanquam Christo:*

Ergo nolle subesse viro est nolle subesse Christo: & dominari viro est velle dominari Christo: quid autem absurdius?

5. *Quia si ideo debet esse subjecta viro, quia est caput uxoris, sicut Christus est caput Ecclesiae:*

Ergo permittere, ut uxor dominetur marito, quid aliud est quàm efficere, ut caput subsit trunco corporis humani, *id est,* subtus pedes ponatur: & ut Ecclesia dominetur Christo?

6. *Quia, si ideo debet esse subjecta viro, quia vir est servator uxoris & dat salutem uxori, sicut & Christus Ecclesiae:*

Ergo verè non amat uxorem suam, qui eam permittit sibi dominari, quia desinit esse ejus σωτήρ. In connubio certè voluit Dominus tanquam in speculo relucere, qualis sit unio Christi cum Ecclesia: talis, *scilicet*, ut ipse sit caput & servator Ecclesiae, quemadmodum & caput totius corporis & vir uxoris suae. Si igitur permittatur uxor dominari, quid hoc aliud est, quàm dicere & in se ipso demonstrare Ecclesiam esse σωτῆρα ipsius Christi, non autem Christum Ecclesiae?

7. *Quia si ideo debet esse subjecta viro, sicut Ecclesia subjecta est Christo, quòd nisi maneat subjecta salutem a capite non possit percipere:*

Permittere igitur, ut uxor sese subducat ab imperio viri & ipsa dominetur viro: annon hoc est uxorem perdere eamque propria salute privare? Nihil perniciosius esset Ecclesiae, quam si permitteretur sese subducere ab imperio Christi.

8. *Denique permittere uxorem, ne sit viro subjecta, sed ut dominetur viro,*

est

est negare Ecclesiam subjectam esse Christo, & praedicare Christum esse subjectum Ecclesiae.

Ergo nullo modo debent viri permittere, ut quod ipsis datum est a Deo imperium in uxores, illud sibi ab uxoribus eripiatur: [alioqui gravissime peccant in Deum conjugii ordinisque conjugalis autorem & in conjugium ipsum: injurii sunt in se ipsos, in uxores suas, in liberos, totamque familiam: sunt denique re ipsa blasphemi in Christum & in Ecclesiam].

Tertio: Sed altera ex parte discant etiam imperium sibi datum esse in uxores, & uxores viris subjectas esse, non ut tyrannicè illis dominentur ad suam libidinem, ad suum tantum commodum, ad suam voluptatem, sed ad ipsorum salutem. Imperium & dominium viri in uxorem debet esse tale, quale est capitis in membra & totum corpus, & quale est Christi erga Ecclesiam: & ideo vir vocatur caput & σωτὴρ uxoris suae. Ergo ex his dictionibus & ex iis duobus similibus discant viri, quale debeat suum esse in uxores imperium.

Quarto: Refutatur etiam hîc error eorum, qui conjugium tanquam rem immundam damnant. Quomodo est immundum, cùm Spiritus Sanctus illud comparet copulae ac conjunctioni, quam Christus habet cum Ecclesia? Qua de re infra plura.

Hactenus de officio uxoris erga maritum: nunc sequitur de officio viri erga uxorem: & hoc alterum caput hujus contextus.

Summa haec est: viros debere diligere uxores suas, sicut & Christus Ecclesiam. Quomodo autem Christus dilexerit & diligat Ecclesiam multis declarat, id quod est tertium caput hujus contextus. Sed nos seorsum utrumque explicabimus perspicuitatis causâ.

Sicut vero septem argumentis usus est Apostolus, partim expressis partim tantùm indicatis, ut persuaderet uxoribus sanctam subjectionem, reverentiam & obedientiam erga maritos: sic non paucioribus utitur, ut permoveat viros ad uxores suas sancto & sincero amore complectandas. Sunt autem haec:

1. *Quia sunt masculi, illae sunt foeminae. Est autem naturale ut masculus amet foeminam.*

Prima igitur ratio sumitur a sexu. Cùm autem dicimus amare, intelligimus non solum affici erga aliquem, sed illi bene cupere & benefacere pro virili, illius non nostra causa: sicut exemplo Christi erga Ecclesiam declarabitur. Benefacere autem, fovere, sustentare, procurare salutem, proprium est masculi erga foeminam, magis quam foeminae erga masculum, tanquam perfectioris erga imbeciliorem. Ideo rectè distribuit officia Apostolus, ut mulier subjecta sit viro & vir diligat uxorem.

2. *Sumitur a conjugio, quia ipse est vir, altera est uxor, data illi in adjutorium & est ejus propria: quisque autem propria diligit. Ergo debet eam ἀγαπᾶν & ἀγαπᾶσθαι.*

3. *Quia Christus quoque diligit Ecclesiam & suum amorem voluit esse exemplum amoris, quo viri debent diligere uxores suas*

4. *Quia uxor est corpus mariti, quemadmodum ipse ejus caput. Sicut igitur ipsa uxor est ei subjecta ut corpus capiti, sic ipse vir debet uxorem diligere & fovere, ut caput corpus suum.*

5.

5. *Imo, quia ipsa uxor est una & eadem ferè persona cum viro, est enim alter Ego:* Ideo ait, *Qui diligit uxorem suam, se ipsum diligit.*

6. *Quia haec est antiquissima Dei institutio a condito orbe: ut vir adhaereat & adglutinetur uxori suae, ut ita duo sint una caro.*

Ergo mandatum Dei est, ut vir relinquat potius patrem & matrem quam uxorem, cui vult ut semper adhaereat & adglutinetur.

7. *Quia sicut in conjugio viri & uxoris voluit tanquam in speculo splendere conjugium Christi cum Ecclesia: sic etiam in amore viri erga uxorem voluit repraesentari amorem Christi erga Ecclesiam.*

Debet igitur eam diligere: alioqui esset negare Christum amare Ecclesiam. Haec est summa rationum, quibus utitur Apostolus.

V. 25. Viri diligite uxores vestras, sicut & Christus dilexit Ecclesiam, & semetipsum tradidit pro ea.

Hîc habemus 1. propositionem, viris diligendas esse uxores suas.

Deinde rationes tres, cur id faciendum sit. 1. quia sunt foeminae, natura autem docet & impellit marem ad foeminam diligendam. 2. Quia uxores: Haec ratio firmior est, quia est Dei ordinatio, & restringit amorem ad certam aliquam: qualitatem etiam amoris docet, qua vult illas diligi non ut simpliciter foeminas, sed ut uxores. Honesta igitur & legitima dilectione amandae sunt. 3. Quia Christus suo exemplo eas diligendas esse docuit: *dilexit enim & diligit Ecclesiam ut uxorem suam: cujus conjugium in conjugio Adami & Evae praefiguratum & praemonstratum fuit ab initio Mundi.* Hoc est Alterum.

Tertio loco, quali amore diligendae sint uxores docet exemplum amoris Christi erga Ecclesiam: *amore*, scilicet, *sincero, casto, sancto, constanti, magno.* Ideo dixit καθὼς καὶ ὁ Χριστὸς ἠγάπησε τὴν ἐκκλησίαν. Qualis ac quantus sit amor Christi erga Ecclesiam declarat abunde versibus insequentibus. Neque dubito quin ea longa descriptione sanctificationis Ecclesiae, quam subdit vers. 26 & 27. dicendo: *ut eam sanctificaret, purgans eam lavacro aquae in verbo, ut adhiberet eam sibi ipsi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam aut rugam, sed ut sit sancta & irreprehensibilis*, non dubito, *inquam*, hac sanctitatis descriptione qualitatem amoris, quo amandae sunt uxores, significare Apostolum voluisse: nempe non ad contaminanda uxorum corpora obscoena libidine, sed sancto & casto amore. Ac perstringere fortassis voluit abusum mulierum, quo forsitan nonnulli inter illos Graecos suis abutebantur uxoribus ad immunditiem non ad sanctificationem: & non ut uxores sed ut scorta diligebant. Voluit igitur significare eas diligendas esse ut uxores, & casto sanctoque amore, sicut & Christus Ecclesiam suam. Nam statim post illam amoris Christi descriptionem subdit vers. 28. *Sic debent* (οὕτως ὀφείλουσιν) *viri diligere uxores suas.* Ergo dubium non est, quin exemplum Christi huc spectet, ut doceat tum ejus exemplo diligendas esse uxores, tum quanto qualique amore sint diligendae.

Quid sit diligere, docent Philosophi. Est ita erga aliquem affici, ut ei bene velis ac cupias, & pro tua virili benefacias, non tua sed illius causa. Talem de-

definitionem confirmat Christus suo amore erga Ecclesiam. Ab aeterno fuit erga nos ita affectus, ut nos ad aeternam salutem elegerit, in tempore crearit & redemerit, ac perpetuo regat & servet, non sua sed nostra causa.

Commodùm autem usus est Apostolus verbo ἀγαπᾷν. Est enim ἀγαπᾶσθαι quasi ἄγαν παύεσθαι: quia amans quiescit in re amata. Indicare autem voluit Apostolus quemque sua debere contentum esse uxore. Nam verbo dilectionis honestè significatur usus conjugalis, ut 1. *Corinth.* 7. Uxori vir debitam benevolentiam reddat: similiter & uxor viro. Et certè nulla majori injuria affici potest uxor a marito, quatenus uxor est, quàm si illa non contentus aliam diligat, *id est*, cum alia rem habeat. Debet igitur ipsius dilectio in sua propria uxore quiescere. Hoc est ἀγαπᾶτε τὰς γυναίκας ἑαυτῶν, vestras proprias uxores diligite.

Caeterùm hoc verbo complexus est omnia, quae vir debet officia uxori suae, ut partim exemplo Christi partim disertis verbis porrò explicat. Nam qui diligit, is ea omnia, quae ad salutem rei dilectae faciunt, libenter praestat. Docet hoc primum exemplo Christi, de quo ait: & tradidit semetipsum pro ea (Ecclesia). Item:

V. 26. *Ut illam sanctificaret, mundans eam lavacro aquae in verbo.*

V. 27. *Ut adhiberet eam sibi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam aut rugam, aut quicquam ejusmodi, sed ut esset sancta & inculpabilis.*

Haec seorsum explicabimus: tantum hîc in praesentia colligimus, qualis debeat esse dilectio viri erga uxorem, & quod vera dilectio omnia, quae potest officia & beneficia, praestet rei dilectae. Subdit igitur:

V. 28. *Sic debent viri diligere uxores suas, ut sua ipsorum corpora. Qui diligit suam ipsius uxorem, seipsum diligit.*

Illud οὕτως post exemplum Christi allatum duo concludit, *Primum*: Virum debere amare uxorem suam propriam, quia etiam Christus dilexit & diligit suam Ecclesiam, & ita concludit tertium argumentum, quod inchoavit vers. 25. *Deinde* docet & concludit eadem particula, virum debere non simpliciter diligere uxorem suam, sed diligere οὕτως, *id est*, simili dilectione, vera, *scilicet*, sincera, casta, perpetua, qua & Christus suam Ecclesiam: dico simili, quia aequalis esse non potest. Haec est vis particulae οὕτως.

Illud ὀφείλουσι auget adhortationem: Dixerat simpliciter: viri diligite uxores vestras; nunc post allatum Christi exemplum, addit ὀφείλουσι debere & teneri viros suam quamque propriam uxorem diligere. Quamobrem? Tum propter Christum, qui suo exemplo docuit, quid nos debeamus & teneamur facere, tum propter rationes insequentes. Praeceptum enim de diligenda uxore, ut nostram propriam carnem, fuit ab initio mundi datum, & per Adamum tanquam per praeconem toti humano generi pronunciatum, cùm dixit: Hoc os est ex ossibus meis & caro de carne mea: propter hoc relinquet homo patrem & matrem, & adhaerebit (non tam corpore quàm animo & sincero amore) uxori suae: & erunt duo in carne una. Ecce

Ecce praeceptum Dei. Christus, qui factus est una caro cum Ecclesia sua, implere voluit hoc mandatum in sua persona: ut, quid nobis quoque faciendum sit, significaret. Tenentur ergo viri ex mandato Dei suas diligere uxores tanquam propriam carnem, sicut & Christus suam Ecclesiam. Quare merito post allatum Christi exemplum subjecit οὕτως ὀφέιλουσι οἱ ἄνδρες ἀγαπᾶν τὰς ἑαυτῶν γυναῖκας. Quomodo? ὡς τὰ ἑαυτῶν σώματα.

Haec verba duplicem habere possunt sensum. 1. ita ut novum sit argumentum, cur viri debeant uxores suas diligere, quia, *scilicet*, sint ipsorum corpora: ὡς ἑαυτῶν σώματα, *id est*, eò quod sunt ipsorum corpora: & ita habemus 4. argumentum. Et cum hoc sensu optimè congruunt quae sequuntur de creata muliere ex corpore viri, vir debet uxorem diligere ut corpus suum, *id est*, quia est corpus suum. Hic est *primus* sensus, qui mihi videtur genuinus. *Alter* est ut iis verbis doceatur, quali amore debeant viri suas diligere uxores: quali, *scilicet*, & sua ipsorum corpora diligunt. Sunt enim uxores sui quaeque viri corpora, ut ante etiam dixerat, & mox ex Genesi confirmabit.

Sed annon satis fuit attulisse exemplum Christi, quod longè maioris momenti est, quàm exemplum a nobis ipsis sumptum? Respondent Scholia Apostolum hoc alterum exemplum non attulisse tanquam efficacius priore, sed quia magis propinquum nobis est & cadit sub sensum. Quisque enim sentit in sese, quanto qualique amore diligat corpus suum, οὐχ ὡς εἰς μεῖζον ἐρχόμενος ὑπόδειγμα τὸ τοῦ οἰκείου σώματος εἴρηκεν, (ὑπερβάλλει γὰρ τὸ κατὰ Χριστὸν πρὸς τὴν ἐκκλησίαν) ἀλλ᾽ ὡς εἰς οἰκειότερον καὶ ἐγγύτερον. Sed uterque sensus optimè conjungi potest: ut sit argumentum, quo probet ideò amandas esse uxores, quia corpora nostra sunt: & exemplum, quo doceat quali amore sint amandae, quali & corpora nostra.

Sequitur in eodem v. 28.

Qui suam uxorem diligit, seipsum diligit.

Haec non tam novum continent argumentum, quam superioris amplificationem. Quid enim est amare suum corpus aliud, quam amare seipsum? Aliquid tamen ampliùs significat: quia, cùm dicit seipsum, dicit totum hominem, cum nominat tantùm corpus, partem hominis nominat. Proinde non incongruè hinc aliud argumentum, nempe quintum, confici potest, quod tale est: Qui diligit uxorem suam, seipsum diligit. Ratio: *quia uxor est alter Ego & una fere eademque persona cum viro suo.* Hoc liquet ex conjugii institutione: *Erunt duo in carnem unam*, id est, *in unam ceu personam.* Et hìc apparet diversum esse argumentum hoc a superiori: quia mulier ideo vocatur corpus viri, quia de viro sumta est, *id est*, de costa Adae. Ideò verò dicitur esse alter Ego & una eademque caro, *id est*, unus idemque homo cum viro, quia copula conjugii cum viro fit una caro. De priore dixit Adam, Hoc os ex ossibus meis & caro de carne mea. De altero dixit, Propter hoc relinquet homo patrem & matrem & adglutinabitur uxori suae, & erunt duo in carnem unam. Ita ut dicatur mulier os ex ossibus propter eductionem ex viro: caro autem una cum viro propter conjugalem conjunctionem. Ita majus est argumentum hoc quintum superiori quarto. Hic igitur est Syllogismus:

Qui diligit uxorem suam, seipsum diligit. Est enim uxor una & eadem caro cum

cum viro, *id est*, unus & idem homo. Atqui quisque maritus, imò etiam quisque homo diligit seipsum *(intellige si sit sanae mentis)*. Hanc sententiam confirmat sequenti versu: Ergo suam etiam uxorem quisque diligere debet.

Vel sic, Quicunque diligit seipsum, diligere debet & uxorem suam: qui enim hanc diligit, diligit seipsum, quia ea est una eademque caro, *id est*, homo cum viro. Atqui quisque diligit seipsum. Nemo enim carnem suam odio habuit. Ergo, &c.

Hîc primum efficitur, qui suam uxorum non diligit, eum neque verè seipsum diligere: eoque peccare contra Naturam. 2. Colligitur, cùm Christus & Ecclesia facti sint una caro, quanto amore Christus diligit Ecclesiam, certè ut seipsum.

Notandus hîc duplex sensus hujus propositionis, qui diligit seipsum &c. Unus est ille, quem attulimus, & de eo propriè loquitur Apostolus. Alius est, Qui diligit uxorem, seipsum diligit, *id est*, in suum commodum & utilitatem. Et hoc sensu: Qui etiam diligit Deum, diligit seipsum, quia haec dilectio cedit ei in salutem. Est igitur consultum viro, si diligat uxorem suam: quia non solùm rem gratam facit Deo, qui hoc mandat, sed etiam sibi utilem, quia Deus talibus benedicit familiis, ubi maritus diligit uxorem, & illa vicissim subjecta manet viro. Et ita argumentum hoc est non solùm a debito officio, sed etiam ab utili.

Oritur hîc quaestio, cur Apostolus usus sit argumento à φιλαυτίᾳ, dicendo: *Qui diligit uxorem suam, diligit seipsum*: cùm tamen φιλαυτία damnetur in Scripturis, 2. *Tim.* 3. Erunt sui amantes, φίλαυτοι.

R. Triplex est φιλαυτία, *prima* naturalis & sine peccato: ea est qua quisque ex naturae instinctu amat se, suum corpus, animam, vitam: & de hac mox dicet: *Nemo unquam carnem suum odio habuit, sed nutrit.* Hanc Scriptura non damnat; & qui hanc verè habet, non corruptam, is certè si diligit carnem suam in seipso, diligit eandem in aliis, in uxore cumprimis, & in liberis.

Secunda est divina, qua quisque renatus per Spiritum Sanctum ex ipsius instinctu amat seipsum, prout decet, ad gloriam Dei & salutem Ecclesiae. Utraque haec φιλαυτία fuit in Christo.

Tertia est Diabolica & carnalis, qua quis ex instinctu tantùm naturae corruptae, & a Diabolo inflammatae & accensae, ita se tantùm diligit, ut neminem alium verè diligat, & quaerat tantum quae sua sunt. Hanc damnat Scriptura.

De prima & secunda φιλαυτίᾳ optimè sequitur, *Qui diligit seipsum* (φιλαυτίᾳ naturali aut divina) *is diliget etiam uxorem suam.* Sed de tertia sequitur contrarium. Apostolus autem loquitur non de tertia, sed de prima, ut liquet ex contextu quem subdit. Ait igitur:

V. 29. *Nemo enim unquam suam ipsius carnem odio habuit, sed nutrit & fovet eam, sicut etiam Dominus Ecclesiam*, subintellige, tanquam carnem suam ἐκτρέφ-ει καὶ θάλπει.

Hac

Hac ultima particula, Καθὼς καὶ ὁ Κύριος τὴν ἐκκλησίαν, docet Apostolus se non loqui nisi de illa φιλαυτίᾳ, quae etiam fuit & est in Domino Jesu.

Hoc porro versu tria facit, 1. non tam confirmat superius argumentum, ut modo declaratum est, quam ceu novum affert, à communi omnium hominum affectu deductum. 2. docet, quibusnam potissimum in rebus consistat ista dilectio naturalis qua & quisque seipsum, & quivis maritus uxorem suam diligere debet. 3. Confirmat totum hoc exemplo Christi.

Ad *primum* quod attinet, argumentum hoc est: Nemo (*sanae mentis homo*) carnem suam odit, sed ἐκτρέφει καὶ θάλπει αὐτὴν. Atqui uxor est propria viri caro. Hoc antè dixit & probat v. 31 ex Genesi. Ergo nemo debet uxorem suam odisse, sed enutrire & fovere eam. Hoc est argumentum, & idem ferè cum superiori.

Ad *secundum*. Docet amorem hunc consistere non in verbis tantùm & blanditiis, sed in suppeditatione rerum necessariarum. Omnia autem vitae nostrae necessaria ad duo referantur capita, ad alimenta, quibus alamur & nutriamur: & ad vestimenta aliaque iis similia, quibus tegamur, a frigore defendamur & calefiamus. Primum exprimit verbo ἐκτρέφειν: alterum verbo θάλπειν: sed sub his continetur habitatio, lectus & his similia, quae ad conservationem caloris & vitae pertinent. Sed etiam Apostolus 1. Tim. 6. omnia necessaria ad hanc vitam duobus nominibus complexus est, dicendo, Habentes igitur alimenta (διατροφὰς) & quibus tegamur, iis contenti simus. Cibo nutriuntur corpora nostra, vestimentis adversus frigora defenduntur, & nos ad honestè inter homines conversandum ornamur. Est tamen Synecdoche, quia iis continentur alia quoque, quae ad idem pertinent. Atque haec de iis, quibus ad vitam hanc praesentem opus est.

Sed si haec propter hanc vitam debet vir suppeditare uxori: multo magis quae ad vitam animae necessaria sunt. Et hoc tacitè indicavit Apostolus exemplo Christi, cùm subdidit, *Sicut & Dominus Ecclesiam*, nempe tanquam carnem suam ἐκτρέφει καὶ θάλπει. Christus enim non tam quoad corpus, quàm quoad Animam & ad vitam spiritualem, Ecclesiam, *id est*, nos ἐκτρέφει καὶ θάλπει. Et quare hoc facit Christus? Quia nos agnoscit pro vera carne sua & pro ossibus suis, sicut subjicit v. 30. Quibus de rebus postea.

Tertium igitur quod habemus in hoc v. 29. est exemplum Christi: καθὼς καὶ ὁ Κύριος τὴν ἐκκλησίαν, *scilicet*, nutrit et fovet nempe ut carnem suam. Redit ad exemplum Christi, quia vult ut Christum semper habeamus prae oculis tanquam perfectissimum exemplar veri Mariti. Ita duo concludit hoc exemplo, & diligendam esse uxorem, & quali amore sit diligenda.

Caeterùm ex hoc contextu discant uxores, se non habere quod conquerantur de dilectione Maritorum, si non illis suppeditentur quaecunque cupiunt: ut si non permittantur ire ad choreas, si non vestiantur holoserico, si non catenis aureis ornentur, denique in otio deliciisve vivere sinantur. Verus amor Mariti in his consistit, ad vitam praesentem quod attinet, quae Apostolus scribit: in alimentis, *scilicet*, & in iis, quibus honestè vestiamur, & adversus frigora defendamur: nempe ut non minus uxorem suam vir nutriat & foveat, quam seipsum. Haec est summa. Pertinet huc exemplum Uriae, qui fuit Maritus

Berse-

Bersebae, vir pius & sanctus. Legimus 2. Sam 12. quod Berseba de pane Mariti sui comederit & de poculo illius biberit & in sinu illius dormierit. Non habent igitur cur expostulent uxores, quod non diligantur à viris suis, si non minus lautè tractentur quàm ipsi viri. Imò viri non amant aut se aut uxores suas, si plus quam postulat pietas Christiana indulgeant voluptatibus, deliciis, pompis. Hoc enim est non fovere & nutrire, sed perdere carnem suam. Sequitur

V. 31. Hujus rei gratia relinquet homo patrem suum & adglutinabitur uxori suae, προσκολληθήσεται πρὸς τὴν γυναῖκα αὐτοῦ: *& qui duo erant, erunt in unam carnem.*

Hîc quidem continetur & explicatio superiorum, quo modo vir & uxor sint una caro, & mandatum simul de diligenda uxore, quia debet illi adglutinari, non tam carne, quàm spiritu, amore, corde. Verum, quia haec citantur ab Apostolo propter id quod dixerat *vers.* 30. Nos esse ossa ex ossibus & carnem de carne Christi: ideò horum verborum explicationem reservo ad tertium caput hujus contextus, quod est de conjugio Christi cum Ecclesia. Tantùm hîc notemus postremum argumentum Apostoli, quod initio tetigerat, dicendo: *Viri diligite uxores vestras, sicut & Christus Ecclesiam*, sed hîc absolvit, dicendo: *Mysterium hoc magnum est, &c.*

Summa verò haec est: sicut in connubio Adae & Evae voluit tanquam in speculo representari futurum connubium Christi cum Ecclesia: sic etiam in amore Christi erga Ecclesiam voluit illucescere dilectionem, qua debent viri diligere uxores suas. In exemplo item subjectionis, qua Ecclesia subjecta est Christo, vult mulieres discere, quomodo debeant esse suis maritis subjectae. Utrumque ergo concludit, nempe & officium uxoris erga virum & viri erga uxorem, dicendo:

V. 32. Πλὴν καὶ ὑμεῖς οἱ καθ' ἕνα ἕκαστος τὴν ἑαυτοῦ γυναῖκα οὕτως ἀγαπάτω ὡς ἑαυτὸν, ἡ δὲ γυνὴ ἵνα φοβῆται τὸν ἄνδρα, id est, *Veruntamen & vos singulatim quisque suam ipsius uxorem ita diligat ut seipsum: Uxor autem* (curet) *ut timeat virum.*

Illud πλὴν hunc habet sensum: verumtamen omisso hoc mysterio conjugii spiritualis & vos vestras diligite, singulatim quisque suam ut seipsum.

Illud καὶ ὑμεῖς hunc habet sensum: Quemadmodum Christus suam dilexit Ecclesiam, sic καὶ ὑμεῖς diligite suam quisque uxorem.

Alii καθ' ἕνα, quasi dicat, *ad unum omnes, qui habent uxores, quisque suam diligat: nemo excipitur, neque Reges neque Principes: omnes diligere debent suas uxores, sive hae formosae sint sive deformes, sive morigerae sive immorigerae, sive divites sive pauperes.*

Illud ὡς καὶ ἑαυτὸν duplicem habere potest sensum. *Primus* est, sicut seipsum, *id est*, non minus quam seipsum. Quo sensu etiam jubetur quisque amare proximum suum sicut seipsum, *id est*, non minore amore quam seipsum. *Alter*

 sensus

sensus ὡς ἑαυτὸν, *id est*, tanquam seipsum, *quia illa est alter Ego, est caro viri, est una eademque cum viro persona.* Et hic sensus magis congruit cum superioribus rationibus.

Ad officium igitur viri quod attinet, haec est conclusio, ut sicut Christus dilexit Ecclesiam, sic suam quisque nemine excepto uxorem diligat, amore nimirum simili amori, quo Christus suam diligit Ecclesiam, sincero, casto, puro, ad ejus salutem tum animae tum corporis spectante, non autem ad ejus exitium faciente: diligat, *inquam,* ὡς ἑαυτὸν agnoscens eam esse suam carnem, imo seipsum, *quia duo sunt una caro, unus homo.* Omnia igitur officia mariti ad dilectionem rediguntur.

Ad uxoris autem officia erga maritum quod attinet, omnia ad fontem timoris, nempe non servilis sed liberalis & ex amore & reverentia proficiscentis, revocat Apostolus, dicendo ἡ δε γυνὴ *(curet)* ἵνα φοβῆται τὸν ἄνδρα: haec est explicatio illius subjectionis de qua initio. Subjectio igitur ipsa consistit in hoc, ut mulier tanquam inferior virum tanquam caput revereatur, observet, caveat ne offendat, sed mandata laeto animo praestet.

In epistola ad Titum c. 2. ait de uxoribus, *ut diligant maritos suos.* Ergo timor, de quo hîc loquitur, & subjectio ex amore erga maritum proficisci debet. Chrysost. *Qualis est iste timor? ut non contradicat* (inquit) *ut non insurgat adversus maritum, nec superiorem dignitatem appetat.* Exemplum hujus reverentiae & subjectionis uxoriae erga maritum habemus in Luna erga Solem. Cum abest Sol, illa dominatur in Coelo & supra omnes stellas splendet: cum adest Sol, cedit, contrahit lumen, illum reveretur, ab eo pendet.

Atque haec de primo & altero capite hujus contextus, *id est*, de officio uxoris erga maritum & mariti erga uxorem. Nunc ad tertium. Simpliciter verba Apostoli de dilectione Christi ejusque beneficiis erga Ecclesiam, quae est ejus sponsa, interpretabor.

V. 25. *Christus dilexit Ecclesiam & tradidit semetipsum pro ea.*

Finis & usus, propter quem Apostolus exemplum Christi suam diligentis Ecclesiam attulerit, explicatus à nobis fuit, nempe, ut inde viri duo discant: *unum*, diligendas sibi esse uxores suas, quia Christus quoque suam dilexit Ecclesiam: *alterum*, simili dilectione eas esse diligendas, qua et Christus suam dilexit Ecclesiam. Nunc igitur exemplum ipsum nobis juxta verba Apostoli examinandum est. Hoc enim ad omnes nos, tam inconjugatos quam conjugatos, pertinet: quia omnes Electi fideles sunt haec Ecclesia, quam Christus dilexit. Ecclesiam autem esse sponsam Christi evincit praesens locus. Diligite *(inquit)* ô viri, uxores vestras, sicut & Christus dilexit suam *(scilicet uxorem, sed dixit)* Ecclesiam, ut ostenderet quaenam esset uxor & sponsa Christi, Ecclesia nimirum.

Quatuor in hoc versu 25. habemus. 1. Personam, *id est*, virum diligentem. Hic est Christus. 2. Personam, *id est*, sponsam dilectam. Haec est Ecclesia. 3. Dilectionem ipsam, qua dilexit. 4. *Primum* Officium dilectionis, quia tradidit semetipsum pro ea.

1. *Ad primum* quod attinet, nomine Christi intelligimus personam filii Dei,

Dei, qui semper ante omnem aeternitatem fuit & est verus Deus, in tempore verè factus est homo. Et quatenus filius Patris aeternus verusque cum illo Deus destinatus fuit ab aeterno, ut esset sponsus Ecclesiae: sed postquam factus est homo, sumpta nostra carne ex Maria, & in ea communicato nobis suo Spiritu, confectum fuit re ipsa matrimonium, quod etiam durat in perpetuum: cum singulis verò hominibus Electis conficitur, cum reipsa unitur singulis per suum Spiritum, nosque sibi per fidem adglutinat.

2. *Sponsa est Ecclesia.* Hoc nomine intelligimus Electos omnes, qui & ipsi in praedestinatione quidem fuerint sponsa Christi, sed re ipsa tunc fiunt sponsa, cùm ei incorporantur vi Spiritus Christi. Hoc enim Spiritu fit ut Christo insiti semper maneant subjecti Christo. Dicitur autem una sponsa, quia omnes Electi tanquam unum corpus considerantur in Christo.

3. Nomine *dilectionis* ipsa etiam aeterna dilectio intelligitur, sicut ad *Rom.* 9. de Jacobo: Jacob dilexi, Esau odio habui. Christus igitur qua Deus hanc sibi desponsatam amavit ab aeterno. *Jer.* 31. In dilectione perpetua dilexi te. Sed qua homo accessit alia etiam dilectio, qua in tempore nos amavit. Duplici ergo dilectione amat suam Ecclesiam, divina & humana, utraque sincerissima, maxima, perfectissima, constanti atque perpetua.

4. Et tradidit semetipsum pro ea. Hic est primus effectus hujus dilectionis ad solam Electorum Ecclesiam re ipsa pertinens. Idem supra in capitis hujus quinti initio dixerat, Ambulate in dilectione, sicut & Christus dilexit nos, & tradidit semetipsum pro nobis, *Hîc ait*, viri diligite uxores vestras, sicut & Christus dilexit Ecclesiam & tradidit semetipsum pro ea. Nos igitur sumus ea Ecclesia, nos, *inquam,* qui electi credimus in Christum. Per fidem enim jungimur Christo, & fimus re ipsa ejus sponsa. *Hos.* 2. Desponsavi te mihi in fide.

At nondum nos eramus cùm tradidit seipsum, quomodo igitur tradidit seipsum pro nobis? Respondeo. Annon oravit pro omnibus, qui credituri erant in eum? *Johan.* 17. Sic etiam pro eis, qui futuri erant per fidem ejus sponsa, seipsum tradidit. Una enim, *duntaxat*, sponsa respectu totius corporis omnes sumus: singuli verò membra sumus hujus sponsae.

1. Observanda verò locutio Apostoli: ita loquitur de sponsa Ecclesia, ut velit omnes & singulos sibi persuadere, se esse illam sponsam, vel (ut melius loquar) membra ejus sponsae, quam Christus dilexit, & pro qua seipsum tradidit. Sic *Gal.* 1. Christus dilexit me, & tradidit semetipsum pro me. Vera autem Ecclesia, pro qua tradidit semetipsum, ex Electis tantum constat: Ergo vult Apostolus, ut quisque credat se esse ex numero Electorum.

2. Eundem ordinem legimus de Patre, *Johan.* 3. Sic Deus dilexit mundum, ut filium suum unigenitum dederit, *scilicet*, in mortem. Fons igitur totius salutis est dilectio Dei Patris, Filii & Spiritus Sancti aeterna: cui accessit postea dilectio Filii, qua homo est, in tempore initium habens, sed nunquam finem habitura. Primus effectus hujus dilectionis, ad solos Electos pertinens, est redemptio per sanguinem Christi. Hoc beneficium redemptionis in quibusnam rebus consistat fuse declaratum fuit in primo capite, *vers.* 7. In quo habemus redemptionem per sanguinem ipsius, remissionem peccatorum.

Se-

Sequuntur nunc alia effecta ordine, vers. 26. & 27. prout etiam communicantur & dispensantur. Ait ergo,

V. 26. *Ut eam sanctificaret, mundans* (καθαρίσας), Erasm. *mundatam*, Beza, *postquam eam purgasset lavacro aquae in verbo.*

Syr. *Ut eam sanctificaret & purgaret eam lavacro aquarum & verbo.*

Sanctificare hîc significat è statu profano impuro & perditionis aliquid seligere, factumque re ipsa sanctum Deo consecrare. Sic Christus Ecclesiam sanctificavit atque sanctificat sibi & Patri.

Illud καθαρίσας, licet sit praeteriti temporis, non significat tamen Christum prius Ecclesiam purgare ac mundare, deinde sanctificare: sed modum potius exprimit, quo Christus Ecclesiam singulosque fideles sanctificat, mundando, *scilicet*, eos quotidie à peccatis vi sanguinis sui, perque Spiritum suum eos in dies magis ac magis regenerando sanctioresque efficiendo. Proinde sunt semper haec duo conjungenda, sanctificatio & mundatio. Hoc ideo moneo, ne quis propter participium praeteriti temporis, καθαρίσας, putet praecedere purgationem seu mundationem, deinde sequi sanctificationem: quanquam interpretes vertunt, ut eam sanctificaret mundatam, vel postquam mundasset. Haec de vocibus: nunc ad res ipsas.

Hîc igitur post explicatam redemtionem, quae facta fuit in cruce, cum Christus dedit se in mortem pro nobis, finalem hujus redemtionis semel factae per nomen Christi causam explicat Apostolus: *ac priori quidem loco*, secundum effectum dilectionis Christi, quem quotidie praestat & efficit in suis Electis jam semel redemtis, uno verbo indicat: haec autem est sanctificatio: quo nomine complectitur Apostolus justificationem & regenerationem, eoque realem cum Christo incorporationem, quaé quotidie coalescit & perficitur.

Secundo loco docet modum, quo hanc perficiat sanctificationem, nempe mundando nos à peccatis, id quod fit *primo* remissione peccatorum, in qua propriè consistit justificatio, & *deinde* fit repurgatione à sordibus peccatorum, mortificatione pravorum affectuum, & quotidiana cordis purificatione ac regeneratione.

Tertio loco monstrat instrumenta, quibus Christus ad hanc mundationem, eoque ad sanctificationem perficiendam uti solet: nimirum verbo & Sacramentis ex parte ipsius agentis, mundantis & sanctificantis. Ideò ait *lavacro aquae in verbo:* sed ex parte accipientis, si adultus sit, requiritur fides, qua ceu manu recipiamus, quod per verbum & sacramenta offertur à Christo: quanquam haec etiam ab eodem Christo donatur ad verbi praedicationem. *Roman.* 10. Sed haec fides ideo hoc in loco non exprimitur, quia de Baptismo, quo etiam parvuli licet actuali fide destituti in corpus Ecclesiae inseruntur, verba facit Apostolus dicendo: *Mundans eam lavacro aquae.*

Ad primum quod attinet & ad secundum, *id est,* ad sanctificationem & ad modum sanctificationis, nihil iis, quae jam dixi, addo. Tantum moneo, ut ad clariorem hujus loci intelligentiam examinetur locus Ezech. c. 16. ubi mundationem hanc, quam hîc tanquam factam narrat Apostolus, eleganter describit

scribit Propheta. Ait enim Dominus, *se lavisse Hierosolymam aqua, purgasse, mundasse, unxisse oleo, & ita etiam sibi copulasse in matrimonium.* Constat igitur quid sit sanctificatio & mundatio. Sed de tertio, *hoc est*, de mediis aliquid amplius dicendum est.

Apostolus igitur dicendo, *Christus dilexit Ecclesiam & tradidit semetipsum pro illa, ut eam sanctificaret, mundans &c.* inprimis significat & docet nostri mundationem effectum esse dilectionis, non autem causam. Dilexit enim antequam mundi essemus, & dilexit ut mundaret.

2. Postquam dixisset, *Tradidit semetipsum* (scilicet in mortem) *ut sanctificaret*, adjecit, mundans eam. Intellexit igitur Christum nos mundasse & lavisse, mundare & lavare suo sanguine: & sic aliae scripturae docent. *Apoc.* 1. Lavit nos in sanguine suo. *Item Joh.* 1. Sanguis ejus emundat nos ab omni peccato.

3. Ait *Mundans lavacro Aquae.* Significat Baptismum. Baptismus autem tribus rebus constat, elemento Aquae, qua ablavantur corpora: verbo, quo exprimitur ablutio Animae, quae fit per sanguinem Christi: & ipsa interna per sanguinem Christi ablutio, quae constat remissione peccatorum & regeneratione: atque haec est substantia Baptismi, cujus vis pendet à verbo promissionis, obsignatur verò externa aquae ablutione.

Primum expressit, dicendo *lavacro aquae.* Secundum dicendo *in verbo.* Tertium vero partim voce καθαρίσας. Ait enim Christum mundare nos: Christus autem non mundat totum corpus, sed in primis conscientiam & animam, partim analogia, quam vult considerari inter signum & rem signatam. Haec autem est analogia, quòd sicut aqua abluuntur sordes corporis, sic sanguine Christi purgantur conscientiae à peccatis, & nos renovamur & regeneramur per Spiritum Christi, nomine Aquae saepe in Sanctis Literis significatum. Quòd enim hîc ait, Mundans lavacro Aquae, ad *Titum* 3 ait, Servavit nos per lavacrum regenerationis & renovationem Spiritus Sancti. Analogiam hanc observari voluit Apostolus, cum dixit: Mundans eam lavacro aquae, &c. Substantia igitur Baptismi, quo Christo incorporamur, consistit in ablutione à peccatis, seu in remissione peccatorum & in regeneratione. Medium immediatum & per se efficax ex parte purificantis est sanguis ipsius Christi per aquam significatus. Externa media sunt verba & Aqua per ministrum Christi administrata : medium autem efficax ex parte ejus qui mundatur est fides, ut in adulto, vel saltem Spiritus fidei, ut in pueris. Spiritus enim ipse applicat sanguinem Christi infantibus.

Hinc intelligimus quomodo omnes istae locutiones, de quibus multi altercantur, verissimae sint & nulla sit in eis pugnantia: *Christus mundat nos à peccatis*, nempe tanquam causa princeps efficiens: Item illa, *Sanguis Christi mundat nos ab omni peccato*, quia is est, quo mundatio & salus impetrata est in cruce, & quo conscientiae nostrae per Spiritum Sanctum aspersae à peccatis mundantur. Item illa, *fide purificans corda eorum:* quia haec est instrumentum, quo purgationem accipimus. Item illa, *Mundi estis propter sermonem meum;* & haec, *Mundans eam in verbo,* quia medium est externum, quo salus offertur. Item illa: *Mundans lavacro Aquae*, & in Actis, *cap.* 22. *Surge, baptizare & ablue peccata tua,* quia Baptismus Aquae aliud medium est externum, quo purgatio interna repraesentatur & obsignatur, atque adeò etiam

of-

offertur & exhibetur. Item illa: *Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata &c.*, quia ii sunt ministri, per quos remittit Christus peccata & mundat nos. Omnes sunt verae & optimè consentientes inter se locutiones, sed si diversis respectibus intelligantur, & suum quaeque sensum accipiat, non autem in diversum torqueatur.

Interim hîc illud quoque retinendum est, Christum esse illum, qui propriè tanquam vera & efficiens causa haec omnia agit, quae ad mundationem hanc requiruntur. *Is enim* (ut ait Apostolus) *dilexit, is sanctificat, is mundat, is per ministros baptizat lavacro aquae, & per Ministros eosdem utitur verbo, is per Spiritum suum lavat nos suo sanguine, eo aspergens conscientias nostras: is donat fidem & fide purificat corda nostra.* Christus in summa omnia agit usque ad glorificationem. Ideo subdit:

V. 27. Ut adhiberet (vel ut sisteret eam sibi ipsi ἵνα παραστήσῃ) *gloriosam, Ecclesiam non habentem maculam aut rugam aut quicquam hujusmodi: sed ut esset sancta & inculpata.*

Fortassis melius sic, *ut sistat sibi:* Item, *sed ut sit sancta.* Quotidie enim hoc fit & perficitur in finem usque seculi.

Hîc alium explicat redemtionis finem, eóque alia effecta dilectionis Christi erga Ecclesiam: finem, *inquam*, explicat, cur Christus Ecclesiam suam quotidie sanctificet, *mundans eam lavacro aquae in verbo,* nempe ut tandem aliquando eam sibi sistat totam gloriosam: Ecclesiam, *inquam*, totam sine macula aut ruga ulla, sed ut tota sit sancta & inculpata. Id quod reipsa tandem futurum est post finem hujus seculi. Etsi etiam Ecclesia in hoc mundo considerata in Christo talis est propter imputationem justitiae & sanctitatis ipsius Christi: propriè tamen hôc implebitur post hanc vitam. Et sic interpretatur Augustinus Tom. 1. Retract. lib. 1. c. 7 & 19.

Hoc etiam docet verbum ἵνα παραστήσῃ sistat sibi ipsi, ut, *scilicet*, semper sit ei in conspectu praesens persona, *scilicet*, Ecclesiae, *id est*, omnes simul Electi coram ipsa etiam humana Christi natura in Coelo. Et huc illud, Rapiemur in nubibus obviam Christo in aëra & sic semper coram Domino erimus. 1. Thess. 4. Item alibi ait, Nunc nos peregrinari à Domino, sed tum praesentes nos futuros ad Dominum. 2. *Corinth.* 5. Tunc igitur sistemur sponso nostro & illi plena praesentia jungemur. Interim nos mundat suo sanguine, verbo, lavacro aquae, Spiritu suo: & saponia etiam, *id est*, crucis acrimonia, sordes nostras abstergit. Nam dum vivimus in hac carne & in hoc mundo, Ecclesia semper habet quod purgatione egeat & ablutione. *Primum* enim nemo est qui non peccet. 1. *Joh.* 1. Si dixerimus, quod peccatum non habeamus, mentimur &c. Huc illud, Remitte nobis debita. Et *Psal.* 32. Pro hac (venia peccatorum) orabit ad te omnis sanctus. *Deinde* semper versamur inter impios & hypocritas, quorum vitiis tota Ecclesia inficitur & maculatur: ut de Corinthiaca liquet ex Epistolis Pauli ad eam. Ergo semper necessaria est haec purgatio, quia Christus sanctificat Ecclesiam verbo, sacramentis, disciplina, Spiritu suo, donec tandem sistamur illi gloriosi nullam habentes maculam.

Σπῖλος macula est, quae vestimento inhaerens illud deturpat. Ruga in corpore senilem aetatem demonstat. Significat ergo nullum planè peccatum vel minimum futurum in corpore Ecclesiae, nullumque veteris Adami vestigium, sed futuram eam totam gloriosam. Quaenam verò haec gloria Ecclesiae? Gloria Dei & Christi, quia erit circumdata gloria lucis aeternae, 1. *Joh.* 1. *Deus lux est & tenebrae in eo non sunt ullae.* Haec est perfectissima cognitio, perfectissima sanctitas atque puritas & ipsa corporis immortalitas, coelestis splendor. De illa 1. Joh. 3. *Jam sumus filii Dei: nondum autem apparet quid erimus: scimus quod, cum apparuerit Christus, similes ei erimus, quia videbimus eum sicuti est.* Ecce gloriam cognitionis & perfectionis: Item, *fulgabunt justi sicut Sol in conspectu Dei.* Item 2. Cor. 3. *Transfiguramur à gloria in gloriam.* Haec est perfectissima renovatio. Item Coloss. 3. *Cum Christus apparuerit vita vestra, tunc & vos apparebitis cum ipso in gloria.* De gloria corporum & immortalitatis 1. Cor. 5. *Seminatur corpus in ignominia, resurget in gloria.* Item, *Suscitabit & corpora nostra, conformiaque reddet corpori suo glorioso.* Haec est gloria de qua loquitur Apostolus, quam etiam ex parte explicat, dicendo: *Nullam habentem maculam aut rugam aut aliquid hujusmodi* (quod, *scilicet,* deformet hominem) *sed ut sit sancta & inculpabilis,* id est, ut ea & talis sit, in qua nihil possit reprehendi aut desiderari. Ad gloriam igitur hanc promovendam omnia, quae hîc egit Christus, & omnia, quae etiam nunc agit in Coelo & in terra, pertinent. Subdit:

V. 29. Nemo unquam carnem suam odio habuit, sed nutrit & fovet eam sicut & Dominus Ecclesiam.

Dicendo, *sicut & Dominus Ecclesiam*, concludit de Christo, quod suam Ecclesiam odisse non possit, sed quod nutriat & foveat eam. Ratio, quia nos (*id est, Ecclesia*) sumus os ex ossibus ejus, ut mox sequitur vers. 30 & 31.

Syr. loco verbi θάλπειν, quod est fovere, legit: *& curat quae sunt ejus.*

Explicatio haec mihi placet. Significat igitur à Christo Ecclesiam, *id est,* nos omnes ita nutriri & foveri, ut quaecunque nobis sunt necessaria ad salutem, tum corporis tum maximè animi, abundè prospiciat. Nutrit corpora pane, vino & aliis esculentis & poculentis, vestit eadem & omnia eis necessaria suppeditat. Nutrit item animas carne & sanguine suo, per verbum & sacramentum Coenae communicatis, tuetur eas adversus hostes, ornat suis donis, nullaque re necessaria deserit. Haec sunt perspicua: nos, *scilicet*, omnes & totos à Christo sponso nostro nutriri atque foveri. Quamobrem verò hoc facit? Causam reddit Apostolus:

V. 30. Quoniam & membra sumus corporis ejusdem, ex carne ejus & ex ossibus ejus.

Argumentum tale est. Nemo odit carnem suam sed eam nutrit & fovet. Atqui nos sumus caro Christi. *Sumus enim os ex ossibus ejus & caro de carne ejus.* Ergo Christus non potest odisse nos, sed nutrit & fovet.

Major

Major omnibus est nota. Conclusio etiam perspicua est fidelibus, tum è Sacris Literis tum ab experientia. Minorem tantum probat Gen. 2. à conjugio Adae & Evae, ejusque de omni conjugio promulgatione. Ideo subdit:

V. 31. *Hujus rei causa relinquet homo patrem & matrem & adglutinabitur uxori suae, & qui duo erant fient una caro.*

Prosyllogismus, quo Minorem probat, talis est: Quaecunque est uxor alicujus, haec est viri sui caro, sicut & vir caro est uxoris. Sic enim Adam nomine Dei promulgavit: *Erunt duo in unam carnem.* Atqui nos sumus uxor & sponsa Christi. Ergò nos sumus caro ejus. Quod cum ita sit, Christus non potest nos odisse, sed nutrit & fovet fovebitque semper. Quare cum etiam uxores vestrae, ô Ephesii, sint caro vestra, debetis illas diligere, fovere, nutrire, &c. Quia verò quod citarat ex Genesi, videbatur nihil pertinere ad Christum cum Ecclesia, quia Adamus ea verba videtur dixisse de connubio carnali inter homines, ideo subjecit statim:

V. 32. *Mysterium hoc magnum est. Ego verò dico de Christo & de Ecclesia.*

Quasi dicat, Quod Eva fuerit ex Adamo educta eique in uxorem data, ac proinde quod fuerit os ex ossibus Adae & caro de carne ejus: Quod item Adam dixerit, *Homo relinquet patrem & matrem &c.* considerari haec possunt bifariam. *Primum*, quatenus sunt res gestae & ad connubium carnale pertinent. Hoc modo non voco has res mysterium. *Secundo* possunt considerari, quatenus illud connubium Adae & Evae fuit typus connubii Christi cum Ecclesia. Hac ratione mysterium magnum. Ego verò loquor de Christo & de Ecclesia, inquit Apostolus. Haec est summa.

Mysterium vox Graeca est, ut omnibus liquet, à verbo μύω, quod est abscondo, occulto: significat rem occultam & secretam. Quidam volunt ab Hebraeo deduci a *athar*, quod est celare, latere, abscondere. Unde *Masther* & *Masthir*, absconditum, absconsio. Significat rem per se arcanam non simpliciter sed religiosam, quae ab humana ratione abscondita est & non potest percipi sine relatione divina & Spiritus Sancti lumine. Ita religio Christiana est mysterium. Unde 1 Tim. 3. *Magnum est pietatis mysterium.* Sic coena Domini est mysterium. Graeci Patres sic definiunt mysterium, quòd sit res vel actio visibilis ad rem invisibilem atque absconditam contemplandam & percipiendam nos deducens. Sic autem etiam sacramentum definitur à nostris, quod sit visibile signum invisibilis rei seu gratiae. Talis autem res fuit eductio Evae ex latere Adae dormientis. Item conjunctio Evae cum Adamo in matrimonium. Res in se fuit visibilis & sub sensum cadens, sed aliam occultam repraesentabat eductionem & creationem Ecclesiae ex latere Christi in cruce mortui, & unionem Ecclesiae cum Christo. Ideo spectata re ipsa non ita malè vertit vetus interpres Sacramentum: quamquam ea voce postea abusi Pontificii statuerunt Matrimonium inter sacramenta. Ideo satius fuisset retinere vocem mysterii: praesertim cùm sit usitata Latinis autoribus. Quid autem

magis

magis refellit inscitiam istorum hominum, quam Apostolus ipse, qui expresse ait, se non loqui de matrimonio inter virum & foeminam, cum dixit esse mysterium sive sacramentum magnum, sed de Christo & de Ecclesia, id est, de conjugio spirituali inter Christum & Ecclesiam? Sed de hac re doctrinisque aliis ex hoc loco postea Satis est in praesentia percurrere verba Apostoli & verum sensum indicare.

In versu igitur 30 illa verba, *Quoniam sumus & membra corporis ejusdem, ex carne ejus & ex ossibus ejus*, quidam sic interpretantur, non quod non simus caro de carne Christi & ossa ex ossibus ejus: sed quod ita simus membra (*spirituali modo*) corporis ejus, perinde ac si essemus caro de carne ejus. Sed hanc refellit Apostolus, dicendo, *Mysterium hoc esse magnum*. Vult igitur nos esse carnem è carne Christi & ossa ex ossibus Christi, sicut etiam verè Eva fuit ex ossibus Adae: sed diverso modo, quia illa carnali nos autem spirituali modo, id quod vocat mysterium. Quasi dicat, Sumus vera caro de carne Christi sed in mysterio: sicut & vera carne Christi vescimur in coena, sed in mysterio, id est, non carnaliter sed spiritualiter. Quis autem sit iste modus spiritualis, quo sumus caro ex carne Christi, post explicabimus. Nunc tantum retineamus hoc, nos esse veram carnem ex carne Christi non propter naturalem generationem. Per illam enim sumus ex carne & ossibus Adami primi; imò secundum illam Christus ipse potius ex carne nostra est, ut Scriptura dicit, *ex quibus est Christus secundum carnem:* Item, *ex semine David*. Sed quatenus per carnem & sanguinem Christi nobis communicatam *liberamur à peccatis, inserimur Christo & regeneramur, facti novae creaturae, eatenus nos sumus caro de carne ejus & ossa de ossibus ejus*. Et hoc est, quod supra cap. 2. & alibi dixit, *nos esse conditos in Christo:* Item, *esse novas creaturas in Christo*. Atque hinc apparet dignitas carnis renatorum hominum: *Est caro nova de carne Christi sumta*. Sed de hac re aliàs.

In vers. 31. illud ἀντὶ τούτου, *pro hoc*, seu *hujus rei causa derelinquet &c.* alludit ad illud Gen. 2. Postquam Adamus duxisset Evam ex ossibus ejus creatam, & dixisset, *Hoc os ex ossibus meis*, subjecit: *propter hoc relinquet homo patrem*. Paulus verò hoc accommodans ad Christum, dixit: *Hujus rei causa* &c. Quod verò citans verba Mosis dicat, *Et erunt hi duo in unam carnem*, cum illa particula οἱ δύο, non sit in Hebraeo: hac in parte secutus est 70 interpretes, sicut & Christus Matt. 19.

Quomodo autem vir & uxor fiunt una caro? quidam intelligunt fieri unam carnem & ceu unum hominem nexu amoris. Sed non placet. Quid enim si non se mutuo ament? An non tamen erunt una caro? contrà si masculus diligat foemellam, quae non sit ejus uxor neque rem cum ea habeat: num propterea erunt una caro? Nequaquam. Contrà verò propter carnalem concubitum etiam cum Scorto Scortator fit una caro cum Scorto, sed illegitime, sicut Apostolus docet priori ad Corinth.

Alii itaque volunt fieri carnem unam propter copulam carnalem. Sed quid dices de Josepho & Maria? Erant certè una caro, nec tamen ibi fuit copula carnis. Alii propter generationem liberorum. Sed quid de illis qui non gignunt? Intelligo igitur fieri unam carnem vinculo conjugii, quia vir potestatem habet in corpus uxoris, & uxor vicissim in corpus viri sui. 1. Corinth. 7. De qua re plura infra in loco de conjugio Christi cum Ecclesia. Loci

LOCI THEOLOGICI EX EPISTOLAE AD EPHESIOS

Cap. V

LOCUS I.

DE SACRIFICIO CHRISTI.

De sacrificio Christi 6 haec capita tradit Apostolus hoc loco.

1. Pontificem seu sacerdotem, qui hoc obtulit sacrificium, fuisse & esse solum Jesum Christum. *Christus*, inquit, *dilexit nos & tradidit semetipsum hostiam:* docens iis verbis nunquam fuisse aut esse posse alium, qui idoneus sit sacerdos ad tale sacrificium, quo peccata expiantur, offerendum, praeter Jesum Christum: ac proinde hunc unicum esse Novi Testamenti Mediatorem ac Pontificem.

2. Quid obtulerit in sacrificium: non animalia ullamve aliam puram creaturam à se diversam, sed seipsum, quòd hoc solo sacrificio expiari possent peccata. Quare cùm idem Christus fuerit & sacerdos & hostia, docuit neque ullum aliud reperiri posse sacrificium expiandis peccatis idoneum: neque hoc ἱλαστικὸν ab ullo alio offerri posse.

3. Cui obtulerit, Deo: ita docens soli Deo offerri posse sacrificia: ac proinde quae vero Deo non offeruntur, ea non placere Deo. Talia autem sunt sacrificia haereticorum negantium Christum.

4. Pro quibus obtulerit: Pro nobis, electis, scilicet, sed peccatoribus. Efficaciter enim pro Electorum tantum salute oblatum esse hoc sacrificium: quanquam ad totius mundi redemptionem sufficientissimum sit.

5. Quale fuerit hoc sacrificium: tale, in quo sacrificia omnia Veteris Testamenti habuerunt complementum: quia fuit & oblatio & hostia: ac quatenus hostia & sacrificium ἱλαστικὸν cruentum fuisse, docens non nisi cruento hoc sacrificio expiari posse peccata. *Tradidit se oblationem & hostiam.*

6. Denique quae & quanta fuerit & sit hujus sacrificii vis: talis ac tanta, ut expiata sint peccata omnium electorum, & Deus placatus, apertaque via sit omnibus in sanctum sanctorum, id est, Coelum, aeterna redemtione inventa: ac proinde ad remissionem peccatorum nullo alio opus esse sacrificio.

Haec, inquam, omnia capita tradit hîc Apostolus. Sed omissis, quae non controvertuntur, duo tantùm paucis explicabo.

Primum igitur caput fuerit *de sacrificio ipso:* Alterum de *Pontifice & offerente sacrificium.*

Ad *primum* quod attinet, quaedam prius breviter praemittenda sunt de sacrificiis in genere, & *deinde* θέσις certa de hoc praesenti sacrificio statuenda.

Quod sit discrimen inter sacrificium & sacramentum omnibus notum est: nempe sacramento nos accipere à Deo, sacrificio autem nos Deo offerre. Quo discri-

discrimine retento liquet quantus sit error dicere nos in Coena offerre Deo corpus Christi, cum ibi illius participes nos fiamus à Deo. Sacrificium igitur sic definitur: *Sacrificium est sacra actio, à Deo instituta, qua ei voluntariè juxta ejus verbum nostra offerimus, tum ad ipsius gloriam, tum ut ei arctiùs sancta societate adglutinemur ac constringamur.*

Singulas partes definitionis non explico, quia non est opus. Certè singulae perspicuae sunt in sacrificio Christi pro nobis oblato.

1. Est actio sacra Joh. 17. *Ego meipsum sanctifico.*

2. Instituta a Deo à condito orbe. Heb. 10. Sacrificium & oblationem noluisti, corpus autem aptasti mihi.

Distinguuntur sacrificia in ἱλαστικὰ, εὐχαριστικά: εὐχαριστικὰ sunt, quibus Deo pro beneficiis acceptis gratiam animo habemus, verbis agimus, ejusque nomen celebramus, & sancta obedientia externisque operibus & muneribus gratitudinem nostri animi testificamur.

Duorum porro generum sunt haec εὐχαριστικὰ: quaedam interna, quaedam externa. Internum vocamus, cum voluntatem nostram, animum & cor, corpus nostrum omniaque nostra illi offerimus, subjicimus & ad nominis ipsius gloriam consecramus. De quo genere sacrificii *Rom.* 12. Obsecro ut exhibeatis vosmetipsos hostiam sanctam.

Externa sunt, cum munere aliquo externo, visibili, & quod in sensus incurrat, oblato interno animi affectu ac gratitudine Deo, coram etiam hominibus justificamur. Cujus generis erant victimae & oblationes animalium, frugum, primitiarum in Veteri Testamento: & nunc sunt decantatae Deo laudes, piae bonorum nostrorum in pauperes ministrorumque sustentationem, & in alios pios usus oblationes. Has enim Apostolus ad *Heb.* 13 vocat hostias, quibus Deus placatur, & alibi hostias in odorem suavitatis. Haec sunt perspicua. Sed de hilasticis sacrificiis non ita inter omnes convenit.

Hilasticum igitur sacrificium propriè est hostia Deo oblata in odorem suavitatis, ut Apostolus definit: hoc est, est sacrificium à Deo institutum, cujus vi & merito expiantur peccata, & Deus hominibus propitius redditur.

Tale sacrificium unum, *duntaxat*, esse dicimus, atque hoc ipsum credimus & praedicamus, quod (*ut Apostolus hîc describit*) Christus obtulit Deo Patri εἰς ὀσμὴν εὐωδίας. Nam quod etiam in Veteri Testamento legimus fuisse sacrificia hilastica, atque etiam in odorem suavitatis oblata fuisse Deo: illud impropriè dicitur, *nempe* hujus unici respectu & causa, cujus fuerunt illa typi, & quatenus ex fide in hoc unicum offerebantur. *Heb.* 11. Fide Abel obtulit.

Hoc autem ita abunde & efficacissimè demonstravit Apostolus ad Heb., ut qui Christi nomen profitetur dubitet nemo. Et ratio in promtu est, quam & Apostolus affert: quia oportuit non purum hominem, sed etiam Deum esse eoque virtutis infinitae eum, cujus sanguine expiari possent peccata. Unicus autem Jesus Christus ille est, qui potuerit hoc praestare sui corporis oblatione, quippe qui etiam solus Deus simul & homo fuit atque est.

Proinde Apostolus hoc demonstraturus, *primum* docuit hunc Jesum Christum fuisse & esse Deum, *deinde* hominem, eumque sine peccato: ac proinde verum Messiam, Pontificem & Regem. Item ostendit nullis Veteris Testamenti sacrificiis

ficiis expiari potuisse peccata, sed solo Christi sacrificio esse purgata, aeterna redemptione inventa. Pertinent huc innumera sanctorum Prophetarum testimonia: sed unum nobis sufficiat, ne in re perspicua & extra controversiam posita immoremur.

Dan. 9. *primum* confitetur Daniel omnes etiam sanctissimos peccasse: nam se quoque inter illos commemorat, & suum totiusque populi peccatum confitetur, deplorat, remitti petit. *Secundo,* Audit ab Angelo, quantum temporis adhuc supersit ad conficiendum peccatum & ad expiandam iniquitatem & ad justitiam sempiternam adducendam. Quibus locutionibus docuit, nunquam antea fuisse expiatum peccatum mundi. *Tertio*, docet per quem & quonam sacrificio expiandum esset peccatum: per Christum, perque ipsius mortem sanguinisque effusionem. Apertè enim ait Angelus, Ab exitu verbi ad habitandam & aedificandam Hierusalem, usque ad Christum ducem, hebdomadae 7 & hebdomadae sexaginta duae: *Et mox*, Et post hebdomadas 62 exscindetur Christus, & non ei, vel, & non sibi. Quam particulam Bullinger interpretatur de fructu passionis, quod, *scilicet*, Christus esset moriturus, sed nobis, *id est*, non in suam utilitatem, sed in salutem nostram.

Locus est insignis, solo Christi sacrificio expiata esse peccata mundi: atque ita expiata, ut nullo amplius ad eorem expiationem opus sit sacrificio, quoniam ita expiata sunt, ut adducta sit justitia sempiterna, sicut praedixerat Angelus ad Danielem.

Hoc explicat Apostolus ad Heb. c. 9 & 10. tribus vocibus, S e m e l: u n a o b l a t i o n e: denique A e t e r n a r e d e m t i o n e i n v e n t a. Saepius enim has tres voces repetit. Cap. 9. Christum ait Semel ingressum esse in sancta, aeternam nactum redemtionem.

Item, Sed nunc Semel ad abolendum peccatum per immolationem sui ipsius apparuit.

Item, Et sicut statutum est hominibus ut Semel moriantur, post hoc autem judicium: Ita & Christus Semel oblatus est ut multorum peccata tolleret.

Item c. 10. Sanctificati sumus per oblationem corporis Jesu Christi Semel peractam.

Item, Omnis igitur quidem sacerdos assistit quotidie sacra peragens & easdem saepius offerens hostias, quae nunquam possunt auferre peccata. H i c a u t e m U n a pro peccatis oblata Victima perpetuò sedet ad dextram Dei.

Item, U n i c a enim oblatione perfectos efficit in perpetuum eos, qui sanctificantur.

Item, post citatum testimonium *Jer*. 31. Iniquitatem eorum non recordabor amplius, concludens ait: Porro ubi est horum remissio, non est amplius oblatio pro peccato.

Quibus ex locis, praesentem hunc locum ad Eph. explicantibus, constat sacrificium verè ἱλαστικὸν nunquam fuisse nec esse posse, nisi unum, illudque in omnem aeternitatem perfectissimum & efficacissimum ad omnia peccata abolenda, modo per fidem recipiatur. Atque hoc esse illud, quod Christus obtulit patri Semel εἰς ὀσμὴν τῆς εὐωδίας.

Chrysost. in hanc epistolam ad Heb. c. 10 confirmat simili accommodatissimo:

simo: Quemadmodum medicina, si tam est efficax, ut semel usurpata morbum tollat, non est denuo usurpanda, alioqui argumentum de se praebet, quòd sit inefficax, si iterum atque iterum usurpanda veniat: ita comparata est & haec Christi oblatio.

Hinc itaque luce clarius apparet quanta sit blasphemia, simul & idololatria Pontificiorum, qui in Missa ajunt offerri a Sacerdote corpus verum & verum sanguinem Christi in remissionem peccatorum. Sic enim expresse habetur in concil. Trident. Si quis dixerit, in Missa non offerri Deo verum & proprium sacrificium propitiatorium, sub speciebus panis & vini, negetque per hoc sacrificium fieri, ut accedentes ad Deum cum vero corde & recta conscientia misericordiam consequamur, anathema sit.

1. Apostolus apertè demonstravit ad Heb. eum, qui sacrificium hilasticum erat oblaturus, oportuisse esse & Deum & hominem, eumque absque peccato: aut igitur mentiuntur, quod dicunt se offerre tale sacrificium, aut dicant suos sacerdotes esse Deos & homines absque peccato necesse est. Antichristus autem sic definitur à Paulo, quod se faciat Deum.

2. Item Dan. 9. dixit Angelus Christum ablaturum peccatum suo sacrificio. Apostolus etiam hîc ait, Christum seipsum tradidisse oblationem & hostiam. Non potest igitur hoc sacrificium offerri nisi a Christo ipso. At Christus non offert amplius sacrificium hoc, A e t e r n a r e d e m t i o n e i n v e n t a. Num verò ipsi sunt Christus?

3. Item, Unus tantum est sacerdos, qui hoc sacrificium offerre debuit & obtulit: ipsi autem sunt innumeri sacerdotes.

4. Qui offert hoc sacrificium, is non minoris dignitatis esse debet, quam sacrificium ipsum. Sacrificium enim placet Deo propter offerentem, ut Sacrificium Abelis propter Abelem. Audebitne sacrificus jactare se non minoris esse dignitatis & meriti, quam sit corpus Christi, quod à se dicit offerri?

5. Aut quod offerre se ajunt sacrificium, est idem cum eo, quod obtulit Christus, aut diversum & aliud. Si aliud, non est igitur hilasticum. Hoc enim unum tantum fuit & esse debuit, ut ex Apostolo ad Heb. conclusum est. Si idem, saepius igitur offertur, & ita falsum est, quod Apostolus repetit, semel oblatum esse neque opus esse, ut saepius offeratur, sicut sacrificia Veteris Testamenti saepius offerebantur propter ipsorum imperfectionem & inefficacitatem.

6. Corpus item Christi, *id est*, sacrificium hoc in coelo est, *id est*, in sancto sanctorum, ibique manet, vultui Dei semper apparens. Quod igitur ajunt offerre suis manibus, non est corpus Christi verum, sed tantum panis, *id est*, corpus Christi sacramentale. Quare hilasticum sacrificium esse non potest.

1. Ob. At panis mutatur in verum Christi corpus. Respondeo. Sed hoc falsum est. Verum enim corpus conceptum est ex semine Davidis in utero virginis, mortuum & sepultum pro nobis, & ascendit in coelum sedetque ad dexteram Dei. At si panis mutatur in corpus Christi, corpus igitur hoc non ex semine Davidis sed ex semine tritici conficitur, non in utero virginis sed in manibus sacrifici: neque passum est, neque ascendit in Coelum, sed haeret in terra nec sedet ad dexteram Dei, sed jacet in dextera sacrifici, aut

super

super altare. Quin etiam multa essent & propè infinita Christi corpora, unum in coelo, infinita in terris. Manifestum igitur est, non esse verum corpus Christi, quod offert sacrificus, sed purum panem seu corpus tantum sacramentale.

7. Aut quod semel obtulit Christus, efficax fuit ad peccatorum omnium expiationem, aut non efficax. Si efficax: nova igitur oblatio supervacanea est, & vana & inutilis, imò sacrilega, quia illam priorem irritam facit & abolet quasi inefficacem. Si inefficax: falsum igitur quod Apostolus dicit, eam hostiam fuisse oblatam in odorem suavitatis.

8. Etiamsi daremus, panem in verum Christi corpus converti: non ob id tamen sequeretur, in Missa offerri corpus Christi verum in remissionem peccatorum. Non enim in hunc usum coena instituta: sed ut edamus carnem Christi eo modo, quo ipse instituit. In verbis institutionis nullum est verbum quod significet sacrificare.

Item dixit Christus, *Hoc facite*, quod, *scilicet*, & Ego feci. Quid autem ipse in coena fecit? Corpus certè suum non tradidit oblationem & hostiam Deo pro nobis. Hoc enim fecit postridie in cruce: sed panem accepit, fregit deditque edendum & bibendum suum corpus & sanguinem. Et quibusnam dedit? non Deo sed discipulis. Neque dixit: *Accipite, sacrificate*, sed *edite.*

2. *Sed hîc argumentantur sacrifici ex verbis Christi in Coena.* Jussit Christus nos facere quod & ipse fecit. At ipse tunc tradidit semetipsum corpus suum hostiam Patri. Ait enim in praesenti, Quod pro vobis traditur. *Item*, Qui pro vobis effunditur. Si excipias, Ergo bis se obtulit hostiam Patri. Respondent, omnino bis idem sacrificium obtulit, sed diverso modo: in Coena modo incruento: in cruce Semel, modo cruento: De hoc autem modo cruento loqui Apostolum ad Hebr. cùm ait, Semel oblatum esse. Et ita hac distinctione sacrificii cruenti & incruenti respondent ad omnia nostra argumenta: ea concludere de cruento, non de incruento. Sed haec glossa nihil valet. Aut enim in coena verè effudit sanguinem, aut non. Si effudit, & effusum obtulit Patri: Ergo non fuit incruentum, sed cruentum: & ita duo cruenta fuerint sacrificia, contra Apostolum. Si non effudit, igitur falsum dixit, dicendo: *Qui pro vobis effunditur*, nempe si in praesenti intelligas verbum, *Effunditur & traditur.* Absit autem, ut Christum falsum dixisse dicamus. Quare dici non potest, Christum in Coena suum sanguinem fudisse: eoque nec verbum *Effunditur* accipi debet pro praesenti tempore, quo haec loquebatur.

At, *inquient*, effudit verè, sed animo coram Patre, non autem realiter, sicut postea die Veneris in cruce. Respondeo. Sed neque hoc effugium consistit. Ait enim, Qui pro vobis effunditur in remissionem peccatorum. Sine autem vera & reali sanguinis effusione non fit remissio, ut docet Apostolus. Itaque necesse est, ut verbum illud praesentis temporis, pro futuri temporis, *id est*, jam jam instantis verbo accipiatur, secundum consuetudinem Sacrarum Literarum, quae aliquid jam fieri aut factum esse dicunt, quod certo futurum est: sicut & illud *Apoc.* 13. Agnus occisus est ab origine mundi. Et *Jes.* 53. Verè languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portavit. Quanto magis hoc modo intelligenda sunt verba Christi, cum loqueretur de re, quae

jam

jam jam futura erat? Stat igitur sententia Christum in Coena nullum hilasticum sacrificium obtulisse Deo Patri, sed tantum in cruce.

3. *Sed urgent ex patribus tum nomen sacrificii & oblationis carnis Christi in Coena, tum praesertim distinctionem sacrificii cruenti & incruenti: esse enim Patrum omnium: & hujus sacrificii incruenti fieri mentionem in Consilio Nicaeno.*

Respondeo. Novimus haec omnia: sed longè aliud intellexerunt Patres hoc nomine, quàm tale sacrificium, quale jam tuentur Pontificii. Quid ii intelligant, ex Canone Consilii Tridentini paulo antè adducto liquet.

Summa est: Tunc realiter & verè immolari & Deo offerri sacrificium corporis Christi, *ajunt Pontificii*, cum panis jam in substantiam corporis Christi conversus, & vinum in sanguinem, in altum a Sacerdote attolluntur, atque ab omnibus adorantur & pro vero corporis Christi sacrificio agnoscuntur. Sed ideò incruentum esse, *ajunt*, quod licet verum & realem Christi sanguinem, veramque & realem Christi carnem in manibus habeat suisque manibus offerat: nulla tamen ibi fiat sanguinis effusio, sicut facta fuit in cruce. Sic sentiunt illi de sacrificio incruento. At verò non ita sensisse Patres *hinc constat:*

Primum apud Pontificios fundamentum sui realis sacrificii incruenti videmus esse Transsubstantiationem. Cum verò Patres hanc Transsubstantiationem nunquam noverint, ut abundè à nostris & inprimis à P. Martyre fusissimè demonstratum est: sequitur Patres nunquam eo sensu accepisse nomen sacrificii incruenti, quo Pontificii.

Secundò, Pontificii sacrificium hoc offerri docent non à tota Ecclesia sed per sacerdotem pro se & pro Ecclesia ejusque membris. At vero Patres à tota Ecclesia, quae particeps fit corporis & sanguinis Domini in Coena, offerri praedicarunt & scriptum relinquerunt. Cyril. in epistola Synodica Concil. Chaled. Cyprian. de lapsis, serm. 5. & Epist. lib. 30. Epist. 2. Leo primus ad Dioscorum, August. contra Faustum, lib. 20. cap. 18. & alii omnes.

Tertiò, Pontificii sentiunt hoc sacrificio sanctificari homines credentes & mundari. At Patres, sacrificium ipsum fieri Deo acceptum per offerentis conscientiam bonam & fidem non fictam. Irenaeus. Item Aug. contra Petilianum ait: Tale est cujusque sacrificium, qualis est is qui accedit, ut sumat: quia scriptum est, Omnia munda mundis. In liturgia Basilii orat Sacerdos, ut Deus respiciat ad hunc incruentum sacrificii cultum & suscipere velit, sicut olim suscepit ab Apostolis verum illud mysterium. Et in Missali Romano precatur Sacerdos, ut hoc sacrificium ita acceptum habeat, sicut habuit sacrificium Abel, Nohae & Abrahae. Non igitur senserunt ipsissimum corpus Christi per se sanctissimum offerri.

Quartò. Argumentum hoc observent omnes fideles: Si panis transmutatur in corpus Christi, & ita non panis, sed verum corpus Christi offertur Deo: falsum est quod Irenaeus contra Valent. ait *lib.* 4. *cap*, 32, offerri in coena Deo, Patri Christi, de creaturis quae sunt ejus & de primitiis ejus. Ita si vera est sententia Pontificiorum, nequaquam probabit Irenaeus, quod tamen ab hac oblatione probare instituerat contra Valentinianum & Marcionem, Patrem Christi esse creatorem mundi. Atqui vera sunt haec quae scribit, &c. Eodem argumento usus est Tertullianus contra Marcionem. Non censerunt igitur creaturas

turas panis & vini mutari in carnem & sanguinem Christi, eóque nec hanc realiter offerri cum in Coena ajunt incruentum sacrificium ab Ecclesia offerri.

Quid igitur intellexerunt nomine sacrificii & sacrificii incruenti?

Primum. Non solam panis oblectationem, nec solam carnis Christi manducationem, sed totam Coenas actionem vocarunt sacrificium, & sacrificium incruentum, ἀναίματον θυσίαν: quod diligenter notandum est, quia hac etiam ex re apparet. Patres non idem sensisse de hoc sacrificio cum Pontificiis, qui istam, *duntaxat*, panis in corpus Christi, ipsorum judicio, conversi oblationem incruentum vocant sacrificium. Iis autem de causis totam Coenae actionem appellarunt hoc nomine Patres.

Prima est, quia ibi offertur sacrificium laudis & gratiarum actionis: idque tum verbis à tota Ecclesia, tum factis à ministro, totius Ecclesiae nomine, cum, *scilicet*, partem panis & vini, quae ab Ecclesia allata fuerunt ad Templum, in manus accipiens, offerebat Deo tanquam primitias frugum omnium: gratias agens Deo pro universis beneficiis tum corporalibus, tum maximè spiritualibus, atque inprimis pro beneficio redemtionis per Christum. Sic enim & Christum fecisse legimus, cum accepto pane & poculo vini in manus suas gratias egit Patri. Quae causa est praecipua, cur Coena Eucharistica & sacramentum Eucharistiae appellatur. Et ita Iren. lib. 4. Sacrificium, de quo Malachiae 3. quod praedixerat offerendum in toto orbe terrarum, interpretatur de hac panis & vini Eucharistica oblatione. Tertullianus autem contra Marcionem de sacrificio laudis & gratiarum actionis, quae verbo fit ab Ecclesia, & quae vocari etiam solet Vituli labiorum. Sed utramque nos conjungimus ad sacrificium Eucharisticum constituendum. Hoc autem sacrificium est verè incruentum totum.

Altera, quia in coena quod supererat ex bonis in templum allatis, distribuebatur in usum pauperum. Hodie non servatur haec ceremonia, ut ferantur à fidelibus ad templum panis & vinum aliive cibi: sed eleemosynae tamen fieri solent liberaliores quàm aliis diebus. Eleemosynas autem & beneficentiam Apostolus ad Philipp. ὀσμὴν εὐωδίας vocat. Ergo & propter Eleemosynas vocarunt Coenam sacrificium.

Tertia, quia in Coena singuli veri fideles, eóque totum corpus Ecclesiae, sese consecrat Deo & offert se regendum ac mortificandum usque ad mortem, idque exemplo Christi, qui factus est obediens Patri usque ad mortem. Est enim instituta Coena, non solum ut participes fiamus per fidem fructus mortis & passionis Christi, sed etiam ut ejus exemplo exhibeamus nos ipsos hostiam Deo in odorem suavitatis. De hoc sacrificio *Rom.* 12. Obsecro ut exhibeatis corpora vestra hostiam viventem, sanctam, Deo placentem: & c. 15. ait se praedicare Evangelium Dei, ut fiat προσφορὰ τῶν ἐθνῶν εὐπρόσδεκτος, sanctificata in Spiritu Sancto. Evangelium enim gladius est, quo homines tanquam victimae jugulantur, *id est*, mortificantur, & ita mortificati consecrantur & offeruntur Deo. Cum itaque Ecclesia, cum aliàs tum maximè in Coena, sese exemplo Christi exhibeat Deo mortificandam & obedientem usque ad mortem: merito hac etiam de causa Coena vocatur sacrificium & quidem incruentum: quia hîc nihil effunditur sanguinis, sed tantum est spirituale sacrificium.

Quarta,

Quarta, quae fortè prima ac princeps est, quia Coena nihil aliud ferè esse videtur quam spectaculum quoddam, in quo sacrificium corporis & sanguinis Christi in cruce peractum repraesentatur & sub omnium oculos proponitur. Id *primo* fit verbis, quia recitatur quomodo Christus pro nobis passus sit, & sanguinem effuderit in remissionem peccatorum nostrorum. *Deinde* illud ipsum fit actione ipsa, dum *scilicet* frangitur panis, effunditur vinum, utrumque accipitur, editur, bibitur. Quid enim sibi volunt haec aliud, quam passionem & mortem Christi nobis ob oculos proponi quasi in tabella depictas, vel potius in tragoedia relatas? Hoc docet Apostolus dicendo: Quoties enim panem manducatis & calicem bibitis, mortem Domini annunciate: Ac proinde arguit eos, & indignè panem Domini edere dicit, qui, cùm externa actione praedicent mortem Christi, internè tamen in animo nihil minus quam de hoc cogitant, non dijudicantes corpus Domini, nec mente hoc à pane discernentes: id quod contra mandatum Christi fit: qui jussit, ut quoties edimus panem & bibimus vinum, per haec tanquam per Symbola excitati in recordationem & considerationem cogitationemque eorum, quae ipse pro suo erga nos amore praestitit, adducamur & perveniamus. Hoc (*inquit*) quotiescunque feceritis, in mei memoriam facietis. Doctrina haec Apostolica est, & omnium Patrum suffragiis confirmata: nempe Coenam esse visibilem imaginem & repraesentationem mortis, eóque sacrificii Jesu Christi. Est autem receptum in Sanctis Literis & apud Patres, ut signa, imagines picturaeque earum rerum nominibus appellentur, quarum rerum sunt signa, imagines, picturae. Non igitur mirum, quod Coena sacrificium Christi vocetur. Cum verò omnia, quae hìc fiunt, fiant sine ulla sanguinis effusione: ideò non immerito sacrificium incruentum appellarunt Patres.

Secundò, Simile: Solet in Papatu passio Christi per homines personatos ad populum referri ac repraesentari, ita ut aliquis referat personam Christi, alius Judae, alius Pilati: & tandem qui personam Christi sustinet, is adigitur in crucem, sed sine sanguine. Si totum hoc fieret ex Dei institutione, verè vocari posset visibile Christi sacrificium, sed incruentum. Sicut etiam si comoedia aliqua celebretur, in qua excidium Trojae repraesentetur, sed sine ullius hominis interitu, dicetur excidium Trojae incruentum. Sic dicimus de Coena. Cum sine talibus personatis hominibus, sed tum verbis tum actionibus tantum sacris, in Coena verum Christi sacrificium repraesentetur & annuntietur: intelligimus jure optimo Coenam vocari sacrificium Christi incruentum, etiamsi ipsum verum corpus Christi realiter non offeratur.

Tertiò, Ad summam, Regula haec tenenda est: Patres, quo sensu intellexerunt corpus & sanguinem Christi adesse in Coena, panemque esse ipsum corpus Christi, eodem etiam senserunt in Coena offerri Christum, Coenamque ipsam esse sacrificium hilasticum sed incruentum, nempe in mysterio, in figura & imagine.

Nunc tenemus quatuor causas, cur Coena vocetur sacrificium Christi, illudque incruentum.

Additur & *quinta*, quia nimirum fideles, fide edendo corpus & bibendo sanguinem Domini, participes fiunt illius sacrificii: ita ut si quis posset

 videre

videre mentes & corda fidelium, sicut videt Deus, cerneret eos sanguine Christi aspersos, spiritualiter *scilicet* & in mysterio. Et huc refertur illud Apostoli, *Quoties enim manducatis panem Domini &c. mortem Domini annunciate:* Multo magis igitur manducantes etiam veram carnem Domini annunciant & repraesentant mortem Domini.

Pertinet huc antiphona quaedam, quae adhuc in Missa Pontificia dici ac recitari solet: ô sacrum convivium, in quo Christus sumitur, recolitur memoria passionis ejus, mens impletur gratia, & futurae gloriae nobis pignus datur, Alleluia. Eadem Coena est sacramentum, quatenus in ea Christus verè sumitur, mens impletur gratia, & panis tanquam pignus aeternae gloriae nobis datur. Et est sacrificium, quatenus in ea recolitur memoria passionis ejus, qua sumus redemti, próque hac gratias agimus Deo, nos ipsos ei mactandos offerentes: quod totum fit spiritualiter & in mysterio.

Pertinet huc & illud Augustini super *Psal.* Christum quotidie memoria & cogitatione immolari. Idem *August.* Tom 3. de fide ad Petrum, c. 19. ait, Christo una cum Patre & Spiritu Sancto oblata fuisse in Veteri Testamento sacrificia animalium: & nunc offerri sacrificium panis per universum orbem ab Ecclesia. Sed quid haec ad oblationem corporis Christi? Explicat dicendo, In illis enim carnalibus victimis figuratio fuit carnis Christi, quam pro peccatis nostris erat oblaturus, & sanguinis, quem erat effusurus in remissionem peccatorum: in isto autem sacrificio gratiarum actio atque commemoratio est carnis Christi, quam pro nobis obtulit, & sanguinis, quem pro nobis effudit. Haec ille.

En duas causas, propter quas Coena vocatur sacrificium, tum quia commemoratio in ea fit mortis Christi, tum quia gratiae aguntur pro hoc beneficio.

Tertiam rationem addit alibi, nimirum *Tom.* 5. *de civitate Dei*, *lib.* 10. *c.* 6. nempe quia in sacrificio panis, quem Ecclesia offert, ipsa quoque offertur, caput in haec verba concludens: Igitur sacrificium Christianorum, *inquit*, multi unum corpus sumus in Christo, quod etiam sacramento altaris fidelibus noto frequentat Ecclesia, ubi ei demonstratur, quod in ea oblatione, quam offert, etiam ipsa offeratur.

Thomas Aquinas addit quartam, quia *scilicet* sacrificii à Christo oblati simus participes: quanquam priorem etiam causam retulit. Libet citare locum: 3. *part. quaest.* 83. art. 1. Quaerit, utrum in celebratione hujus mysterii Christus immoletur: & primò negat propter locum Apostoli ad Heb. dicentis, Christum una oblatione sanctificasse nos in sempiternum. Postea opponit dictum Augustini ex lib. sent. Prosperi, dicentis. *Semel* immolatus est Christus, & tamen quotidie immolatur in sacramento. Conciliat autem utrumque dictum, & ait: Respondeo dicendum, quòd duplici ratione celebratio hujus sacramenti dicitur immolatio Christi, *primò* quidem, quia sicut dicit Augustinus ad Simplicianum, solent imagines earum rerum nominibus appellari, quarum sunt imagines: sicut cùm intuentes tabulam aut parietem pictum dicimus, hic est Cicero, iste Sallustius. Celebratio autem Sacramenti imago quaedam est repraesentativa passionis Christi: quae est vera immolatio. Et ideo celebratio hujus sacramenti dicitur immolatio Christi. Et confirmat hanc primam rationem dicto etiam Am-

Ambrosii. Post subdit alteram dicendo: Alio modo quantum ad effectum passionis Christi, quia *scilicet* per hoc sacramentum participes efficimur fructus Dominicae passionis: id quod confirmat collecta quaedam ex Missali. Et subdit: Quantum ad primum modum (*inquit*) poterat dici Christus immolari etiam figuris Veteris Testamenti, juxta illud, Agnus occisus est ab origine mundi. Omnia haec puriora sunt iis, quae in Concil. Tridentino tradita sunt. Quomodo verò cohaerere possint haec duo, coenam esse repraesentationem sacrificii *semel* immolati, & tamen sub panis speciebus contineri verum & naturale corpus, ut Thomas sentit, viderint Thomistae. Esse repraesentative & esse in veritate certè opponuntur, sicut relativa, item signum & res signata.

Addam etiam quae porrò Petrus Lombardus in 4. sent. scripta reliquit dist. 12. lit. h. Quaeritur (*inquit*) si quod gerit Sacerdos, propriè dicatur sacrificium vel immolatio: & si Christus quotidie immoletur, vel *semel* tantum immolatus sit. Ad hoc breviter dici potest: illud, quod offertur & consecratur à Sacerdote, vocari Sacrificium & oblationem, quia memoria est & repraesentatio veri sacrificii & sanctae immolationis factae in ara crucis. Et *semel* mortuus est Christus in cruce, ibique immolatus in semetipso: quotidie autem immolatur in sacramento, quia in sacramento recordatio fit illius, quod factum est semel. Haec Petrus Lombardus. Quae confirmat subjectis aliquot testimoniis Augustini & Chrysostomi.

Hactenus quae fuerit Patrum sententia de sacrificio incruento satis dilucidè explicatum esse arbitror: ut nullo modo probari possit ex ipsorum scriptis verum corpus Christi invisibiliter, sub speciebus panis & vini, in Missa immolari: cùm totum hoc fiat (*ut Patres loquuntur*) in mysterio, in figura, in imagine, non autem in veritate.

Addo hîc, quae eruditiores nostri temporis inter Pontificios viri de hac re scripserunt: qualis fuit Gropperus & alii nonnulli. Fatentur Missam, ut vocant, memoriam duntaxat esse passionis Christi, non autem ipsum verum sacrificium ἱλαστικὸν, nempe in publico & visibili coetu. Sed addunt, verum Christi sacrificium à fidelibus fide apprehensum sisti mente coram Deo, *id est*, interponi inter iram ejus & nostra peccata, tanquam unicum remedium, ad impetrandam remissionem peccatorum nostrorum, quam Christus in cruce nobis promeruit.

4. Ex Gen. 14. ab exemplo Melchisedec, qui panem & vinum protulit Abrahae tanquam Dei sacerdos, indignum est cui respondeatur amplius, cùm satis demonstratum fuerit à nostris nihil ineptius adferri posse illo exemplo. Ac si quid inde colligi potest, nihil posse nisi hoc, quod Irenaeus docet de Eucharistico sacrificio panis & vini.

5. Non majori difficultate refellitur quod adferunt de agno Paschali, qui fuit typus sacrificii Christi. Non edebatur nisi immolatus: fateor, sed neque corpus Christi editur à nobis, nisi quatenus semel immolatum fuit: & Apostoli ederunt, quatenus immolandum *jam jam* erat. Sed non propterea immolatur quotidie in veritate antequam edatur.

6. Ad illud Malach. c. 1. de Mincha, quod offerendum erat per totum orbem terrarum, Irenaeus de oblatione panis & vini Eucharistica interpretatur, lib.

lib. 4. c. 32. 34. Tertull. contra Marcionem lib. 3. de spirituali sacrificio laudum, *scilicet*, & gratiarum actionis.

Atque haec de sacrificio Christi breviter, ad nostrum institutum quod attinet, dicta sunto. Reliqua quae de hoc sacrificio dici possunt, sed quae non tanti sunt momenti, aliis disputanda relinquo.

De sacerdotio Christi.

De Sacerdotio Christi integrum locum explicandum non suscepi in praesentia, quia praesens Apostoli locus hoc non postulat: sed sicut demonstravi unum tantum fuisse aut etiam esse posse verè ἱλαστικὸν sacrificium, & hoc fuisse illud, quod *semel* Christus obtulit in cruce in odorem suavitatis eoque nunquam repetendum: sic etiam hanc alteram θέσιν demonstrandam suscepi, nimirum unum tantum esse esseve posse Sacerdotem, qui potuerit ἱλαστικὸν illud sacrificium Deo offerre: atque hunc esse Jesum Christum, ut docet Apostolus, dicendo: *Qui dedit semetipsum*: ita ut ipse unus sit simul & Sacerdos offerens & hostia oblata.

Hac θέσει constabilita magis ac magis confirmatur prior θέσις de unico sacrificio Christi: & evertitur dogma de Missae sacrificio eo sensu, quo ostendimus illud summum esse Sacrilegium: cum tale sacrificium à nulla pura creatura offerri potuerit aut possit. Sed haec prius nobis praemittenda sunt in genere.

1. *Primum*, Sacerdotium convenire competereve non potest nisi in homines *Heb*. 5. Omnis namque Pontifex ex hominibus assumtus est. Ideo etiam Filium Dei hominem fieri oportuit, si debuit esse Pontifex & sacrificium offerre. Summa verò Dei bonitas erga humanum genus haec fuit, ut in qua natura admissum est peccatum, in ea etiam & per ipsam illud expiaretur.

2. Neque omnis homo potuit esse Pontifex, sed tantum qui eligeretur à Deo. *Heb*. 5. Nemo sibi assumit honorem (Sacerdotii), sed qui vocatur à Deo, tanquam Aaron. Ideo etiam Christus dilectus à Patre fuit ad officium sacerdotale, & praemonstratus in Melchizedecho, & praedictus per Davidem, *Tu es Sacerdos in aeternum, secundum ordinem Melchisedech*.

3. *Officium* Sacerdotis fuit, ut tanquam Mediator inter Deum & homines sacra utrinque daret & administraret: nempe quae à Deo accipiebat, ea daret populo, legem, sacramenta: & quae vicissim à populo, ea offerret Deo, munera, sacrificia, preces: unde & nomen Sacerdotis, quasi sacra dantis, derivatum est. De primo *Malach*. 2. Legem requirent de ore ejus (Sacerdotis): de secundo *Heb*. 5. omnis namque Pontifex constituitur in iis, quae sunt ad Deum, ut offerat munera & sacrificia pro peccatis populi. Ideo & Christus Mediator, ideo etiam solus perfectus Sacerdos. *Hebr*. 10. Utrumque enim perfecit officium Pontificis: *Primo*, quae à Deo accepit, communicavit populo suo. 2. *Pet*. 1. Per quem (*Christum*) maxima & pretiosa nobis promissa donavit Deus, ut per haec efficiamini consortes divinae naturae. *Secundo*, Quae recepit à nobis, obtulit Patri, carnem & sanguinem, nos ipsos in seipso reconcilians Patri.

4. Est igitur Sacerdotum officium à Deo institutum, quo homines ad

ad hoc legitimè vocati sacrificia offerunt Deo, sacraque administrant populo.

5. Duplex porro fuit Sacerdotium, *unum* secundum ordinem Aaron, alterum secundum ordinem Melchizedech. Sed hoc prius fuit altero: ideo etiam Aaronicum tandem cessit Melchizedechico in persona Christi. *Heb.* 7. Translatum enim fuit Sacerdotium simul & lex, nempe in Christum: ac typus hujus rei fuit, quod Melchizedech decimas accepit ab Abrahamo, in cujus lumbis erat Levi.

6. Utriusque generis Sacerdos obtulit sacrificium cum sanguine: sed Aaron cum sanguine hircorum, Christus cum sanguine proprio, humano, *scilicet*, & divino, *hoc est*, qui non tam hominis quam Dei sanguis fuit, juxta illud *Act.* 20. Deus redemit Ecclesiam sanguine suo.

7. Aaronici item sacerdotes non solum pro populi sed etiam pro suis peccatis offerebant: At Christus tantum pro peccatis nostris.

8. Illi item fuerunt, *duntaxat*, sacerdotes offerentes, sed non hostia: Christus vero & Pontifex offerens & hostia oblata: id quod fuit omnino necessarium, ut ad Hebr. demonstrat Apostolus. Et *Ephes.* 5. Tradidit semetipsum, &c.

9. Sacerdotium item Aaronicum temporale fuit, quia typus hujus Melchizedechici. At Christi aeternum. *Psal.* 110. Tu es sacerdos in aeternum.

10. Tria fuerunt sacrificia in veteri lege praecipua, *unum* pro peccato, *alterum* pacificum, *tertium* holocaustum. Christus *Unico* suo omnia perfecit: liberavit à peccato (*haec est justificatio*): pacem donat conscientiis & pacat affectus (*haec est regeneratio*) & totam perfecit salutem, quasi holocausto (*haec est glorificatio*). Itaque vi sacrificii Christi totius salutis & initium & progressum & finem obtinemus.

11. Denique illi in terra, *duntaxat*, viventes functi sunt Sacerdotio: At Christus etiam post mortem fungitur in coelo, pro nobis interpellans, &c.

His praemissis nunc confirmo quod proposui, unicum tantum esse Pontificem & Sacerdotem, qui potuerit aut possit perfectum sacrificium, id est, *hilasticum offerre: atque hunc esse Jesum Christum.*

I. Oportuit talem sacerdotem esse & Deum simul & hominem, ut ad Heb. demonstrat Apostolus: Filium, scilicet, *Dei & hominem absque peccato, sacerdotem item secundum ordinem Melchizedechi,* ἀπάτορα καὶ ἀμήτορα, *qui etiam esset simul Rex Salem & pacis aeternae autor: talis denique qualem describit Apostolus ad Heb. Quis autem talis unquam fuit aut esse potest, nisi unus Jesus Christus?*

Hoc est primum argumentum à qualitate personae ductum.

II. Secundum à collatione sacrificii cum Sacerdote. Oportuit Sacerdotem ipsum non minoris esse dignitatis & virtutis & meriti coram Deo, quàm ipsum sacrificium: quando sacrificium suam accipit dignitatem (ut inquit Irenaeus) *à Sacerdote, qui illud offert.*

Qua in re differt sacrificium à Sacramento, cùm sacramenta suam à Ministris vim non accipiant, sed a Deo: & ideo etiam à malis administrari possunt sine detrimento: sed sacrificia à malis & impiis oblata rejicit & abominatur Deus. Jes. 1. Ita manifestum est oportuisse Sacerdotem hunc, de

quo

quo loquimur, non minoris esse coram Deo dignitatis & meriti, quàm sit ipsum sacrificium ἱλαστικὸν. Atqui hoc virtutis & efficacitatis infinitae fuit & esse oportuit, quo peccata, quae demeriti erant infiniti, expiari possent. Quis verò praeter unum Jesum Christum tantae dignitatis Sacerdos unquam fuit aut esse potest? *Item*, unum tantum fuit esseve potuit sacrificium verè hilasticum, ut supra ostensum est. Non potuit igitur etiam Sacerdos offerens nisi unus esse. Ideo & Melchizedech unus tantum fuit & non plures: & unus tantum Pontifex introibat cum unico sacrificio in sancta sanctorum semel in anno. Heb. 9.

III. Oportuit talem sacerdotem esse perpetuum, sicut & Melchizedech dicitur ab Apostolo fuisse, μήτε ἀρχὴν ἡμερῶν ἔχων, μητε ζωῆς τέλος: *non quod ille revera fuerit talis, sed quod de eo non legatur neque quando natus sit neque quando mortuus: At verò eum, cujus typus fuit Melchizedech, talem revera esse oportuit, juxta illud,* Tu es Sacerdos in aeternum, secundum ordinem Melchizedech. *Solus autem Christus talis sacerdos est: quia aeternus est Dei Filius & sacerdotium ejus manet in aeternum: & ipse suo fungitur sacerdotio in sempiternum: & vis sacrificii ipsius perpetua est. Nam semper interpellat apud Patrem pro nobis.*

IV. Unum tantum esse oportuit Mediatorem verum inter Deum & nos, atque hoc fuit officium perfecti Pontificis. Atqui is fuit Jesus, 1 *Tim.* 2. Ergo solus perfectus Pontifex.

Sic ergo unus tantum est Deus simul & homo: unus tantum tantae dignitatis, quantae & sacrificium, *id est*, infinitae: unus tantum revera neque principium habens neque finem, *id est,* verè perpetuus & in perpetuum vivens Sacerdos: unus denique tantum verus Mediator. Sic etiam unus tantum est Sacerdos, qui verè ἱλαστικὸν sacrificium offerre potuerit aut possit, *& is est Jesus Christus;* qui etiam solus introivit semel in sancta, *id est*, in coelum: & ideo solus ab Apostolo vocatur Pontifex & Mediator Novi Testamenti, in Epist. ad Hebr. Quare quicunque sibi arrogant nomen talis Sacerdotis, qui possit sacrificium verè ἱλαστικὸν Deo offerre pro peccatis, is Antichristus est.

Sed excipiunt adversarii, haec omnia esse verissima per se: *hoc est*, Christum per se solum talem esse sacerdotem: verum, suum sacerdotium aliis quoque communicasse. Quo pertinent haec Novi Testamenti testimonia 1. *Petr.* 2. Ad quem accedentes lapidem vivum &c. & ipsi tanquam lapides vivi superaedificamini in domos spirituales, in Sacerdotium sanctum, offerentes spirituales hostias. *Item*, vos autem genus electum, regale Sacerdotium &c. Item *Apoc.* 1. Qui facit nos regnum & Sacerdotium Deo & Patri suo. *Item cap.* 5. Fecisti nos sacerdotes. *Et cap.* 20. Beati qui habent partem in resurrectione prima, & erunt sacerdotes Dei.

Primò, Resp. Novimus haec: Sed ad quosnam scribit Petrus? Num ad solos Sacrificos? An ad omnes fideles? Ita de loco Apoc. 1. Omnes igitur Christiani sunt sacerdotes. Ideo omnes etiam habent quae offerunt sacrificia. Nam omnes offerunt sacrificium laudis: omnes offerunt hostiam beneficentiae

&

& εὐωδίας, hostiam viventem, omnes memoriam faciunt passionis Christi. Illa ergo testimonia nihil ad solos Sacerdotes.

Deinde quaestio non est de hoc imperfecto Sacerdotio: sed de eo, quo quis possit sacrificium hilasticum pro expiatione peccatorum offerre. Communicavit sacerdotium suum κατά τι, non ἁπλῶς. Dicimus igitur nunquam fuisse aut esse posse, qui tale Sacerdotium sibi usurpare queat, nisi unum Jesum Christum: ita ut ex verbis Apostoli, de quibus agimus, *Christus tradidit semetipsum pro nobis hostiam, &c.* haec duo praecipua capita necessario concludantur:

Unum, Ergo unicum tantum est sacrificium ἱλαστικὸν ad remissionem peccatorum efficax, hostia, *scilicet,* corporis Christi in cruce oblata, & *semel* quidem ita oblata, ut non amplius sit repetenda, *cum semel fuerit in odorem aeternae suavitatis oblata.*

Alterum est, Ergo unus etiam, *duntaxat*, est sacerdos, qui tale sacrificium offerre potuerit aut possit: quare nihil restare potest, nisi ut fide & sacrificium istud unicum pro salute nostra amplectamur ac comedamus: & ut huic uni aeterno Pontifici nostra omnia sacrificia Deo Patri offerenda, nostras preces, nostras eleemosynas, nostra corpora, nos denique totos commendemus: & ut accensi exemplo tantae dilectionis, *qua dilexit nos, ac tradidit semetipsum pro nobis*, nos quoque ambulemus in dilectione tali, qua parati simus & nos pro fratribus animam ponere, ut docet Joannes in Epistola *&c.*

Quod si quis Sacrificium hoc, de quo dictum est, hilasticum à tota Ecclesia, aut etiam per ipsum (*ut vocant*) Sacerdotem, totius Ecclesiae nomine in publico Coetu, hoc sensu Deo offerri dicat, nimirum quod quisque hoc solo Christi sacrificio, *semel* pro peccatis nostris Patri oblato, contentus, in eo totus acquiescat, atque ita Patrem precetur, ut hoc unicum sacrificium, cujus publica commemoratio, tum verbis tum ritibus, in coena Domini celebratur, loco omnium oblationum, satisfactionum, operum & omnium denique earum rerum, quae ad peccatorum nostrorum expiationem aeternamque salutem necessariae excogitari ab homine possunt, acceptum habeat, cum hoc nos minime altercabimur. Nam ad rem ipsam quod attinet, quis haec improbare queat? In hujuscemodi etenim sacrificii oblatione summa Christianae pietatis consistit. Sed longè aliter vulgò in Pontificatu doceri consuevit. Faxit ergo Deus, ut idem sentiamus omnes, & consentaneè cum Sanctis Literis loquamur.

LOCUS II

DE BAPTISMO

Mundans eam lavacro aquae, &c. Ephes. 5.

Locus iste Pauli postulat, ut de Baptismo nonnihil dicamus. Sed quoniam locus de Baptismo intelligi non potest, nisi prius doctrina de Sacramentis in genere explicetur: idcirco de his in genere aliquid dicendum nobis est priori loco. De his autem haec tria tantum breviter perstringam capita.

1. Quid sit sacramentum.

2.

2. Quotuplex.
3. De usu, seu in quem finem sint instituta. Reliqua explicabuntur in loco de Baptismate.

PARS PRIMA.

DE SACRAMENTIS IN GENERE.

Caput I.

Thesis I.

Quae nos vocamus Sacramenta, Graeci vocarunt μυστήρια: & dixerunt, Mysterium esse rem actionemque visibilem, quae secum annexam habeat spiritualem contemplationem. Non secus de sacramentis locuti sunt Latini: sacramentum esse visibile signum faciens nobis aliud in cogitationem venire.

2. Ideo Augustinus ad Maximinum, lib. 3. c. 22. In sacramentis non quid sint, sed quid ostendant, semper est attendendum: quia signa sunt rerum, aliud existentia, aliud significantia: in quibus aliud videtur & aliud intelligitur: quod videtur, speciem habet corporalem: quod intelligitur, fructum habet spiritualem. Haec ille.

3. Cùm eodem modo definiant Graeci Mysterium, quod Latini Sacramentum, apparet idem illis fuisse nomen mysterii, quod nobis nomen Sacramenti. Unde & Latini coenam Domini saepe vocarunt Mysterium.

4. Huc etiam illud, quod in Missis dici solet, O sacrum convivium, Alii, ô sacrum mysterium, in quo Christus sumitur, recolitur memoria passionis ejus, mens impletur gratia, & futurae gloriae nobis pignus datur.

5. Item dicere solent, corpus Christi adesse in Mysterio & sumi in Mysterio. Quanquam latius patet vox Mysterii quam Sacramenti: quia omni Sacramento convenit vox Mysterii, sed non contra.

6. Porro πολύσημον est nomen Sacramenti apud Latinos. Sacramentum propriè Latinis significabat Sacrum juramentum, quo in foederibus sanciendis, interposito Sacro Dei nomine & Sacro aliquo signo ac ritu, utrinque jurabatur: ut quo milites Imperatori & Imperator militibus sanctè promittebant.

7. Sic juramentum seu promissio, qua Deus in foedere cum Abrahamo & semine ejus faciendo, interposito signo circumcisionis, sanctè promisit se futurum illi in Deum, & qua vicissim Abraham fidem & obedientiam promisit, sacramentum fuit.

8. Idem dico de renato foedere ac promissione inter Deum & populum, quando institutum fuit Pascha.

9. Successit autem Circumcisioni Baptismus: Et Paschati Coena Dominica.

10. Inde igitur factum est, ut apud Patres nomen Sacramenti non raró accipiatur pro tota illa actione, sive Baptismi sive Coenae Dominicae, in qua praecedit utrinque promissio, inter Deum, scilicet, & inter populum, ritibus externis & Symbolis, adeoque sanguine Christi confirmata.

11. Caeterum postea per Synecdochen saepissime hanc vocem usurparunt pro solis signis sive symbolis, addito verbo & promissione: & ita fecerunt discrimen inter Sacramentum & rem Sacramenti: ut Sacramentum propriè sit res terrena sub sensum cadens, ut aqua & panis ac vinum, addito verbo: Res autem Sacramenti sit res coelestis, Christus scilicet ipse ejusque beneficia, regeneratio per sanguinem ipsius, & spiritualis manducatio corporis ipsius, qua magis ac magis cum eo in unum coalescimus.

12. Atque haec est recepta & vulgata in Ecclesia Sacramenti significatio.

13. Inde fit, ut omnino Sacramentum collocandum sit in praedicamento Relationis: cujus Fundamentum est actio symbolumque externum. Terminus autem res actioque interna, qua Deus intus in nobis spiritualiter efficit, quod foris per verbum promittit & per symbola demonstrat.

14. Unde etiam fit, ut in sacramentis necessaria sit analogia inter signum & rem signatam: puta, quòd sicut externe aqua corpus per ministrum lavatur, sic interne anima sanguine Christi per Christum ipsum à peccatis purgetur, sicut ait Apostolus, Mundans eam lavacro &c.

15. Sic igitur definimus sacramentum in genere. Sacramentum est externum & sub sensum cadens signum, verbo Evangelii juxta institutionem Christi, propter nostram ignorantiam & imbecillitatem, fidei confirmandae causa addito: quo quod intus in animis Fidelium operatur Christus, illud idem foris accommodata analogia significatur ac demonstratur: cujus finis est, ut spiritualium rerum perceptione corpori Christi inseramur, & in eo magis ac magis coalescamus.

Non est opus ut singula probemus. Res enim sunt per se notae: deinde in loco de Baptismate confirmabuntur omnia.

16. Caeterum hinc intelligimus, primum, in sacramento tria esse: verbum Evangelii, Symbolum externum, seu rem terrenam, & rem sacramenti, seu rem coelestem, ut loquitur Irenaeus.

17. Neque tamen interea confundenda est res sacramenti cum sacramento. Res enim sacramenti non est sacramentum: cum omne sacramentum alterius rei à se distinctae & differentis sit sacramentum: Et omne signum alterius rei sit signum: semper ergo distinguendum est signum à re signata, & sacramentum à re sacramenti.

18. Sunt tamen inter se conjuncta: verum, sicut omnia correlativa, unione, scilicet, & nexu Relationis.

19. Hanc unionem vocamus in hoc negotio de sacramentis sacramentalem, id est, quae fit per mysticam sacramque relationem.

20. *Secundò*, Ex definitione modò allata intelligimus, nisi adsit verbum Evangelii, quod pronuncietur & intelligatur, non esse sacramentum: Accedit enim verbum ad Elementum & fit sacramentum. Ac proinde extra legitimum usum, sicut non est sacramentum, sic neque res sacramenti ullam habet cum symbolo unionem.

21. *Tertiò*, intelligimus, licet res sacramenti omnibus, qui signa accipiunt, serio ab ipso sacramentorum institutore Christo offeratur (*non enim nuda*

offert

offert Symbola): re ipsa tamen eam non percipi nisi à fidelibus, Electis, qui sunt vera Christi membra.

22. Si enim adduntur signa verbo, ut fides confirmetur nostra: ubi igitur fides non est, ibi sacramenta nullam habent efficaciam.

23. *Item*, si etiam res sacramenti exhibetur, puta caro Christi & sanguis ejus, ut coalescamus in unum corpus cum Christo: Ergo qui ad corpus Christi non pertinent, corpus Christi, *id est*, rem sacramenti non percipiunt, nisi sacramentaliter, *hoc est,* non reipsa, sed in signo tantum sacramentali, eo, *scilicet*, sensu, quo Apostolus omnes, qui baptizati sunt aqua, vocat ablutos & justos, cum tamen non omnes reipsa sint justi & abluti, sed sacramentotenus tantum: Quia per Christum non stat, quin omnis, qui signum percipit, percipiat & rem ipsam: sed ipsorum infidelium culpa fit, ut rei signatae participes non fiant, cum destituti sint fide.

24. *Denique* illud etiam ex definitione colligimus, sicut externum signum administrat homo, sic rem signatam à solo Christo verè administrari.

25. Ipse enim solus Baptizat in Spiritu, cùm Johannes tantùm in aqua: Ipse novit qui sint sui, & ad quos res signatae pertineant, & pro quibus fuderit sanguinem, *id est,* pro Electis.

26. Non potest igitur Christus falli in communicatione rei signatae, *id est*, sui ipsius, ut, *scilicet*, det illis, quibus danda non est: ac proinde solis Electis seipsum communicat, non aliis.

27. *Quo pertinet* illud Joh. 2. *Ipse autem non se credebat eis. Ipse enim noverat omnes, &c.*

Atque haec de primo capite.

CAPUT II.

1. Duplex tantum est Sacramentum hujus generis, quod modò definivimus: Baptismus & Coena Dominica: consentientibus omnibus Patribus: *Ambrosio* lib. de Sacramentis. *Augustino* de doctrina Christiana lib. 5. cap. 9. *Theodoreto* in dialogis &c., denique omnibus.

2. Propriè enim in iis duobus Sacramentis communicatur nobis Christus: In Baptismo incorporamur Christo, ut simus unum corpus cum illo: in coena vescimur Christo, ut coalescamus cum eo.

3. Ideo Apostolus utrumque complexus est 1. *Corinth.* 12. dicendo: Omnes in uno Spiritu in unum corpus Baptizati sumus: & omnes in unum Spiritum potati sumus. In duo Sacramenta: plura duobus non tradidit Apostolus.

4. Neque plura erant necessaria: Quare qui plura commenti sunt, non ex Christi doctrina sed ex suo capite confinxerunt.

CAPUT III.

1. Usus seu finis, cujus causa sunt instituta Sacramenta, triplex est: Primus ac praecipuus est (ut uno verbo dicam) κοινωνία cum Christo & cum toto ejus corpore, quod est Ecclesia: ut Apostolus docet, tum 1. *Corinth.* 12. quemadmodum

modum paulo ante vidimus, tum etiam 1. *Cor.* 10. & alibi: ut, *scilicet,* iis adjuti, fide in nobis excitata, incorporemur Christo & in unum cum illo coalescamus: Ac proinde, ut fructuum passionis ejus, nempe Redemptionis, remissionis peccatorum, regenerationis, vitae denique aeternae, quae omnia in Christo posita sunt, participes fiamus. Hic est *primus* ac praecipuus finis & usus. Proinde hujus respectu Sacramenta sunt organa, quibus utitur ad nos Christo inserendos & magis ac magis incorporandos, excitata per haec in nobis fide & confirmatis promissionibus, denique suis obsignatis: qua de causa σφραγῖδες etiam ab Apostolo vocantur.

2. Alter usus est, ut sint publicae tesserae, quibus discernamur ab infidelibus Judaeis & Turcis: & quibus praeterea nostram in Christo fidem veramque Christi religionem profiteamur. De quo usu 1. *Cor.* 11. Quotiescunque enim manducatis panem hunc, mortem Domini annunciate, &c. Ipsa nimirum externa actione. Ideo debetis interna etiam mente recolere.

3. Confirmat idem Rom. 4 dum Circumcisionem, eóque & (quod ei successit) Baptisma vocat signaculum justitiae fidei, *hoc est,* signaculum, quo & à Deo in nobis justitia obsignatur; Et ex quo omnes nos Christo ad justitiam & salutem aeternam obsignatos esse intelligimus.

4. Duplex enim usus est sigilli: *unus,* ut literae obsignentur, eóque de voluntate scriptoris ille, ad quem scriptae sunt, magis ac magis certior fiat: *Alter* ut etiam alii, qui talem vident obsignationem, idem intelligant, & quale beneficium collatum sit in eum, cui in literis promissiones fiunt, cognoscant.

5. *Tertius est,* ut sint monumenta, quibus perpetuo nos nostri moneamur officii: Baptismus monet, cùm simus mortui & sepulti cum Christo: non igitur amplius vivendum esse peccato: sed in ejus mortificationem perpetuo incumbendum esse. Studendum verò esse novitati vitae. De quo usu *Rom.* 6. Quid igitur dicemus? permanebimus in peccato, &c. Coena item monet nos omnes, qui de uno pane participamus, esse unum corpus cum Christo: tollenda igitur esse omnia, quae unitatem hujus corporis scindere possunt, schismata, dissidia, inimicitias: proficiendum autem esse in fide & charitate, &c. De quo usu 1. *Cor.* 11.

PARS ALTERA

DE BAPTISMO.

Diximus de Sacramentis in genere, quantum ad explicandum locum de Baptismo operae pretium fuisse judicavimus. Nunc de Baptismo haec breviter explicanda sunt:

1. Primum, quid sit.
2. Deinde, quotuplex.
3. Finis & usus, seu ad quid detur, eóque quae sit ejus vis.
4. Causa Efficiens: quis propriè baptizet & per quos administrari debeat.
5. Qui baptizandi.
6. De necessitate Baptismi.
7. Ad extremum aliquid de caeremoniis & ritibus additis dicemus.

Ad

Ad primum quod attinet: duplex est definiendi ratio: una, qua primum tota definitio proponitur, deinde per partes explicatur: Alia est, qua singula, ex quibus componenda est definitio, examinantur ac confirmantur, deinde ex illis jam explicatis ac confirmatis definitio componitur. Atque hanc posteriorem rationem secutus est Aristoteles in tradenda felicitatis definitione, in libris Ethic. Hanc & Ego post explicationem nominis in praesentia sequar: multa enim complexurus sum, ut plenam adferam definitionem seu descriptionem.

1. Ad nomen quod attinet, Baptismus Graeca vox est & duo significat: *primo* ac propriè immersionem in aquam: βαπτίζω enim propriè significat immergo, submergo, obruo aqua: quanquam sanguine totum aspergi & repleri, est etiam baptizari, teste Christo, *Potestis baptismo baptizari, quo ego baptizor?* Sed hîc de aqua propriè. Atque haec significatio propriè congruit Baptismo nostro: Et analogiam habet ad rem signatam: per Baptismum enim (*ut Rom.* 6.) consepelimur & quasi submergimur cum Christo mortui peccato. Et ideo vetus Ecclesia solita fuit immergere quos baptizabat. Sic Christus descendit in Jordanem & baptizatus fuit, sicut & alii à Johanne baptizati. Atque hujus rei & immersionis typus fuit transitus populi per medium mare: Qua de re 1. *Corinth.* 10. Baptizati (*inquit*) sunt in mari.

2. *Sed secundo* significat etiam simplicem & quamvis ablutionem. Sic Mat. 7 de Pharisaeis ait καὶ ἀπὸ ἀγορᾶς (venientes) ἐάν μὴ βαπτίσωνται, οὐκ ἐσθίουσι. Atque haec etiam actio suam habet ἀναλογίαν ad ablutionem à peccatis: Et hanc tangit Apostolus, dicendo: mundans eam lavacro aquae, &c. Et 1. *Pet.* 3 ait, Baptismum esse, quo non sordes corporis abjiciuntur, sed quo fit ut bona conscientia (purgata scilicet à peccatis) interroget Deum, &c.

3. Hinc colligimus non posse improbari simplicem hanc caeremoniam, qua utimur, ut aqua lavetur caput infantis, seu aspergatur, *Hebr.* 10 abluti corpus aqua munda. Sic Act. 2. à Petro factum fuisse legimus. Cujus rei typus fuit nubes 1. *Cor.* 10. Haec de nomine. Nunc ad partes definitionis.

4. *Baptismus est signum seu signaculum.* Et hoc esto genus in hac definitione. Vidimus enim omne Sacramentum esse signum. Baptismum autem esse Sacramentum supra ostendimus: successit enim Sacramento Circumcisionis, ut Col. 2. liquet.

5. Confirmat autem hoc Apostolus Roman. 4. qui circumcisionem vocavit σφραγῖδα justitiae fidei.

6. *Sic Baptismus est σφραγὶς, signaculum, per quod obsignatur justitia, qua donamur in Baptismate, remissio peccatorum ac regeneratio, denique foedus ipsum.*

Quo fit, ut sicut circumcisio, quia signum fuit foederis, vocata fuit foedus, & omnia Sacramenta nomina tenent earum rerum, quarum sunt signa & Sacramenta, vi panis dicitur corpus Christi & vinum sanguis: Sic etiam Baptismus appellari possit foedus ipsum & regeneratio, quia haec Baptismo obsignatur.

8. Imo & per ipsum Baptismum, tanquam per organum, nobis communicatur remissio peccatorum, seu ablutio à peccatis, regeneratio, & recipimur in foedus Dei: unde & ab Apostolo vocatur *lavacrum regenerationis* ad Titum cap. 3. Et hîc ait, *mundans eam lavacro aquae, &c.*

9.

9. *Ergo est verè signum*, significans & exhibens, & σφραγὶς *obsignans.*

10. Signum autem hoc est ipsa actio, qua quis baptizatur, *id est*, lavatur, &c. Non autem sola aqua. Sic etiam in Coena signum non est panis simpliciter, sed fractus: quia fracti corporis signum est. Sic 1. Cor. 10. *Panis*, non simpliciter, sed *quem frangimus*. Tenemus igitur primam definitionis partem.

11. Quia verò omne signum sacramentumque suam habet certam materiam, quae sub sensum cadit, ideo dicimus, Materiam Baptismi esse aquam, eamque simplicem & mundam. Apostolus hanc tradit, dicendo: *Mundans eam lavacro aquae, &c.* Et Christus sic instituit. Et Apostoli usi sunt aqua. *Johan.* 3. Nisi quis renatus fuerit ex aqua, &c.

12 Errarunt igitur Seleucus & Hermias Galatae, qui (*ut refert Augustinus, de Haeres. cap.* 59.) non baptizabant in aqua, sed (*ut Philaster ait*) baptizabant in igne: non intelligentes dictum Johannis de Christo. *Matt*, 3. Ipse vos baptizabit Spiritu Sancto & igne: loquebatur de efficacitate Spiritus Sancti in regeneratione, quem ipse Christus conferebat Baptismo. Igne enim nihil lavatur: Baptizare autem significat lavare & in aquam immergere lavandi causa. Igne tantùm purgantur metalla.

13. Optime verò aqua congruit: quia Baptismus est Sacramentum regenerationis: regeneratio autem omnis fit ex humido seu ex materia aquosa. Qua de causa philosophi aliquot, ut Thales, principium omnium rerum dixerunt esse aquam.

14. Et quidem debet aqua esse simplex, ut non amittat suam vim lavandi & purgandi: alioquin amitteret analogiam ad rem signatam. Viderint ergo illi quid agant: qui eam rebus à Christo non institutis conspurcant. Hebr. 10. aquam mundam exigit, dicendo, Abluti corpore aqua munda.

15. Caeterum, quia sola aqua aut ablutio per aquam sine verbo non est Sacramentum, ut supra vidimus, accedat enim verbum ad Elementum: & fit Sacramentum: neque ullam habet vim sine verbo: unde Augustinus: Unde tanta vis aquae, ut corpus tangat & cor abluat, nisi à verbo? Non quia dicitur, sed quia creditur: idcirco juxta Christi institutionem addimus verbum. Verbum autem hoc est: Ego te baptizo in nomine Patris, Filii & Spiritus Sancti.

16. Haec verba Scholae vocant Formam Baptismi. Sic enim Christus *Matt.* 28. Euntes praedicate Evangelium, Baptizantes eos, &c. Et sic Apostoli baptizasse credendi sunt.

17. Sed quid quod legimus in Actis, Apostolos baptizasse in nomine Christi? Ambrosius ait, reipsa idem esse, atque baptizasse in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti: quia in Christo est Pater & Spiritus Sanctus. Quidam ajunt, hoc fuisse ex speciali revelatione mandatum Apostolis.

18. Sed neutra sententia placet. Non enim possum adduci, ut credam Apostolos mutasse formam verborum sibi à Christo praescriptam: praesertim cùm voluerit omnes doceri articulum de Deo uno in tribus personis, Patre, Filio & Spiritu Sancto subsistente.

19. Ergo verba illa Lucae bifariam intelligi possunt: *primum* quod Apostoli baptizarint in nomine Christi, *id est*, ex nomine & jussu Christi, *hoc*

est,

est, sicut ille praeceperat. Nomen enim pro mandato saepe accipitur. Et ita hinc potius evincitur, eos non mutasse formam.

20. Verum, quia Rom. 6 legimus, Baptizari in Christum, quod idem est, ideo aliter respondeo: in nomine Christi baptizati sunt: *id est*, Christo tanquam Mediatori obsignati fuerunt: ut haec verba non exprimant formam Baptismi, sed summam effectus Baptismi: Summa autem est, quod per Baptismum ritè juxta Christi institutionem administratum obsignamur Christo, & cum Christo sepelimur, Roman. 6.

21. Baptizati ergo fuerunt in nomen Christi, *id est*, Christo incorporati, obsignati, & Christiani appellati.

22. Baptizati in Christum, *id est,* ut toti in Christum transeamus.

24. Certè Lucas illis verbis noluit referre formam verborum, qua utebantur Apostoli in baptizando: hoc enim erat supervacaneum: sed tantùm voluit narrare, permultos ad praedicationem Apostolorum credidisse in Christum. Et eosdem mox fuisse signo Baptismi obsignatos.

25. Ergo hoc retineamus verbum, de quo loquitur Apostolus, cùm ait, Mundans eam lavacro aquae in verbo, fuisse verbum Evangelii, cujus summam complexus est Christus illis verbis, Baptizantes in nomine Patris, Filii, & Spiritus Sancti.

26. Causa enim salutis nostrae, quae per Evangelium annunciatur, causa, *inquam*, vera ac princeps exprimitur illis verbis, quibus administratur Baptismus, quae est Deus Pater, Filius & Spiritus Sanctus.

27. Instrumentalis seu ministerialis est minister ipse, qui ait, Ego te baptizo &c. verum non in nomen meum, quia non sum autor salutis, sed in nomine Patris, Filii & Spiritus Sancti. Et istae tres personae significabantur illo nomine *Elohim*, sicut οὐσία, nomine Jehovae, in cujus nomine Circumcisio administrabatur.

28. Ergo haec est vera forma verborum, quibus utendum est in Baptismo: nempe, Ego te baptizo in nomine Patris, Filii & Spiritus Sancti.

29. Ideo Pelagius primus jussit, quia in solo nomine Christi baptizati essent, eos rebaptizari in nomine Patris, Filii & Spiritus Sancti. Et Didymus in lib. de Spiritu Sancto ait, Imperfectum esse Baptismum, si aliqua trium personarum omittatur.

30. Sacramentum igitur Baptismi consistit in lavacro aquae, & in verbo hoc Evangelii, quo docetur, quis sit verus Deus, totius nostrae salutis autor. *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.*

III. Cum dictum sit de signo, seu de Sacramento, dicendum est de re hujus Sacramenti. Multa autem complectitur.

31. *Primum*, quod continet Baptismus, est insitio incorporatioque in Christum. Non enim justitiae, remissionis peccatorum & aliorum beneficiorum Christi, quae percipiuntur in Baptismo, fieri quis potest particeps, nisi priùs incorporetur Christo.

32. Ideo verè dicimus, per Baptismum homines Christo incorporari: Et sic 1. *Cor*. 12. In uno Spiritu omnes in unum corpus (cum Christo scilicet) baptizati sumus.

33,

33. Incorporamur autem per Spiritum Sanctum: ideo ait ἐν ἑνὶ πνευμάτι, &c.

34. Ad Roman. verò 6 ait, primum nos baptizatos esse in Christum Jesum: id est, per Baptismum incorporatos & insitos: Deinde ait, Nos, per Baptismum, in mortem ipsius consepultos esse. Declarat, quod dixerat in Christum nos baptizatos esse: in Christum, tanquam mortuum.

35. Hac locutione significat tum remissionem peccatorum (mortuus enim est propter delicta nostra), tum initium regenerationis, quam accipimus à Christo, cui incorporamur, esse ablutionem peccati, per vim Mortis Christi, cui consepelimur. Oportet enim primum mori peccato.

36. Postea subdit, ut, sicut Christus resurrexit in gloriam Patris, sic & nos in novitate vitae ambulemus.

37. Hac altera particula partim denotat nostram justificationem per justitiam Christi, (Resurrexit enim propter justificationem nostram): partim docet, alteram partem regenerationis esse renovationem hominis, quam habemus ex vi resurrectionis Christi.

38. Oportet igitur ante omnia inseri Christo eique incorporari: id quod fit in Baptismo per Spiritum Sanctum: Et quidem incorporari Christo tanquam primum mortuo, & deinde tanquam ei, qui à mortuis resurrexit.

39. Utrumque autem apprehenditur: Fide ab adultis, & his duobus inhaeret fides, unde Rom. 10. Si credideris quod Jesus mortuus est, & quod resurrexit à mortuis, salvus eris.

40. A morte enim Christi haurimus primum remissionem & interitum peccatorum nostrorum, & ad haec peccati inhabitantis mortificationem: à resurrectione autem accipimus tum perfectam justitiam Christi nobis imputatam propter fidem in eum, tum etiam vivificationem nostri, quae est altera pars regenerationis.

41. Nec solum inserimur Christo capiti, sed toti corpori Ecclesiae per Baptismum: recipimur enim in communionem Sanctorum, sicut & in κοινωνίαν cum Christo: non enim separatur caput à corpore. Ideo 1. Cor. 12. omnes baptizati sumus in unum corpus.

42. Praecipua autem pars hujus incorporationis in foedere consistit, quo nos sibi & toti Ecclesiae Christus constringit & unit.

43. A foedere autem duo cum primis fructus in nos derivantur, remissio peccatorum seu ablutio à peccatorum sordibus, & regeneratio (sicut Jer. 31. liquet).

44. Proinde Baptismus, horum duorum cum primis beneficiorum, quae ex incorporatione cum Christo per Baptismum, quod è signo foederis consequitur, Baptismus, inquam, horum est signum & symbolum.

45. De remissione peccatorum ait Apostolus ad Ephes. cap. 5. Mundans eam lavacro aquae, in verbo. De regeneratione ait idem ad Tit 3. Salvos nos fecit, per lavacrum regenerationis & per renovationem Spiritus Sancti.

46. Haec verò duo beneficia (ut dixi), à foedere habemus, in quod Spiritus nos recipit, & quo nos sibi incorporat per Spiritum Sanctum in Baptismo.

47. Quare Baptismus inmediatè sacramentum est incorporationis nostrae cum Christo primum mortuo & deinde à mortuis excitato: & simul signum est foederis, quo illi unimur.

48.

48. *Deinde* est signum horum duorum beneficiorum, remissionis peccatorum & regenerationis, quae ab incorporatione cum Christo & à foedere accipimus.

49. Ex iis verò omnibus sequitur jus vitae aeternae regnique coelorum: quod Sacramento Baptismi, tanquam sigillo, obsignatur. Hoc enim debetur omnibus, qui Christo incorporati & foedere juncti sunt, eoque justificati & renati.

50. Docet hoc Apostolus, qui *Rom.* 5 ait, Nos baptizatos esse in mortem Christi, ut sicut ille, postquam mortuus est, resurrexit in gloriam Patris, sic & nos in novitate vitae ambulemus.

51. Hoc autem Apostoli dictum non tam pro exemplo accipio, quàm pro beneficio, quod à Christi resurrectione percipimus, interpretor, quod, *scilicet*, hoc impetramus ex vi resurrectionis Christi, cum per Baptismum inserimur, ut in novitate vitae ambulemus.

52. Haec autem nova vita incipit quidem hîc, sed perficitur in coelo. Illud enim verbum, *ambulemus*, intelligo de perpetua ambulatione, ut perpetuo ambulemus: item nomen (novitas vitae) perfectam novitatem significat: haec verò in coelo tandem obtinebitur.

53. Facit huc, quod cum Christus baptizatus est, aperti sunt ei coeli. Per Baptismum igitur via nobis in coelum patefit & jus datur vitae aeternae.

54. Hoc jus obsignatur in nobis sigillo Baptismi. Quo pertinet illud *Eph.* 1. Obsignati estis Spiritu promissionis Sancto usque in diem redemtionis. Et illud *Joh* 3. Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei. Hoc itaque jus sigillo Baptismi obsignatur.

55. Denique illis, qui inseruntur & incorporantur Christo, donatur Spiritus Christi, per quem sicut regenerantur & obsignantur ad aeternam vitam, sic etiam foecundantur ad fructus Spiritus proferendos, *hoc est*, ad studium bonorum operum, & restinguitur in eis aestus concupiscentiae.

56. In hujus rei testimonium in Christum baptizatum descendit Spiritus Sanctus. Et ad Titum Apostolus, In Baptismo effundi in nos abundè Spiritum Sanctum per lavacrum regenerationis & regenerationem Spiritus Sancti, quem effudit in eos abundè. Imo Baptismus non est verus & perfectus, nisi ex Spiritu Sancto fiat: Johan. 3. Hujus igitur rei signum est Baptismus aquae, & ad hunc Spiritum Spiritusque effectum suam habet analogiam.

57. Sicut enim aqua faecundat terram ad fructus proferendos & sitim extinguit: Sic etiam Spiritus Sanctus nos ad bona opera facienda idoneos facit, & sitim rerum terrenarum extinguit. Ideo opera bona fructus Spiritus vocantur Galat. 5. & Christus ait, Qui sitit, veniat ad me, & bibat. Item, Qui biberit, non sitiet in aeternum. Hoc autem dicebat de Spiritu, quem accepturi erant credentes, Joh. 7. Ideo in Sacris Literis saepissimè Spiritus Sanctus nomine aquae significatur.

58. Haec omnia simul conjuncta sunt illa res signata, cujus signum est Sacramentum Baptismi, seu aquae aspersio, vel in aquam immersio.

Sic igitur concludamus. Harum rerum omnium signum & sigillum esse Baptismum, seu lavacrum aquae in verbo.

59. *Primò* & immediatè signum est ac symbolum nostrae in Christum tanquam in caput, eoque in totum corpus ipsius, quod est Ecclesia, insitionis & incorporationis. Et huc faciunt duo praecipua Apostoli testimonia: unum *Rom.* 6. Quod in Christum Jesum baptizati simus, quasi dicat, insiti, incorporati, & ut toti in illum transeamus. Alterum 1. *Cor.* 12. Omnes in uno Spiritu in unum corpus baptizati sumus.

60. *Secundò*, Est signum ex Consequenti Foederis, quo Christo obstricti & obligati sumus: & per ipsum Deo Patri & Spiritui Sancto. Et huc pertinent duo illa dicta: *Primum*, quod Coloss. 2. Apostolus docet, Baptismum successisse circumcisioni. Ut igitur illa ita fuit signum foederis, ut etiam foedus ipsum fuerit appellata: sic etiam Baptismus aquae signum est foederis novi cum Deo Patre, Filio & Spiritu Sancto. *Alterum*, quod baptizamur in nomen Patris, Filii & Spiritus Sancti: quasi dicat foedere illis obstringimur: Et in hujus rei testimonium Aqua Baptismi illis obsignamur. Et ideo etiam infantes fidelium baptizantur: quid ita? quia sunt in foedere: Est igitur baptismus aquae signum foederis.

61. *Tertiò*, Ex consequenti signum est remissionis peccatorum nostraeque justificationis, quam ex foedere & ex incorporatione cum Christo consequimur. Et huc pertinent haec praecipua loca: 1. quod Apostolus ait, ut eam sanctificaret, Mundans eam lavacro aquae in verbo. 2. quod dicitur in Sacris Literis, Baptismum dari in remissionem peccatorum: Et sic in Symbolo majori, Credo unum Baptisma in remissionem peccatorum.

62. *Quartò*, Ex consequenti etiam signum est nostrae regenerationis, quae constat mortificatione veteris hominis, ut moriamur peccato, & renovatione spiritus atque animi in novam vitam, ut vivamus Deo, quorum *unum* pendet & in nos derivatur à vi mortis Christi, *alterum* à vi resurrectionis. Et huc pertinent haec loca. 1. quod ad Titum 3. vocatur lavacrum regenerationis. Et *Joh.* 3. Nisi quis renatus fuerit ex aqua, &c. quod Rom. 6. dicimur baptizati esse in mortem Christi, et consepulti cum illo: ut sicut ille resurrexit in gloriam Patris, sic & nos in novitate vitae ambulemus.

63. *Quintò*, Hinc etiam sequitur signum esse & sigillum, quo obsignatur in nobis jus vitae aeternae atque coelestis regni. Et huc pertinent loca: 1. *Joh.* 3. Nisi quis renatus fuerit, non ingredietur in regnum coelorum. Qui igitur renatus est, introibit in regnum Dei; 2. quod *Ephes.* 1. dicimur obsignati Spiritu in diem redemtionis: & procul dubio alludebat ad Baptismum, ut supra exposuimus. *Item*, quod in Baptismo Christi aperti sunt coeli, &c.

64. *Sextò*, Signum est aquae coelestis, *id est*, Spiritus Sancti, quo in Baptismate ad sitim rerum terrenarum restinguendam & corda nostra ad studium bonorum operum irriganda donamur. Quò pertinent haec: 1. quod Spiritus descendit supra caput Christi, cum baptizaretur. 2. quod baptizati dicuntur recepisse Spiritum Sanctum. 3. quod Spiritus Domini incubabat aquis, Gen. 1. Denique quod Christus dicitur baptizare in Spiritu Sancto & igne.

65. Quare cum baptismus, quo fuimus baptizati, sit harum rerum omnium signum, & non nudum signum, sed rerum, quarum signum est, exhibitivum: debemus memores nostri Baptismi in fide ac spe certae salutis nostrae con-

 fir-

firmari: adeoque & ad studium bonorum operum, moriendi peccatis, & in novitate vitae ambulandi, unitatemque Ecclesiae, cui insiti sumus, colendi, excitari: operamque dare ne mores Judaeorum, Turcarum aliorumque profanorum hominum sequamur. Est enim Baptismus tessera etiam, quo ab omnibus infidelibus profanisque gentibus discernimur: Et qua profitemur nos esse membra Christi, eoque nos cum illo morituros peccato, & soli Deo victuros.

Hinc igitur sic componamus Baptismi definitionem.

66. Baptismus est sacrum signum atque sigillum, constans lavacro aquae & verbo, quo tum adulti resipiscentes fidemque ac religionem Christi profitentes, tum etiam fidelium infantes recepti in foedus Dei propter Christum, in Christum ipsum, adeoque in ejus mortem ac resurrectionem, ut à peccatis abluti peccatoque mortui in novitate vitae ambulemus, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti baptizamur, eique incorporamur & obsignamur; ac proinde, quo remissionem peccatorum consecuti per Spiritum Sanctum in novas creaturas regeneramur, Ecclesiaeque sanctorum in unum corpus inserimur: ac jure aeternae vitae propter Christum donati in diem perfectae redemtionis per eundem Spiritum Sanctum obsignamur. Et quo denique, tanquam Tessera, ab omnibus aliis gentibus discreti nos Christianos esse & cum Christo semel mortuos ac resuscitatos nolle amplius vivere peccato sed Deo, ad gloriam nominis ejus & ad aedificationem Ecclesiae, publicè profitemur.

Complexus mihi videor omnia, quae ad plenam Baptismi descriptionem pertinebant. Singula autem supra à nobis fuerunt explicata & confirmata. Non est igitur necesse ut quidquam praeterea ad definitionem Baptismi addam.

Baptismus est tinctio in aqua, qua in nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti in fidem & in gregem Christi ordinemque innovandorum Spiritu recipiuntur qui tinguntur, donata eis remissione omnium peccatorum.

Atque de primo capite satis.

CAPUT II.

Quotuplex sit Baptismus.

Damascenus de fide Orthodoxa, libro 4. capite de Baptismo, octo constituit Baptismatum genera.

1. *Primus* Baptismus fuit illud aquarum diluvium, quo Deus *una* ex parte ultus est peccata Mundi, & ex *altera* servavit Noah cum sua familia in Arca. Qua de re 1. Pet. 3. Typum enim fuisse nostri Baptismi, quo servantur quicunque in Arcam Ecclesiae recipiuntur, docet.

2. *Secundus* fuit, cum per mare rubrum transiit populus Israël, nube desuper illum tegente, & servatus est à manibus Pharaonis: Contra vero Pharao cum suis ibi submersus est: de quo Baptismo 1. Cor. 10. Typus etiam fuit nostri Baptismi, in quo hostes nostri & peccata interimuntur, nos verò servamur per aquam & per Spiritum Sanctum, qui per nubem significabatur.

3. *Tertius* fuit legalis: legalis, *scilicet*, ablutionis per aquam; quâ purificabantur & mundabantur omnes, qui reputabantur immundi. Fuerunt etiam illae puri-

purificationes typi nostri Baptismi. Et ad has allusisse volunt Apostolum cum dixit, Mundans eam lavacro aquae. Et *Heb.* 10. Abluite corpus aqua munda.

4. *Quartus* (de sententia Damasceni) fuit Baptismus Johannis in Jordane, quo praeparabat populum ad Christum per poenitentiam. Distinguit enim illum à Baptismo Christi.

5. *Quintus* est Baptismus à Christo institutus. Vult autem tunc fuisse institutum, cùm ipse in Jordane fuit à Johanne baptizatus, quod tunc illum sanctificaverit, & cum praesentia Spiritus Sancti tum vox Patris de coelo confirmarit.

6. *Sextum* ait esse Baptismum lacrymarum poenitentiae. Et hoc Baptismo fuisse baptizatam illam peccatricem, de qua in Evang. Lucae cap. 7. quae lacrymis rigavit pedes Jesu.

7. *Septimum* ait esse Baptismum sanguinis, quo Martyres propter veritatis confessionem baptizantur: quo baptismatis genere multi, qui non fuerunt tincti aqua, baptizati & remissionem peccatorum consecuti fuisse leguntur: ut liquet in historia Ecclesiastica. De quo Baptismi genere etiam Christus loquebatur, cùm dixit, Potestis Baptismo baptizari, quo ego baptizor?

8. *Octavum* ait futurum in igne, cùm, *scilicet*, Deus sub adventum Christi ad judicium totum mundum purgabit. Qua de re 2. Pet. 3. Haec ex Damasceno placuit recitare: etiamsi non omnia probem.

9. Recepta verò est distinctio triplicis Baptismi: quorum unum vocant Baptismum fluminis, *id est*, aquae. De quo *Eph.* 5. Lavacro aquae. *Alterum*, Baptismum flaminis, *id est*, Spiritus Sancti, quo multi purgati fuerunt à peccatis, etiam antequam baptizarentur aqua: sicut de Cornelio in Actis liquet c. 10. Ac sine hoc Baptismus aquae nihil ad salutem prodest: ideò Christus, cùm dixisset, Nisi quis renatus fuerit ex aqua, adjecit, & Spiritu, Sancto nimirum. Vocant Baptismum sanguinis, de quo Christus, Potestis baptismo baptizari, quo ego baptizor? ut supra retuli. Atque horum fieri mentionem volunt ab Apostolo ad Heb. 6. cùm in plurali dixit, Baptismatum doctrinae. In Catechismo enim solitos fuisse infantes doceri praeter Baptismum aquae dari etiam alia duo baptismatum genera.

10. Sed, inquies, si tria sunt Baptismata, quomodo ergo dicit Apostolus *Eph.* 4. Unum baptisma? Respondeo, in illo unico baptismo sunt haec tria: 1. *aqua*, ut manifestum est. 2. *Sanguis*, quia vis baptismi est à sanguine Christi. 1 Joh. 1. Sanguis ejus lavat nos ab omni peccato. 3. *Spiritus*, quia nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu, non introibit in regnum coelorum. Non est autem absurdum, ut partes unius baptismi separentur & seorsim inveniantur.

11. Quamquam enim vis sanguinis Christi & efficacia Spiritus Sancti non separantur: quia nemo potest baptizari in Spiritu, quin etiam lavetur sanguine Christi, & contra: tamen multi baptizantur sola aqua. Alii solo Spiritu, sine effusione sui proprii sanguinis, quanquam non sine sanguine Christi. Baptismus autem, qui fit nostro proprio sanguine, vim accipit à sanguine Christi, quatenus propter Christum patimur, in quem credimus & cujus sanguinem fide apprehendimus. Nulla igitur est pugnantia in eo, quod dicimus

esse

esse unum tantum Baptismum, & quod tres constituimus, cum sint partes illius unius. Quod verò in unico Baptismo, de quo agimus, insint omnes illae partes, de quibus diximus, Aqua, Sanguis, & Spiritus, scriptura testatur.

1. Vis Baptismi ex latere Christi est: inde autem exivit sanguis & aqua: neuter verò fuit sine Spiritu, neque efficaciam in nobis habet, nisi per Spiritum.

2. 1 *Joh.* 5. Venisse dicitur Christus in aqua, sanguine & Spiritu. Venit autem ad Gentes per haec tria: ut nos doceret, suo quidem sanguine partam esse salutem nostram, communicari verò per Spiritum Sanctum lavacro aquae in verbo.

3. Et scriptura apertè dicit nos à peccatis lavari in sanguine Christi. *Item*, renasci ex aqua & Spiritu Sancto. Dubitari igitur non potest, quin in perfecto baptismate insint haec tria, Spiritus, aqua & sanguis. Sanguis id propriè est, quo à peccatis lavamur: Aqua aspersa corpusque lavans hujus rei Symbolum ac Sacramentum est: Spiritus autem is est, per quem sanguis applicatur, & qui efficaciter operatur in nobis ministerio verbi & aquae.

12. Quin & divinae Trinitatis, Patris, *scilicet*, & Filii & Spiritus Sancti, in quorum nomen baptizamur, vestigium quoddam existit in baptismo, qui (ut dixi) fit per Spiritum, sanguinem & aquam. Deus est Spiritus: Filius manifestus est in carne, eoque in sanguine: Spiritus Sanctus aqua nominatur. Cùm igitur haec tria: Spiritus, sanguis & aqua, tres sint partes baptismi: mirum non est, quod à singulis singula illa tria baptismatum genera orta sint, Flaminis, fluminis, sanguinis.

13. Caeterum ex eo quod unum, duntaxat, revera est Sacramentum Baptismi, ut *Eph.* 4. legimus & in Symbolo confitemur: colligit Damascenus & alii Patres, Baptismum semel ritè acceptum repetendum non esse: Et qui repetunt, eos sibi Christum denuo crucifigere. Baptizamur enim in mortem & resurrectionem Christi: Ac de hac re locutum esse Apostolum docent, cùm dixit ad *Heb.* 6. Impossibile est eos, qui semel alluminati sunt (gratia, scilicet, suscepti baptismatis) rursus renovari ad poenitentiam (renovari, *scilicet*, per iteratam Baptismi susceptionem). Sic illi explicant. Atque haec est *prima* ratio, cur non sit iterandus seu repetendus Baptismus: quia, *scilicet,* unum est Baptisma.

14. *Secunda*, quia baptizamur in mortem Christi, Rom. 6. Christus autem semel mortuus est. Qui igitur repetunt denuo Cbristum occidi posse profitentur, imo (*ut ait Apostolus*) Christum sibi denuo crucifigunt.

15. *Tertia:* quia Baptismus est Sacramentum regenerationis. Semel autem quisque tantum, sicut nascitur, sic etiam renascitur. Non est igitur Sacramentum regenerationis repetendum. Sicut contra ideo repetendum est Sacramentum Coenae, in quo nutrimur carne & sanguine Christi, quia alimentum saepe resumendum est.

16. *Quarta ratio:* quia Baptismi Sacramentum successit circumcisioni: Atqui circumcisio semel tantum fiebat, nec repetebatur aut repeti poterat: neque igitur repetendus est Baptismus: intelligitur, si sit ritè administratus, *id est,* si sit verus Christi Baptismus & juxta institutionem Christi exhibitus. Est autem illud verum & Christianum Baptismi sacramentum, quod constat aqua,

&

& forma hac verborum, *Baptizate in nomine Patris, Filii & Spiritus Sancti.* Ac proinde praecedere debet in adultis doctrina & cognitio hujus veri Dei, fideique in Patrem Filium & in Spiritum Sanctum professio.

17. Nam si quis baptizatur tantum in nomen Dei in genere, non explicatis personis, aut tantum in nomen Patris, vel tantum in nomen Filii, seu Christi, vel in nomine Patris & Filii, sed omissa persona Spiritus Sancti: is vero Christi baptismate non obsignatus est.

18. Hinc sequitur, si talis denuo rite tingatur ac baptizetur, non repeti Baptismum Christi, qui unus tantum est & semel tantummodo confertur: sed eum baptizari vero Christi baptismate, qui non fuerat juxta Christi institutionem baptizatus.

19. Atque haec est doctrina veteris Ecclesiae: quae, si qui fuissent ab illis haereticis, puta à Novatianis vel Donatistis, baptizati, qui sinceri erant in doctrina de Trinitate & rite baptizabant in nomine Patris Filii & Spiritus Sancti: eos non rebaptizabat, quia vero Christi baptismate baptizati fuerant. Sed si baptizati fuissent ab illis, qui rectam de Trinitate doctrinam non tradebant, uti fuerunt Marcionitae, Cataphrygae, Samosateniani, Ariani, Pneumatomachi & similes: Eos, ad Ecclesiam Catholicam reversos, tanquam non baptizatos baptizabant.

20. Et hac de re decretum extat in Concilio Nicaeno capite 16. Sic Pelagius primus Papa scripsit ad Gaudentium Episcopum, ut qui baptizati simpliciter essent tantum in nomine Christi, & non in nomine Trinitatis, Patris Filii & Spiritus Sancti: eos tanquam non baptizatos baptizaret in nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti. Et Didymus lib de Spiritu Sancto, Baptismum Christi non esse scribit, si aliqua persona Trinitatis omittatur in Baptismo. Vide & in Decret. de consecr. distinct. 4. *Can.* 28, 80, 81, 82.

21. Pertinet huc locus in Actis de iis 12 discipulis, quos a Paulo baptizatos fuisse legimus.

22. Quam variae in hunc locum fuerint allatae interpretationes, nemo est qui nesciat. Ego sine ullius praejudicio sequor Ambrosii tanquam simpliciorem & cum contextu (*meo quidem judicio*) magis congruentem interpretationem: nempe illos 12 tanquam antea non baptizatos, & in doctrina de persona Spiritus Sancti non rectè institutos, ac proinde non ablutos sed sordidatos, a Paulo porro prius edoctos, & postea vera Baptismi forma in nomen Christi, *id est,* in Christum ipsum baptizatos fuisse, *id est*, Christo insitos & consecratos.

23. Constat enim ex contextu eos non fuisse in doctrina de Trinitate rectè institutos, & de persona Spiritus Sancti non rectè sensisse *Primum* Paulus hoc olfecit, forte ex colloquiis cum ipsis habitis, forte etiam ex aliorum fratrum Gentilium relatione. Quorsum enim hos tantum duodecim & non alios interrogavit, an acceperint Spiritum Sanctum postquam fidem professi sunt?

24. Et certè ex genere Gentis, ex qua erant, probabile id est. Erant enim ex Judaismo: Judaei autem, nisi qui fuissent benè instituti, non facilè admittebant tot personas in Deo. Fortè isti admittebant Jesum esse Messiam. Et quidem talem, in quo habitaret Deus Pater, non autem eum pro Deo vero, multo vero minus Spiritum Sanctum agnovisse videntur.

25.

25. Hoc liquet ex ipsorum verbis, quum dicant, se etiam nescire an sit Spiritus Sanctus. Quod dictum de donis illis, quibus soliti erant donari credentes, non possum simpliciter intelligere. Erant enim omnibus nota, & cadebant sub sensum: quomodo potuissent dicere isti, nescimus an talia dona Spiritus Sancti dona sint, *id est*, Spiritu Dei communicentur, cum passim omnes verè credentes & baptizati in Christum Jesum acciperent talia dona? De Spiritus Sancti igitur persona intelligendum est illud dictum.

26. Et sanè verbum illud *sit* confirmat quod dico. Nam de donis aliter respondissent, nempe, sed nescimus etiam an talia Spiritus dona cuipiam communicentur: non sic autem respondent: Sed nescimus an sit, *id est*, an existat talis Spiritus, *id est*, persona Spiritus, quae Deus sit: quasi dicant, tantùm abest ut haec dona acceperimus, ut nesciamus etiam, an, qui praedicatur horum donorum autor, Spiritus sit, *id est*, existat, & sit ὑφιστάμενον à Jehova Patre & à Filio distinctum.

27. Paulus igitur, cùm intellexisset una ex parte eos fuisse baptizatos & nomen Christo tanquam Messiae dedisse, nam isti duodecim inter discipulos Christi habebantur: Ex altera autem parte eos in doctrina de Trinitate animadverteret non esse bene institutos: admiratus interrogavit, Num πιστεύσαντες (nempe in Patrem Filium & Spiritum Sanctum) dona hujus Spiritus accepissent?

28. Verae intelligentiae hujus loci magnam lucem adfert illud verbum πιστεύσαντες, si addas id, in quod credendum illis fuit, nempe, non in solum nomen Patris, nec in solum nomen Filii, sed & in nomen Spiritus Sancti: hoc enim demum est verè credere in Christum, si verè credas in Patrem Filium & in Spiritum Sanctum.

29. Haec itaque est Pauli interrogatio: Num πιστεύσαντες in nomen etiam Spiritus Sancti ipsius dona accepissent? quid illi? non respondent de donis, sed de autore donorum, se nescire etiam an sit, *id est*, an existat talis Spiritus, qui sit Deus, distinctus à Patre & à Filio Jesu Christo, & qui sit autor horum donorum.

30. Hoc igitur animadvertens Apostolus facilè intellexit eos non fuisse vero Christi baptismate baptizatos: eoque in doctrina de tribus personis, in quorum nomen Baptismus Christi datur, non fuisse institutos. Ideo subjecit de Baptismo, dicendo, In quid baptizati estis? quasi dicat, Audio vos fuisse baptizatos & Christo nomen dedisse: ac proinde inter discipulos Christi video vos connumerari: sed alia ex parte video vos non tenere doctrinam de Trinitate integram, quia ignoratis an sit Spiritus Sanctus: id quod certè non ignoraretis, si verum Christi Baptismum suscepissetis, qui conferri non solet nec debet, nisi in eos, qui verè credunt non solum in Patrem & in Filium, verùm etiam in Spiritum Sanctum, qui est utriusque Spiritus. Cùm igitur non credatis in Spiritum Sanctum, quem dicitis à vobis, an sit, ignorari, apparet vos non fuisse baptizatos vero Christi Baptismo, in nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti. In quid igitur baptizati estis: Et juxta quam doctrinam? Respondent, In Johannis Baptisma: Nomen Baptismatis complectitur & doctrinam simul & signum, *id est*, lavacrum aquae. Haec fuit illorum responsio.

31. Quid Apostolus? Evincit eos ne Johannis quidem Baptismate fuisse bap-

baptizatos. Unde evincit? à doctrina, quam tradiderat Johannes de Christo Filio Dei, deque ejus Patre, cujus vocem audierat in Baptismate, & de Sancto utriusque Spiritu, qui in specie columbae apparuit supra Jesum.

32. Argumentum autem tale est Apostoli: Si fuissetis vero Joannis Baptismate baptizati, utique cognosceretis Spiritum Sanctum, & in eum crederetis. Sicut enim idem fuit lavacrum aquae Joanni & Christo, sic etiam eadem doctrina de Trinitate totaque salute: Et non minus Joannes praedicabat Spiritum Sanctum esse Deum & in eum credendum esse, quàm Christus. Atqui vos fatemini nescire vos an etiam sit Spiritus Sanctus. Ergo &c.

33. Sed tantùm majorem propositionem hujus Syllogismi refert Lucas, eamque etiam non integram, ut fieri solet à Prophetis & Evangelistis, qui tantùm summam attigisse contenti erant. Hanc verò majorem ibi habet, ubi dicit Paulum sic respondisse, Ιοάννης μέν ἐβάπτισε, &c. Summa est, Joannem praedicasse, ut crederent in Jesum Christum (qualem *scilicet* seipsum patefecit: patefecit autem se unum esse cum Patre & Spiritu Sancto Deum: ita ut nemo dici verè possit credere in Jesum Christum, nisi etiam credat in Patrem ejus & in Spiritum Sanctum). Haec est summa majoris. Minor seu assumptio omissa est: sed debuit haec esse, ὑμεῖς δε non creditis verè in Jesum Christum, quia non creditis in Spiritum Sanctum, qui est Spiritus Patris & Filii, cum illum ignoretis: Ergo, etc.

34. Ita illi priori particulae μέν, Ιωάννης μέν, in versu quarto, non respondet δε, quod postea sequitur in versu quinto, ubi non amplius loquitur Paulus, sed Lucas: sed aliud δε, quod, *scilicet*, erat in minori propositione Pauli, respondet: Sequebatur illatio. Ergo non estis baptizati vero Joannis baptismate, quod idem fuit cum baptismo Christi. Quid igitur restat? Hoc certè, ut rectius instituamini in doctrina de Deo Patre Filio & Spiritu Sancto. Et ita in hujus Dei nomen baptizemini. Hoc enim modo verè baptizati eritis in Christum, qui est unus cum Patre & cum Spiritu Sancto Deus. Et ita credendum est Apostolum eos instituisse. Illi verò, ubi audiverunt & perceperunt doctrinam de Trinitate, baptizati sunt, ut Lucas loquitur.

Summa igitur haec est: Illos, qui non sunt baptizati in nomen etiam Spiritus Sancti, eoque in eum non crediderunt, non fuisse verè baptizatos, ac proinde baptizari postea potuisse & debuisse. Atqui illi duodecim non crediderunt in Spiritum Sanctum, quem non noverant, eoque nec in ejus nomen fuerunt baptizati. Ergo &c. Hoc autem non est repetere Baptismum.

35. De hoc eodem argumento, unicum, *scilicet*, duntaxat esse Baptismum, ac proinde, si ritè sit administratus, non esse iterandum scripsit Augustinus T. 7. lib. 7. contra Donatistas.

CAPUT III.

De usu & effectis Baptismi.

Ex iis, quae diximus partim de Sacramentis in genere partim de Baptismo, tùm in primo tùm etiam in secundo capite, facile etiam est videre, ad quid in-

institutus sit Baptismus. Triplicem usum constituimus omnium Sacramentorum. Ad hunc igitur triplicem usum institutum esse Baptismum concludimus.

Dicam de primo, postea de aliis duobus.

1. Primus igitur ac praecipuus est, ut per Baptismum, tanquam per organum, excitata in nobis fide, tum verbo tum signo aquae Christo incorporemur, tanquam membra capiti, aeternoque foedere cum illo conjungamur: Ac proinde omnium bonorum ac beneficiorum, quae suo sanguine nobis comparavit, fiamus re ipsa participes.

2. Per Baptismum nos Christo incorporari ostendimus ex 1. *Cor.* 12. In unum corpus baptizati sumus. Atque hanc incorporationem significari illis locutionibus, Baptizamur in Christum inque nomen Christi: Item, per Baptismum sepeliri cum Christo, & baptizari in ejus mortem & resurrectionem, *id est*, in eum mortuum & resuscitatum.

3. Esse quoque signum & organum, quo in unum cum Christo consociamur & foedere jungimur sempiterno, demonstravimus inde, quia successit circumcisioni, quia fuit signum foederis. Item, quia in Baptismo sanguine Christi lavamur: is autem sanguis non foederis sive testamenti appellatur. Ideo in Coena confirmatur foedus sumtione corporis & sanguinis Christi. Dubitandum igitur non est, quin Baptismus organum sit Spiritus Sancti, per quod aeterno foedere Christo incorporamur.

4. Quae autem beneficia ex ista incorporatione consequantur supra itidem ostendimus. Primum est remissio peccatorum omnium. Ideo dari in remissionem peccatorum apud Evangelistas & in Actis legimus: Et in Symbolo dicimus, Confiteor unum Baptisma in remissionem peccatorum, Et Ezech. 36. Effundam super vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus iniquitatibus vestris. Hanc expressit Apostolus dicendo: Mundans eam lavacro aquae in verbo. Et Rom. 6: In mortem ipsius baptizati estis. Et mox: sic & vos existimate, vos mortuos esse peccato.

5. Et ratio hoc concludit, quia si incorporamur Christo per Baptismum, & fimus cum eo una caro & unus sanguis, sanguis autem Christi effusus est in remissionem peccatorum omnium: Ergo ex incorporatione cum Christo remissionem peccatorum omnium consequimur.

6. Quare Baptismus in hunc usum institutus est, ut per eum, tanquam per organum, remissionem peccatorum consequamur: Ac proinde, ut ab omni etiam reatu poenae peccato debitae liberemur.

7. Per incorporationem enim cum Christo tota illius passio nostra fit, quia fimus una caro & unus sanguis: passione autem Christi omnis poena peccato debita sublata est, & totum Chirographum debiti fractum, & mors interempta. Hoc est primum beneficium, quod ex incorporatione cum Christo, quae fit per Baptismum, consequimur.

8. Sed dices, manet tamen fidelibus mors & afflictiones multae, quae propter peccatum ingressae sunt in mundum: imo manet etiam peccatum in nobis inhabitans: quomodo igitur per Baptismum tollitur omne peccatum, & omnis poena peccato debita?

Respondeo, ad peccatum inhabitans quod attinet, hoc etiam tollitur per

Bap-

Baptismum: sed quomodo? primo, quia non imputatur: manet actu, sed tollitur reatu: nihil enim damnationis est iis, qui sunt in Christo Jesu &c. Roman. 8. Secundo, quia quotidie magis ac magis mortificatur *Rom.* 6. vetus homo noster cum eo (*Christo*) crucifixus est, ut destruatur corpus peccati, & ultra non serviamus peccato. Tertio, quia tandem etiam penitus in morte tolletur vi ejusdem sanguinis Christi, quo lavamur in Baptismo.

9. Totum verò hoc obsignatur symbolo Baptismi. Ergo licet maneat in nobis peccatum inhabitans: iis tamen de causis meritò dicitur tolli per Baptismum. Multi etiam Tyranni expugnantur, sed non statim occiduntur: verum, quo illustrior fiat gloria victoris, illi sinuntur vivere ad tempus, non ut regnent, non ut possint nocere, sed ut vincti cum dedecore serventur in carcere, variisque poenis afficiantur: tandem verò penitus etiam evertantur & tollantur e vita, sicut de Adonibezeco ab Israëlitis expugnato & capto legimus in lib. Jud. c. 1. Relinquitur ergo peccatum, ut inhabitet in eo, qui per baptismum consecutus est remissionem peccatorum omnium, verum non ut regnet, sed ut renatus quotidie illud vexet, illi insultet, illud affligat, manus & pedes, sicut Adinobezeco accidit, mortificet, donec tandem gloriosus de illo triumphet. Ita in ipso totum etiam hoc quod in carne remanet sublatum est.

10. De afflictionibus praesentis vitae deque morte idem respondemus. Manent adhuc, sed ad majorem nostram gloriam: ut iis peccatum inhabitans mortificetur, fides nostra atque pietas exerceatur & augeatur. Sed tandem ut ejusdem baptismi ratione, quae tota à Christi sanguine est, tollentur penitus omnes afflictiones, & mors ipsa corporis. Baptizati enim sumus non solùm in mortem, sed etiam in resurrectionem ejus: ut & nos post mortem cum illo ad aeternam vitam resurgamus. Interim sicut caput Christus, licet sine ullo esset peccato, pugnavit tamen cum omnibus iis nostris malis, donec tandem de omnibus triumphavit: sic nobis etiam agendum est, ne membra dissimilia sint capiti. Quò illud Apostoli *Rom.* 8. Siquidem compatimur, ut & conglorificemur.

Atque haec de primo beneficio, quod ex incorporatione cum Christo, quae fit in Baptismo, *hoc est*, de remissione peccatorum omnium, deque liberatione ab omni poena peccato debita, quomodo & quatenus eam consequamur in baptismo, satis.

11. Alterum beneficium est Gratia regenerationis. Insiti enim per Baptismum ipsi Christo in naturam ejus mutamur: fimusque divinae ejus naturae participes: caro de carne ejus &c. *Joh.* 1. De plenitudine ejus nos omnes accepimus gratiam super gratiam. Est igitur in hunc etiam usum institutus Baptismus, ut sit organum regenerationis nostrae: qua de causa lavacrum Regenerationis vocatur *Tit.* 3.

12. Tertium beneficium est Jus aeternae vitae regnique coelestis. Ex incorporatione enim per Baptismum facta renati & facti filii Dei fimus etiam haeredes regni coelestis: Et si filii & haeredes (inquit Apostolus *Rom.* 8) haeredes quidem Dei, cohaeredes autem Christi. Ideo in baptismo Christi aperti sunt coeli, ut significaretur omnibus, qui in Christum baptizantur, ostium in regnum coelorum aperiri. Sicut contra, Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto non potest introire in regnum coelorum. Est igitur institutus

Bap-

Baptismus, ut nobis sit janua aperta in regnum coelorum: ut ibi sint membra ubi & caput Christus, cui per Baptismum inserimur.

13. Quartum est ampla Spiritus Sancti effusio super nos, cum ipsius donis, fide, spe & charitate aliisque virtutibus. Nam insiti Christo per Baptismum replemur ejus Spiritu. *Joh.* 1. de plenitudine ejus nos omnes accepimus. *Tit.* 3. Per lavacrum regenerationis & renovationem Spiritus Sancti, quem effudit in nos abundè. In hujus rei testimonium Spiritus Sanctus descendit super Christum baptizatum. Quod super caput factum est visibili ratione, id fit super omnia membra invisibili modo.

14. Ac proinde etiam infantes fidelium recipiunt Spiritum Sanctum, Spiritum regenerantem, Spiritum fidei & charitatis, sicut remissionem peccatorum & jus aeternae vitae: quando & ipsi fiunt membra Christi, cùm sint in foedere. Augustinus in Enchirid. (Parvuli renascendo moriuntur illi peccato, quod nascendo contraxerunt.)

15. Neque enim, quia propter defectum aetatis credere non possunt, ideo destituuntur Spiritu fidei, per quem regenerantur: sicut neque sequitur, quia non possunt adhuc uti ratione, ideo eos mente rationeque carere.

16. Adde iis omnibus incorporationem in corpus totius Ecclesiae Sanctorum: de quo 1. *Cor.* 12. Omnes in unum corpus baptizati sumus.

17. Ex incorporatione enim cum Christo capite sequitur incorporatio cum tota Ecclesia sanctorum: de quo *Ephes.* 5. Mundans eam lavacro aquae in verbo. Ex quo sequitur, cùm etiam pueri fidelium membra sint Ecclesiae, eos quoque mundari à Christo lavacro aquae in verbo: omniaque alia beneficia, de quibus diximus, consequi.

18. Hic est primus ac praecipuus usus, propter quem institutus est & confertur Baptismus: ut, *scilicet*, per hunc, tanquam per organum, Christo incorporati omnia praeterea beneficia consequamur: non quod sint alligata huic Sacramento, quasi absque hujus perceptione nemo Christo incorporari & salutis particeps fieri possit, sed quia placuit Christo, & sic solet uti hoc Sacramento tanquam organo, ad nos à peccatis mundandos atque servandos: stat enim verbum Apostoli, Mundans eam lavacro aquae in verbo.

19. Caeterum, multos etiam sine Baptismo aquae (modò absit contemtus & omnis negligentia) servatos fuisse servarique posse extra controversiam est apud eruditos & pios viros. Abrahamus certè ante Sacramentum circumcisionis fuit justificatus sola fide. Cornelius etiam ante perceptum baptismum fuit etiam justificatus sola fide, & accepit Spiritum Sanctum. Actor. 10. Et Christus aperte ait, Qui credit in me habet vitam aeternam. Scholae etiam docent praeter Baptismum fluminis dari Baptismum sanguinis & flaminis, id est, Spiritus Sancti. Ac in historiis Ecclesiasticis de multis, qui cum non potuerint baptismo aquae baptizari, solo baptismo sanguinis & flaminis servatos fuisse legimus: alios etiam sine sanguine sola fide & solo Spiritus Baptismo.

20. Haec cùm se ita habeant, nascitur hinc quaestio: Si ante tinctionem in aqua adulti omnes, simulac credant Evangelio, per fidem Christo inseruntur & praedictorum beneficiorum participes fiunt: quorsum igitur postea acceditur ad Baptismum, ad quid prodest, & quis est ejus usus?

Re-

Respondeo: *primum*: Etiam post incorporationem cum Christo per fidem, postque perceptam remissionem peccatorum, accedendum etiam esse ad perceptionem Sacramenti constat vel propter solum mandatum Christi, qui utrumque exigit, & ut credamus in eum, & ut baptizemur in nomine Patris Filii & Spiritus Sancti, *Matt.* 28. Certe qui hoc mandatum contemnit aut negligit, se neque etiam credere in Christum manifestè declarat: obedientia enim à fide non separatur.

21. Sed & exempla confirment. Abraham justus primò fuit, deinde etiam Sacramentum Circumcisionis accepit. Paulus primùm credidit & Spiritum Sanctum accepit: audivit tamen ab Anania, ut surgeret & ablueret peccata sua baptismo. Cornelius item, licet primùm acceperit Spiritum Sanctum, postea tamen baptismum quoque suscepit. Eunuchus quoque postquam credidisset & jam esset justificatus, fuit tamen à Philippo baptizatus.

22. Frustra verò non dari suisque fructibus non carere etiam manifestum est. Primùm enim, licet per fidem arcana Spiritus Sancti actione incorporatus sis Christo & Ecclesiae sanctorum: postea tamen visibili quoque signo magis ac magis incorporaris: incorporatus eras invisibiliter Christo & Ecclesiae invisibili, postmodum incorporaris visibiliter, & tota visibili Ecclesia spectante: docet hoc Apostolus, cum ait ad *Rom.* 6. per Baptismum nos inseri in Christum & cum illo consepeliri. Et 1. *Cor.* 12. Omnes in unum corpus baptizati sumus.

23. Non est autem parum, quod visibilis haec incorporatio accedat illi invisibili. Matrimonium inter virum & mulierem solo consensu contrahitur: quantum tamen momenti adfert visibilis & publica ceremonia, qua nuptiae celebrantur? Aliquis etiam creatur Imperator sola scilicet Electorum secreta electione: non parum tamen interest Electi Imperatoris, si etiam visibilis & publica inauguratio & coronatio accedat: Quod enim inchoatum erat, perficitur: Et quod occultum fit omnibus manifestum: Et quod privatum publicum.

24. *Secundo*, beneficia jam accepta per fidem obsignantur & confirmantur à Christo visibili etiam signo Baptismi in ipso nostro corpore: & sigillum hoc nobiscum ferimus. Exemplum ab Abrahamo, de quo Roman. 4. Ac cepit signaculum justitiae fidei. Sic Baptismus signaculum est, quo incorporatio & insitio in Christum totaque justitia & salus obsignantur. Non parum autem momenti habent sigilla & literae, quibus, quae donata sunt à principe aliquo praedia aut fundi, obsignantur & confirmantur. In Baptismo adsunt literae, *id est*, verbum Dei: Et sigillum Regis: *id est*, lavacrum aquae: Magnum certe usum habent tales obsignationes. Cum hac enim obsignatione externa conjungitur interna Spiritus Sancti, de qua Ephes. 1.

25. *Tertio*, nec solum obsignantur beneficia jam accepta, verum etiam augentur & incrementum accipiunt: perceptione enim legitima sacramentorum magis ac magis excitatur in nobis fides. Hac autem capiente incrementum, reliqua etiam dona, quae per fidem accipimus, in nobis augentur: Et ideo magis ac magis coalescimus in Christum.

26. Pertinet huc, quod Apostolus docuit Ephes. 4., per ministerium verbi & sacramentorum fieri, ut adolescamus in eum per omnia, qui est caput, *id*

est,

est, in Christum. Et quod 1. *Cor*. 10. Panis, quem frangimus, κοινωνία est corporis Domini: coalescit enim & augetur haec κοινωνία cum Christo participatione coenae Dominicae.

27. *Quarto*. Nec solùm accepta beneficia, verùm etiam accipienda, veluti est resurrectio ad aeternam vitam, isto visibili, quo corpus tangitur ac lavatur, lavacro aquae in corporibus nostris obsignantur. Ista enim visibili Baptismi caeremonia non solùm anima, sed ipsum etiam corpus sepelitur cum Christo, ut cum illo etiam tandem resurgat ad aeternam vitam. Rom. 6. Et sic etiam de Coena Patres, Tertullianus & alii, aiunt sumtione panis in coena corpora nostra ali ad resurrectionem: sicut spirituali & vera carnis Christi manducatione alitur & nutritur anima ac spiritus noster, & coalescit in unum cum Christo. Ergo etiam post justificationem per fidem non frustra confertur Baptismus: sed salus per illum promovetur. Haec ad primam quaestionem est responsio.

Atque haec omnia ad primum illum usum, de quo hactenus locuti sumus, referenda sunt & pertinent.

28. Altera hîc proponitur a scholasticis quaestio: Num per Baptismum omnia haec beneficia aequaliter ab omnibus, qui illum suscipiunt, percipiantur? Respondent, Qui aequaliter accedunt ad Baptismum, eos aequaliter illius fructus percipere. Ratio, quia aequalis causae aequales etiam sunt effectus: Et contrà, Hinc inferunt, cùm pueri aequaliter accedant, aequaliter etiam effecta Baptismi percipere: cum verò adulti impari fide & poenitentia praediti baptizentur, ideo non aequali modo & mensura beneficiorum Baptismi eos fieri participes.

29. Sententia haec, si simpliciter intelligatur & de omnibus Baptismi effectis, non placet: quia Scriptura contradicit, quae omnibus in Christum, sive majori sive minori, modò vera fide credentibus aequalem peccatorum remissionem, aequalem in Christum insitionem, aequale jus vitae aeternae tribuit.

30. Ex parte tamen vera est responsio, quod ad multa Spiritus Sancti dona attinet: quatenus alii majore alii minore fidei lumine & charitatis ardore donantur: Et in aliis plures in aliis pauciores regenerationis fructus conspiciuntur.

31. Caeterum, ut clarior ad hanc quaestionem responsio adferatur, distinctiones quaedam praemittendae sunt. *Prima*, qui accedunt ad Baptismum, alii Electi alii reprobi sunt. *Secunda*, Electorum alii infantes alii adulti. *Tertia*, tam infantium quàm adultorum alii ante Baptismum donantur Spiritu Fidei, eoque & Christo inseruntur ac remissionem peccatorum consequuntur & regenerantur: alii non ita, sed in baptismo iis bonis donantur. *Quarta*, Bonorum, quae vel ante vel in Baptismo iis bonis donantur, alia in aliis majora in aliis minora esse possunt: alia non possunt. Possunt, ut regeneratio, hominisque renovatio, fides item, spes, charitas, aliaque Spiritus Sancti dona. Non possunt, ut remissio peccatorum, imputatio justitiae Christi, jus aeternae vitae. Non enim unum peccatum alicui remittitur, quin remittantur omnia: nec jus vitae aeternae majus est uni quàm alteri: sed sicut omnes ex aequo filii sunt Dei, sic etiam ex aequo haeredes. Hoc verum est, prout quis majore vel minore praeditus est fide, eo etiam plus vel minus eum sentire sibi remissa esse

esse peccata, se verum esse membrum Christi, filium Dei, jus habere vitae aeternae: sed haec major vel minor persuasio ac sensus non efficit, ut haec beneficia, nempe remissio peccatorum & jus vitae aeternae, sint majora in aliis & in aliis minora. Iis explicatis ad quaestionem respondeo his θέσεσι.

32. Incorporatio insitiove in Christum, & quae ex ea sequuntur beneficia, reprobis, licet aqua baptizentur, nequaquam reipsa communicantur, etiamsi verè offerantur. Deus enim eos tantùm efficaciter vocat, justificat, regenerat, glorificat, quos etiam ad haec elegit & praedestinavit, Roman. 8. Et vera fides Electorum tantum est, Tit. 1. & alibi. Quòd si aliquando unà cum illis verè sanctis sanctificati & justificati & abluti esse à peccatis dicuntur, aut membra Christi vocantur: hoc intelligendum sacramentaliter, quatenus sacramentum Baptismi perceperunt, nomen Christo dederunt in corpus Ecclesiae visibilis visibili sacramento insiti sunt, eoque & pro membris Christi agnoscuntur in facie Ecclesiae. Non autem quod revera tales sint coram Deo. Et sic 1. Corint. 6. Apostolus ideo omnes dicit esse ablutos, justificatos, sanctificatos, (quanquam multi inter eos erant scelerati homines) quia omnes acceperant Baptismum, quod est sacramentum verae spiritualisque ablutionis, justificationis, sanctificationis. Per sacramentum enim non stetit, quin verè fuerint justificati & sanctificati, sed ipsorum culpa factum est, quia neque resipiscentes, neque verè credentes, baptismi sacramentum perceperunt. Atque hinc liquet cur sacramenta negemus esse nuda signa: quia scilicet omnibus ex aequo, quod significant, illud etiam offerunt. Et juxta hunc sensum dici possunt etiam hypocritae, qui accedunt ad mensam Domini, comedere verum corpus Christi & bibere verum ejus sanguinem, quatenus in eo sacramento verum Christi corpus & verus ejus sanguis omnibus offertur, quanquam non ab omnibus verè percipiatur, sed tantum a fidelibus. Si enim ita loquutus est Apostolus de baptismo, 1. Cor. 6. idem etiam de coena dici recti potest. Huc pertinet dictum Augustini, quod etiam impii carnem Christi comedant, sed sacramentotenus tantum. (Sic etiam in baptismate accipiunt remissionem peccatorum, incorporantur Christo & Ecclesiae, sed sacramentotenus tantum). Damus etiam aliquid inchoatae fidei & luminis illis à Spiritu Sancto donari: sed quicquid illud sit radices non habet, eoque temporarium est. Atque hoc dictum est de hypocritis reprobis: in quibus certè Baptismus eosdem effectus non habet, quos in Electis.

33. *Secundo*, Electi tam infantes quàm adulti, sive ante Baptismum sive in baptismo, ex quo Christo incorporantur, id est, membra illius fiunt, foedere illi junguntur, remissione peccatorum & jure aeternae vitae donantur. Quatenus scilicet non minus unus quàm alter membrum est Christi, & in foedere est Dei: nec minus uni quàm alteri omnia remittuntur peccata jusque datur aeternae vitae. Sicut enim in humano corpore, licet unum membrum sit praestantius alio, puta oculus pede, non minus tamen unum quàm alterum membrum est corporis: sic in Christo idem considerandum & statuendum est. Id quod alio quoque simili confirmatur. Nam etiam inter foederatos homines non est discrimen, quin tam plebeii quàm nobiles sint in foedere: quidni igitur de foedere quoque inter nos & Christum idem sentiri debet? Idem de remissione pec-

peccatorum deque jure aeternae vitae dicendum est. Sunt enim omnes ex aequo filii Dei: & omnibus ex aequo omnia condonantur peccata: & omnibus ex aequo debetur vita aeterna.

34. Regeneratio non aequaliter in omnibus fit: donaque Spiritus Sancti, fides, spes, charitas, aliaeque virtutes, sive ante baptismum sive in baptismo, non aequaliter omnibus donantur aut ab omnibus recipiuntur: sed secundùm Dei beneplacitum.

35. Docet hoc parabola de talentis, quorum alii unum, alii tria, quatuor & quinque donata fuerunt. Et Apostolus ait Ephes. 4. Unicuique data est gratia pro mensura doni Christi. Ab effectis quoque idem liquidò patet. Videmus enim regenerationis effecta in aliis plura & majora, in aliis pauciora & minora.

36. Qui ante baptismum receperunt haec dona, ii in baptismo horum accipiunt non solùm obsignationem & confirmationem, sed etiam incrementum. Ratio est: quia Spiritus Christi efficax est in ministerio erga Electos. Et Apostolus ait 1. *Corinth.* 3. Ego plantavi, Apollo rigavit, Deus autem incrementum dedit. Non ergo plantant aut rigant Ministri, quin Deus in Electis incrementum det. Et hîc *Ephes.* 5. ait, Christum mundare Ecclesiam lavacro aquae in verbo. Ergo nunquam utitur lavacro aquae in verbo erga Electos, vera Ecclesiae membra, quin eos magis ac magis purget, renovet, augeat suis donis, fide, spe & charitate. Quae causa est cur probem, sicut frequentem verbi auditionem, sic etiam frequentationem coenae Dominicae: quia cùm Spiritus Sanctus semper sit efficax in ministerio, Electi inde semper magis ac magis in pietate proficiunt & eorum salus promovetur. Ex iis omnibus perspicuum esse arbitror, in quibusnam & quomodo habeat vel non habeat eandem efficacitatem baptismus: ac proinde in quibusnam & quomodo & quatenus organum sit Spiritus Christi, ad salutem Electorum promovendam. Atque haec de primo usu satis.

37. Alter usus ait, ut sit signum, tessera, & nota, non fronti tantùm, sed toti corpori impressa, qua palam, lingua etiam tacente, confiteamur id quod corde credimus, & quod verbis etiam semel sanctè promisimus: Nos scilicet renunciasse Diabolo & toti ejus regno, Diis Gentium, omnibus idolis & idololatriis, mundo & concupiscentiis ejus: Et soli Christo, in quo habitat omnis plenitudo Deitatis corporaliter, & in quo est Pater & utriusque Spiritus, nomen dedisse: nos illum unicum pro nostro servatore agnoscere & habere: nos esse illius membra: nos solam ejus doctrinam pro coelesti sapientia amplecti: nos ab eo solo remissionem peccatorum accipere: salutem, resurrectionem corporum, vitamque aeternam expectare: nos nolle quiddam negotii in religione habere cum Judaeis, cum Turcis, cum haereticis aliisque impiis hominibus, sed cum solo populo Dei in unam & eandem religionem consentire: Et mortuos peccato soli Christo vivere velle, juxta ipsius doctrinam & exemplum. Est igitur Tessera & nota, qua sicut differimus ab aliis omnibus Gentibus, sic etiam protestamur velle differre, & cum solo populo Dei communionem habere, ac foederis, quod sancitum est in Christo inter Deum & nos, conditiones servare velle. Hic est alter usus & finis, propter quem institutus est Baptismus: ut, *scilicet*, sit perpetua & ceu visibilis fidei & pietatis nostrae confessio ac protestatio.

38.

38. Nam is etiam fuit alter usus circumcisionis in populo Dei: qua protestabantur se in foedere esse cum Jehova *Elohim*, eumque solum colere & legem ejus servare velle: nihilque velle habere negotii cum Gentibus idololatris: Baptisma autem successit Circumcisioni.

39. Tertius est, ut sit signum perpetuumque momentum, quo nos ipsi nostri moneamur officii. Officii autem nostri tres sunt praecipuae partes: Fides in Christum, Charitas erga Sanctos, & perpetua nostri mortificatio seu poenitentia. Ad haec tria excitare nos quotidie debet memoria nostri Baptismi. Ad *primum*, quia baptizati sumus in Christum Jesum, tanquam in unicum servatorem, & in eum insiti sumus per baptismum: consecuti remissionem peccatorum, donatique jure aeternae vitae: Rom. 6. Ad *secundum*, quia omnes in unum corpus baptizati sumus in mortem & resurrectionem Christi: ut sicut ille mortuus semel ac sepultus, & postea resurrexit per gloriam Patris: sic & nos mortui semel peccato non amplius vivamus in illo, sed in novitate vitae ambulemus.

40. Nunc ergo tenemus ad quid institutus fuerit Baptismus, & cur tingantur aqua, quicunque volunt fieri Christiani. *Primum*, ut esset organum, quo per Spiritum Sanctum Christo insereremur, foedere cum illo copulati: Et ex consequenti, quo remissio peccatorum & regeneratio, jusque vitae aeternae, donaque Spiritus Sancti nobis communicarentur. *Deinde*, ut esset perpetua in nostro corpore impressa nota, qua, etiam cùm lingua tacemus, palam quod semel fecimus, semper protestaremur ac confirmaremus ad gloriam Dei & ad proximi aedificationem: Hacque reali confessione discernamur ab omnibus aliis populis, qui Christum non colunt. *Postremo*, ut sit signum & monumentum, quod nos semper nostri moneat officii, Fidei, *scilicet*, in Christum retinendae, charitatis in sanctos exercendae, & perpetuae in nobis poenitentiae excitandae, ut non amplius nobis vel Mundo, sed soli Christo vivamus.

CAPUT IV.

De causa efficiente Baptismi.

1. Bifariam considerari potest haec causa: nempe aut ut causa instituens, aut ut causa instituto Baptismate utens, seu baptizans.

2. Priori modo dicimus Christum Filium Dei autorem fuisse Baptismi: primum in persona Johannis Baptistae, nam Matth. 21. Christus dixit: Baptisma Joannis non esse ab hominibus, sed ex Deo. Christus autem est unus & idem cum Patre Deus. Deinde, ipse illud sanctificavit ac confirmavit cum voluit a Joanne baptizari. Tertio, idem comprobavit, cum etiam ante suam mortem & resurrectionem jussit Apostolis, ut baptizarent: legimus enim Joannis 3. Ipsos etiam discipulos Christi baptizasse, vivente adhuc Joanne: id quod non nisi ex jussu Christi fecerunt: ut factum Joannis Baptistae confirmarent. Non enim novum Baptisma tum instituit, sed idem continuavit, quod per Joannem Baptistam inchoaverat: Et erat eadem doctrina, eadem materia, idemque signum, eademque res signata, idem finis & usus, ut, *scilicet*, homines Christo nomen

nomen darent, eique incorporarentur, unde & Apostolus dixit Act. 19. Joannem baptizasse populum, ut crederent in eum qui venturus erat, *id est*, in Christum Jesum. Fuit igitur illius etiam baptismi, qui administratus fuit, tum a Joanne Baptista tum a discipulis Christi inter Judaeos usque ad mortem Christi, illius, *inquam*, Baptismi autor fuit Christus.

3. Caeterum, quod ad Gentes attinet, tum primum Christus istud Sacramentum instituit, cum post resurrectionem dixit Apostolis, Data est mihi omnis potestas in coelo & in terra: Euntes igitur praedicate Evangelium omnibus gentibus. Sicut enim praedicatio Evangelii, quatenus Gentes quoque concernit, tum primum fuit instituta: sic etiam Sacramentum Baptismi. Nunc tenemus autorem Baptismi, & ante & post resurrectionem Christi.

4. Ad alterum quod attinet, quae sit causa efficiens Baptismi, *id est*, quis baptizet baptizareve debeat & possit: Ea duplex est, una primaria vereque efficiens, altera secundaria & instrumentalis. Prima est Christus ipse: Is enim est, qui propriè nos in seipsum, in mortem & resurrectionem suam baptizat: *id est*, qui nos sibi incorporat, qui foedere sibi jungit, qui abluit à peccatis, qui regenerat, qui donat Spiritu Sancto jureque vitae aeternae.

5. Docuit hoc Joannes Baptista, cùm dixit se quidem baptizare aqua, sed alium esse qui baptizet in Spiritu Sancto & igne, nempe Christum, Matth. 3 & alibi.

6. Docuerunt hoc antè Prophetae, *Ezech.* 36. Effundam super vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus iniquitatibus vestris. *Joël* 2. Effundam de Spiritu meo super omnem carnem. Petrus autem ait, hunc esse Christum, Act. 2. Confirmat idem Apostolus, cum ait Christum eum esse, qui Ecclesiam suam mundet lavacro aquae in verbo. Tria attribuit Christo, Unum, quod is mundet & purget, *scilicet*, à peccatis Ecclesiam suam sibi subjectam: Alterum est, quod hoc faciat lavacro aquae: Et tertium, quod in verbo. Ergo Christus est ille, qui non solum emundat à peccatis conscientias, sed etiam qui verbum administrat & qui utitur lavacro aquae.

7. Sed haec duo non immediate per sese, sed per ministros homines efficit. Quo ex loco intelligimus, etiam in coena idem fieri. Christus is est, qui non solum dat per se verum suum corpus suumque sanguinem, sed etiam qui dat panem & vinum per manus ministri. Sic de verbo ipse dixit Apostolus, *Matth.* 10. Non vos estis qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri est, qui loquitur in vobis. Et Paulus 2. *Corinth.* 13. An experimentum quaeritis ejus, qui in me loquitur Christus? Et *Ephes.* 2. Ipse *(Christus)* evangelizabit vobis *(Ephesiis)* sed per ministerium osque Pauli. Ergo dubitare non debemus, quin quisque nostrum aspersus sit aqua in Baptismo a Christo ipso, quanquam per manum ministri.

8. Quare haec nota, quae nostro corpori impressa est, à Christo impressa est, ac proinde res est divina non humana, eoque non contemnenda, sed magnifacienda, & debito honore afficienda.

9. Quanta autem infamia & injuria eam afficiunt illi, qui sua contaminantes corpora ebrietatibus, lasciviis, eam ceu delent & expungunt e suis corporibus?

10.

10. Caeterum homines quoque baptizare dicuntur. Et sic *Joh.* Ego vos baptizo in aqua. Et Christus hominibus dixit, Baptizantes eos, &c. Matth. 28. De hac igitur altera causa nunc dicendum est brevibus propositis quaestionibus.

11. Num ministri quoque baptismi dici possint verè baptizare, *hoc est*, abluere à peccatis & regenerare? Respondeo, omnino. *Primo*, de integro Baptismo dixit Christus *Matth.* 28. Baptizantes eos, &c. Non enim restrinxit ad lavacrum, *duntaxat*, aquae, sed simpliciter dixit, Baptizantes. Item Joh. 20. dicuntur remittere peccata: Item, Regenerare, 1. *Cor.* 4. In Christo ego vos genui per Evangelium. Item 2. *Cor.* 3. ait Apostolus, se illis administrasse spiritum, non literam, fecisseque eos Epistolam Christi. Sed semper intelligendum est, quod haec faciant ministri sacramentaliter, *id est*, quatenus administrant sacramenta, per quae tanquam per organa Christus ipse lavat, regenerat. Et eodem sensu dici possunt Ministri exhibere non solum panem, sed etiam ipsum verum Christi corpus. Sicut enim omnes qui suscipiunt Baptismum, licet hypocritae, sine vera à peccatis purgatione, ideo tamen abluti esse à peccatis dicuntur & justificati, quia sacramenta harum rerum perceperunt: Et sicut in coena Domini hypocritae, cum sumunt panem Domini, ipsum quoque corpus Christi suscipere, nempe sacramentaliter, dici possunt: Sic etiam Ministri dicuntur res ipsas administrare, quia rerum ipsarum sacramenta administrant. Justificant ergo & regenerant, quia harum rerum ministri sunt Christoque ad homines regenerandos inserviunt.

12. Quorumnam propriè sit Sacramentum Baptismi administrare? Respondeo, eorum quibus ministerium etiam verbi commissum est. Quibus enim dixit Christus *praedicate Evangelium*, eisdem dixit, *Baptizantes eos in nomine Patris &c.* Et Ephes. 5. Apostolus conjungit lavacrum aquae cum verbo, *scilicet*, Evangelii. Sic legimus Joannem Baptistam baptizasse, qui etiam praedicabat Evangelium. Sic Apostoli, sic alii discipuli Christi, qui baptizasse leguntur, ministerio etiam Evangelii fungebantur. *Heb.* 5. Nemo honorem sibi assumet, sed qui vocatur à Deo tanquam Aaron, *hoc est*, in negotiis & functionibus Ecclesiasticis nemo debet se immiscere, nisi ad hoc ministerium sit vocatus. Atqui ad baptizandum non legimus vocatos fuisse, nisi qui etiam ad praedicandum Evangelium. Ergo, &c. Rom. 14. Quicquid non ex fide est (eoque ex bona conscientia & ex verbo Dei) peccatum est. Atqui nullum est Dei verbum, quo niti possit illius conscientia qui baptizat, si non sit ad ministerium verbi vocatus. Qua igitur conscientia poterit quis baptizare, si ad ministerium verbi vocatus non sit?

13. Hinc liquet responsio ad quaestionem tertiam, Num Laicis (*ut vocant*) qui ad ministerium vocati non sunt, liceat baptismum administrare? Scholastici docent, in casu (*ut loquuntur*) necessitatis licere. Sed nulla est necessitas, quae nos cogat praescriptos a Deo ordines violare. Falluntur in eo multi, quod putant infantem servari non posse, nisi aqua tingatur. Danda quidem est opera, ut per legitimum ministrum baptizetur infans: sed si obtineri non possit, commendandus est Deo, qui eum baptismo sui Spiritus baptizet. Imò credendum est infantem fidelium parentum jam esse baptismo flaminis baptizatum, cum

 sit

sit in foedere. Per Christum non est imminuta gratia Dei, qua complectebatur Israëlitas sub lege, sed potius ampliata est, & longius latiusque patet jam quam tunc. Atqui tunc, licet ante diem circumcisioni praescriptam moreretur infans, non propterea damnabatur: si in numero erat Electorum verumque semen Abrahae secundum Spiritum: Ergo neque nostri pereunt: nempe si ex numero sunt, ut confidere quisque debet, Electorum. Quare sicut Israëlitis nulla erat necessitas puerum ante tempus circumcidendi: sic neque nobis ulla esse potest, qua cogamur infantes illis tradere baptizandos, quibus a Christo ministerium hoc injunctum non est.

14. Sed objiciunt locum ex Actis c. 10. Petrus ipse praedicavit Evangelium Cornelio, sed non baptizavit, jussit verò per alios baptizari. Et sic saepe legimus fecisse etiam alios Apostolos, ut de Paulo. 1. Cor. 1. Certis enim de causis non baptizabat semper ipse, sed per alios.

Respondeo *primo*, Scriptura non ait eos, quorum opera utebantur Apostoli ad fideles baptizandos, fuisse laicos, *id est,* sine ullo prorsus ministerio Ecclesiastico: loca igitur illa nil de laicis concludunt. Non dubito quin fuerint vel presbyteri, vel Evangelistae, vel saltem diaconi, quos secum assumebant, & qui etiam nonnunquam verbum administrabant. Et sic Chrysostomus in 1. Cor. 1. scribit suo etiam tempore Episcopos solitos fuisse post administrationem verbi uti opera quorundam seniorum seu presbyterorum simpliciorum ad fideles aqua tingendos. *Secundo*, si simplices etiam fuerunt Laici, id fecerunt non ex se, sed ex jussu Apostolorum: eoque non illi, sed Apostoli per illorum manus baptizabant: quia qui per alios aliquid facit, per seipsum facere videtur.

15. Adferunt etiam locum ex Augustino lib. 2. contra Epistolam Parmen. c. 13. ubi scribit, si necessitate cogente laicus baptizet, id aut nullum aut veniale peccatum esse. Respondeo. Locus iste nil concludit: ait enim, si urgente necessitate id faciat, hoc aut nullum aut veniale peccatum esse. Dubitavit igitur Augustinus an liceret vel non liceret Laico baptizare necessitate urgente. Deinde, ut diximus, nulla necessitas hoc facere quempiam cogit. Quare Augustinus in hac parte non probatur, quod nimium tribuerit Baptismo aquae, quasi qui sine illo decedit, pereat in aeternum. Hinc illa necessitas, de qua loquitur. Verbum Dei est manifestum: *Primum,* filios fidelium in foedere esse & sanctos vocari à Paulo. *Secundò*, illis, *duntaxat*, traditam fuisse potestatem baptizandi, quibus etiam injunctum fuit ut Evangelium praedicarent.

16. De muliebri baptismo ex iis facilè explicatur. Hinc enim colligitur multo minus probari posse, quod mulieres baptizent. Non licet illis in Ecclesia docere, ergo nec baptizare. In Concil. Carth. 4. can 100. cautum fuit, ne mulieres ullo modo baptizare praesumant. Et citatur in Dec. de Consec. dist. 4. can. 8. Sed addita nescio à quibus particula, nisi necessitate mortis cogente. Ita corruptus canon est. Item tota vetus Ecclesia voluit, ut Baptismus in Ecclesia tantum, *id est*, in coetu fidelium celebraretur. In Ecclesia autem jubet Apostolus mulieres prorsus tacere: multo minus igitur permisisset eas fungi officio ministrorum & sacramenta administrare. Et Epiph. lib. 1. Tom. 1. haer. 42. pag. 144 damnat Marcionem, quod permiserit mulieribus autoritatem baptizandi. Et hoc collocat inter alia Marcionis (ut vocat) ludibria.

bria. Non fuit igitur haec consuetudo ab Apostolis aut à veteri Ecclesia; sed à Marcione Haeretico, ut liceat mulieribus baptizare.

17. Quod quidam exemplo Sephorae, quae filium circumcidit, Exod. 5. Baptismum muliebrem tueantur, indignius est & ineptius, quam ut responsionem mereatur. Quorsum enim factum illud stultae & iracundae foeminae confertur cum nostro Baptismo? Deinde fecit illa, quod ei non licebat facere. At placatus fuit Angelus: verum quod fuerit circumcisus puer, non quod illa circumciderit.

18. Quam Thomas adfert rationem, in Christo non est masculus neque foemina: Ergo Christo baptizante potest tam foemina quam masculus aquam subministrare, & ita baptizare aqua: Quis non videat, quam sit inepta & contorqueat scripturas? In participatione salutis non est discrimen inter masculum & foeminam: sed magnum est in ejusdem dispensatione per ministerium verbi & sacramentorum. Sic licebit etiam contra Apostolum argumentari: In Christo non est masculus neque foemina: Ergo tam foeminae quàm viro licet in Ecclesia docere.

19. Quod adfert ex Decret. c. 30. qu. 3. can. 4. dictum Urbani Papae, qui probat Baptismum muliebrem in casu necessitatis: nos illi opponimus verbum Dei & decretum Concilii Carthaginensis quarti, & quod Epiph. objicit Marcioni.

20. Quinta quaestio proponitur ab Augustino, Epist. contra Parm. lib. 2. c. 13. sed non solvitur: utrum, *scilicet*, qui nunquam fuit baptizatus, baptizare alium possit? Et ait de hac quaestione nihil affirmandum esse sine autoritate concilii. Interim tamen Thomas ausus est definire, ex responso Nicolai Papae ad consulta Belgarum, ut habetur in Decr. de consec. dist. 4. can. 22. ubi sic legimus: A quodam Judaeo, nescitis utrum Christiano vel pagano, multos in patria vestra baptizatos fuisse asseritis, & quid inde sit agendum consulitis. Hi profecto, si in nomine Sanctae Trinitatis vel tantum in nomine Christi baptizati sunt, rebaptizari non debent. Haec ibi: & confirmat idem Thomas dicto Isidori, quod etiam in eadem distinctione, can. 21 adducitur: ubi ait Spiritum Christi subministrare gratiam Baptismi, licet paganus sit qui baptizet. Ait itaque Thomas, si sint duo nondum baptizati, qui credunt in Christum, & non habent legitimum ministrum, a quo baptizentur, posse unum ab altero necessitate mortis cogente sine peccato baptizari. Omnia haec inde profecta sunt, quod simpliciter necessarium esse aquae Baptismum judicarunt. Sed quae ex verbo Dei definiri non possunt, nos definire non audemus.

21. Sed ego proponam quaestionem, ad quam facilius responderi posse arbitror. Esto Turca aliquis, in regione unde facilè ad Christianas Ecclesias veniri non possit: is ex lectione Novi Testamenti donetur cognitione Christi & fide: doceat vero suam familiam eamque ad Christum convertat, atque adeo etiam alios. Quaeritur, An is possit baptizare eos, quos ad Christum convertit, cum ipse nunquam fuerit baptizatus baptismo aquae? Non dubito, quin possit, & vicissim curare, ut ipse ab alio ex illis à se conversis baptizetur. Ratio est: quia minister est verbi à Christo extra ordinem excitatus: Eoque ut talis mi-

minister potest cum illis in Ecclesiae consensu Symmystam constituere, & ab eo ut baptizetur curare.

22. Quaerunt etiam, Num plures ministri possint simul aliquem baptizare? *Respondeo*, Non posse: quoniam unus tantum est Christus, qui verè baptizat: minister autem personam Christi refert in functione ministerii, & ejus est organum. Ut igitur unus est Dominus, una fides, unum baptisma: ita unum tantum debere esse ministrum qui baptizet. Unus quidem plures simul baptizare potest, ut Petrus in Actis modo tria millia modo plura: sed unus a pluribus non potest. Ille autem perfectè dicitur baptizare, qui verba facit, dicendo: Ego te baptizo, &c. Ergo ut verum dicat, eundem etiam oportet aquam administrare.

23. Alia proponitur quaestio: Num minister carens Spiritu Sancto, id est, improbus possit aliis regenerationis sacramentum administrare? D. Cyprianus fuit in hac sententia, Tales non posse: Et ideò, qui à talibus baptizati fuerunt, eos esse rebaptizandos contendebat. Legatur praeter alia liber ad Julianum de haereticis baptizandis: Et conatur scripturis suam confirmare sententiam. Cum (*inquit*) dicant (*scripturae*) nullam esse participationem justitiae & iniquitati, nullam communionem lumini & tenebris: quomodo possunt aut tenebrae illuminare aut iniquitas justificare? Sed Aug. multis in locis hunc refutavit errorem, apertè demonstrans ministri dignitatem vel indignitatem nihil sacramentorum sanctitati vel adferre vel auferre. Et utitur hoc simili: Solis vel etiam lucernae lux, cum per coenosa diffunditur, nihil inde sordium contrahit: Ergo nec baptismus Christi potest cujusquam sceleribus inquinari. Legatur praeter alia loca, in Tom. 7. contra Donatistas lib. 3. c. 10. Decr. de consecr. dist. 4. can. 22. 24. 25. 26. 27. 37. 38 &c. Augustini sententiam secuta est universa Ecclesia Catholica. Suam igitur vim & sanctitatem retinet Baptismus legitimè administratus, etiamsi ab improbo ministro administretur. Cavere quidem consuevit semper vetus Ecclesia ne facinorosi ministri permittantur sacramenta administrare, idque multis de causis: sed si contingat ut administrent, ea dicimus suam non amisisse vim propter improbitatem ministri, itaque eum ad autoritatem quod attinet à Christo acceptam potuisse administrare.

24. Quaestio octava occurrit, quae praetereunda non est de compatribus (*ut vocant*) seu desponsoribus, qui adhiberi solent & qui dicuntur pueros è sacro fonte suscipere: An debeant adhiberi nec ne debeant? Resp. Non esse rem per se necessariam constat, quia expresse non praecipitur in scripturis: sed esse rem laudabilem manifestum est: *Primò*, quia non pugnat cum scripturis: *Secundò*, quia vetustissima est consuetudo in Ecclesia: *Tertiò*, quia nihil habet iniqui, nihil inhonesti: *Quartò*, quia id ex charitate proficiscitur, tum parentum qui patres eligunt ut sibi sint adjumento in instituendo infante, tum eorum qui hoc spondent. *Quintò*, quia hoc ita cedit in utilitatem salutemque infantis, ut nemini sit fraudi. *Sextò*, quia hoc ad parentum officium quodammodo pertinere videtur, ut, *scilicet*, pro salute infantis de talibus sibi prospiciant adjutoribus. Ait enim Apostolus *Ephes.* 6. Patres educate liberos vestros in disciplina & justitia Domini. Educate, *scilicet*, vel per vos, vel per

alios.

alios. Item 1. *Tim.* 5. Qui suorum ac praesertim domesticorum curam non habet, fidem negavit & est infideli deterior. Hoc autem maximè ad curam liberorum pertinet, ut praeter parentes alii etiam sanctè coram Ecclesia promittant se curaturos, ut talis infans in vera religione instituatur. Denique totum hoc ad aedificationem Ecclesiae spectare manifestum est. Ergo res per se bona honesta & laudabilis est, modo absit abusus & superstitio.

Haec de iis qui baptizant, & qui ceu causae efficientes ad Baptismum concurrunt. Nunc videndum de iis, qui baptizari debeant aut non debeant. Nam hac in parte multum peccatur. Pontificii baptizant quae non debent, ut campanas. At Anabaptistae eos nolunt baptizare, qui baptizandi sunt, ut infantes. Et aliás graviter peccatum fuit, cùm baptizarent etiam mortuos, aut vivos pro mortuis.

CAPUT QUINTUM.

De iis quinam sint baptizandi, & qui non admittendi ad Baptismum.

Praemittam autem priori loco quandam earum rerum, quae baptizandae proponuntur, partitionem iis distinctionibus comprehensam. 1. Quae Sacramento Baptismi tingenda proponuntur, ea aut non sunt homines, aut sunt. Primum membrum excluditur: alterum subdistinguitur. 2. Homines igitur aut mortui sunt, aut vivi. Primi excluduntur. 3. Vivi aut adulti sunt, aut infántes. Utrumque membrum subdividitur. 4 Adulti aut fidem in Christum & poenitentiam in Deum non profitentur. Primi excluduntur. 5 Infantes aut filii sunt eorum, qui non sunt in Ecclesia, aut Judaeorum & Turcarum: aut eorum, qui sunt in Ecclesia. De primis duplex proponitur quaestio, una, an invitis parentibus baptizandi sint: altera, an consentientibus parentibus, licet fidem Christi non profitentibus. 6. Infantes eorum qui sunt in Ecclesia, aut filii sunt eorum, qui ita in Ecclesia sunt, ut etiam de Ecclesia esse judicentur: aut eorum, qui de Ecclesia esse non judicantur. De primis Ecclesia Catholica nunquam dubitavit: secundi generis subdividuntur. 7. Infantes eorum, qui de Ecclesia esse non judicantur, aut eorum sunt filii, qui ita quidem ambulant secundum carnem, ut tamen non sint excommunicati, aut qui sunt excommunicati. De prioris generis non tanta fuit dubitatio, quanta de alterius generis filiis: neutris tamen revera denegari Baptismus potest, ut videbimus. Observatis his distinctionibus, nunc iis θέσεσι respondeo.

1. Qui homines non sunt, iis nullo modo Sacramentum Baptismi administrari debet aut potest. Ratio, quia Sacramentum regenerationis non pertinet nisi ad eos, qui etiam regenerationis sua natura capaces sunt: neque signum nisi iis, qui rei signatae fieri possunt participes, convenit. Item, quia non legimus, nisi propter homines Baptismum esse institutum: quorum etiam, *duntaxat*, causa Christus homo factus est & mortuus: Et quorum etiam Mediator est apud Patrem. Sceleratissimè igitur agunt Pontificii, qui curant ut Sacramentum Baptismi conferatur etiam in campanas: & quidem majori cum pompa & pluribus caeremoniis, quàm homines baptizentur. Campanas enim bap-

baptizare non licet nisi Episcopis, cum homines baptizare apud ipsos liceat etiam mulierculis. In illas multas recitant precationes, illas lavant, unguunt, nomina illis imponunt alicujus foeminae, dicendo: Margarita, vel Paulina, Ego te baptizo in nomine Patris &c., vimque tribuunt adversus aëris tempestates, & adversus diabolos, qui eas cient tempestates.

2. Mortuis conferri Baptismus non debet, nec vivus pro mortuis baptizari potest. Primi membri ratio. 1. Quia à baptizando adulto exigitur poenitentia & fides. Neutrum praestare potest mortuus. 2. Baptismus Sacramentum est regenerationis, & ejus finis est salus ac remissio peccatorum. Mortui verò nihil horum habere possunt.

Alterius membri ratio est, quia Christus exigit, non ut unus poenitentiam agat & credat aut baptizetur pro alio, sed quisque pro seipso, dicendo, Qui crediderit &c. Item vanissimum est pro illo signum suscipere, qui rei signatae capax amplius non est: Tales sunt mortui. Meritò igitur damnantur Marcionitae, qui (ut Theoph. in 1. Corinth. 15. refert) baptizantur loco ejus, qui mortuus erat. Sic enim interpretatur locum Apostoli, 1. Cor. 15. quemadmodum & Ambrosius. Apostolus certè illorum factum non probat, sed tantùm spem quam habebant de resurrectione mortuorum; ideo non dixit, Ut quid & baptizamur (scilicet nos veri Christiani pro mortuis)? Sed discernens superstitiosos à fidelibus dixit, Quid facient illi, &c. ut quid & baptizantur pro illis? De se verò aliisque veri Christi discipulis subjecit in prima persona, Quid & nos periclitamur omni hora? Doctrina igitur Apostolica non est, ut vel mortui baptizentur, vel ut vivus aliquis pro mortuo baptismi sacramentum suscipiat. Et sic etiam cautum fuit, ne fiat, in Concil. Carthag. tertio. can. 6. Cavendum est ne mortuos baptizari posse fratrum infirmitas credat.

3. Qui poenitentiam in Deum & fidem in Christum non profitentur, ii ad sacramentum baptismi admittendi non sunt. Joannes enim & Apostoli utrumque exigebant. Agite poenitentiam (dicebat Petrus Actor. 2). Et baptizetur unusquisque vestrum, &c. Ibidem de fide subditur, Qui ergo acceperunt sermonem ejus baptizati sunt Et Christus dixit primum, Qui crediderit, postea, & baptizatus fuerit. Et ratio est quia sine poenitentia non exuitur vetus homo, sine fide autem non induitur novus: sacramentum est regenerationis per sanguinem Christi. Ad sacramentum igitur Baptismi admittere impoenitentes & incredulos, quid aliud est quam sanguinem Christi conculcare & ludibrio exponere?

4. Huic opponitur, Qui poenitentiam & fidem profitentur, idque constanter, iis denegari Baptismus non potest. Haec est extra controversiam. Tantum quaestio hîc proponitur de amentibus & furiosis: Quid si quis amens utrumque profiteatur, cum verò baptizatus est, furore & amentia percitus recuset? Respondent, spectandam esse ejus, cum apud se esset, voluntatem: itaque etiam in tali amentia positum baptizandum esse.

5. Infantes Judaeorum & Turcarum invitis parentibus baptizandi non sunt: sed si parentes consentiant, ad Baptismum admitti possunt. De infantibus loquimur: quia de adultis, qui in Christum credere & eum fide profiteri possunt, res est extra controversiam, ut modo in Thesi quarta dictum est. Quisque enim

enim potest & debet, etiam invitis parentibus, Christum sequi. Ratio autem primi membri nostrae θεσέως est, quia illud non sine crimine injustitiae fieri potest ; peccatur enim in illud jus naturale, quod parentes habent in suos liberos. Proinde neque Christus filium illum viduae, quem suscitavit à mortuis, jussit se sequi: sed dedit, id est, reddidit eum matri suae: quia cum sponte non sequeretur Christum, neque ad sequendum cogi potuit, invita matre: quia Christus notat hoc pugnare cum patria potestate. Proinde dedit eum matri suae: ut doceret in patriam potestatem peccandum non esse. Vide Dionys. Carthag. in 4. sent. distinct. 4. quaest. 7. Confirmavit hanc doctrinam concil. etiam Tolet. quartum, & citatur in Decret. dist. 45. can. 5. De Judaeis autem praecepit sancta synodus nemini ad credendum vim inferri &c., ut integra sit forma justitiae.

Hinc sequitur alterius membri confirmatio, baptizari eos posse & in Ecclesia retineri atque institui, si parentes consentiant, quia nulla eis fit injuria. Tales autem parentes sic consentiendo aliquam dant suae pietatis significationem, tametsi eam palam non profiteantur. Tunc igitur Ecclesia constituitur ceu mater talium infantium: ac proinde baptizare eos potest. Atque haec de filiis eorum, qui sunt extra Ecclesiam. Nunc de eorum, qui sunt in Ecclesia.

6. Filii eorum, qui in Ecclesia quidem sunt, sed propter impurum vivendi genus declarant se non esse revera de Ecclesia: si ad Baptismum offerantur, ab eo arceri non possunt nec debent. Ratio est: quia, licet parentes impii sint, illorum tamen impietas liberis in Ecclesia natis fraudi esse non debet. Atque huc pertinet illud *Ezech.* 18. Filius non portabit iniquitatem patris: anima quae peccavit, &c.

Quod si dicas, At filii, *duntaxat*, fidelium baptizandi sunt, quia soli isti infantes in foedere esse judicantur & soli sancti: Respondeo, Spectandam hîc non esse proximorum parentum impietatem, sed pietatem Ecclesiae, in qua nati sunt & quae est ceu eorum mater: Item majores ipsorum, qui piè & sanctè vixerunt: Itaque simpliciter non concedo eos non esse fidelium parentum liberos. Sunt enim, si respicias veteres patres & Ecclesiam in qua nati sunt, & quae est eorum mater. Pertinet huc, quod ait Apostolus, *Rom.* 11. Si radix sancta, & rami. Radicis nomine in illa Gente Judaica non intelligebat proximos parentes, qui fortè impii erant: sed primos illius populi patres, Abraham, Isaac & Jacob, quibus facta fuerat & confirmata promissio & foedus, Deum fore Deum eorum & totius eorum seminis foedere sempiterno. Erant igitur omnes posteri, qui non defecissent prorsus à Deo Israëlis ad Deos gentium, erant, *inquam*, omnes in foedere, & foederis sanctitate judicabantur.

Sicut igitur impiorum Judaeorum liberis non denegabatur circumcisio foederis symbolum & sacramentum: sic neque sceleratorum Christianorum liberis sacramentum Baptismi denegari potest: cum & ipsi in foedere censeantur propter pios veteres patres, ex quibus ortum ducunt ac progeniti sunt, & propter totam Ecclesiam, in qua nati sunt & vivunt. Hinc fit, ut etiam nati ex adulterio, licet parentes non resipiscant, ad Baptismum tamen oblati per alios quam per parentes ab Ecclesia non rejiciantur. Legatur hac de re Epistola Augustini 75 ad Auxilium Episcopum: qui propter facinus patris

totam

totam familiam excommunicaverat: ibi illum juvenem Episcopum senex Episcopus Augustinus modestè reprehendit & ait se cupere scire, quomodo rectè anathematizetur pro patris peccato filius, pro viri uxor, pro Domini familia &c. cum scriptum potius sit: Omnes animae meae sunt: Anima quae peccavit ipsa morietur. Filius non portabit iniquitatem patris. Hinc confirmatur etiam septima θέσις

7. Filii excommunicatorum à Baptismi perceptione repelli non possunt nec debent. Eadem est ratio, quae & superioris, quia, *scilicet*, iniquitas parentum liberis fraudi esse non potest. Atque hanc etiam Thesin tractat idem Augustinus in eadem Epistola 75. Ac concludit, etiam si quis nascatur ex excommunicatis parentibus, illum tamen hujuscemodi excommunicationis participem esse non posse, cum neque sit criminis. Memini alicubi non indoctos etiam viros hac in parte hallucinatos fuisse: qui tamen paulo post lecta illa Augustini Epistola sententiam suam mutarunt. Qua de re postea in lucem etiam venit Epistola Bezae: ubi doctissimè simul & piissimè hanc quaestionem explicavit, An filii excommunicatorum sint baptizandi, & in quorum fide, cùm ii, ex quibus progeniti sunt, non sint membra Ecclesiae. Brevitatis causa explicationem illius & rationes non refero: praesertim cùm a quovis legi possit. Est autem Epistola 10. Cùm verò haec ita se habeant de filiis eorum, qui sunt in Ecclesia, sed non videntur esse de Ecclesia, magis hinc probatur octava.

8. Filiis piorum virorum nulla ratione denegari potest sacramentum Baptismi. Ratio praecipua est, quia sunt in foedere, sicut & liberi Israëlitarum. Sicut igitur illis non denegabatur sacramentum veteris foederis, Circumcisio, sic neque nostris denegari potest novi foederis sacramentum, Baptismus.

Duo porrò hominum genera hanc thesin oppugnarunt: Pelagiani tempore Augustini, & nostro tempore Anabaptistae: sed diversis rationibus. Pelagiani quidem negabant infantes esse conceptos in peccato, eoque non opus habere Baptismo, qui datur in remissionem peccatorum: Anabaptistae verò, quia infantes carent fide: nemo autem baptizari debet, qui non credat Evangelio.

Primi refutati facilè fuerunt ab Augustino & aliis Patribus, demonstrato peccato originali. Alteri à nostris fuerunt abundè convicti erroris, demonstrato infantes in foedere contineri: quam autem adferunt causam, esse non causam pro causa. De solis enim adultis illam propositionem esse intelligendam, ut manifestum est. Quia Christus Matth. 28. publicum ministerium instituit apud eos qui Evangelium audire possunt: Ac duo docuit: Primum quo ordine deberent Gentes ad se vocare & sibi consecrare: *primum* praedicando Evangelium: *secundo*, eos qui credidissent baptizando: *tertio*, docendo servare omnia. Deinde docuit, Quinam ex illis, qui audiunt Evangelium, serventur & qui non serventur. Qui crediderit (*inquit*) & baptizatus fuerit, hic salvus erit: Qui verò non crediderit (subaudi, etiam si baptizatus fuerit) condemnabitur. Quid hoc totum ad pueros fidelium, qui audire Evangelium non possunt? Alia est causa, cur baptizari debeant, quia, *scilicet*, in foedere sunt, & baptizandi offeruntur ab illis, qui credunt, quique pro illis spondent, & illorum nomine interrogati respondent. Quia verò de hoc paedobaptismo abundè ab omnibus nostri

nostri etiam temporis doctoribus disputatum est, ita ut nihil dici amplius possit, brevitati verò mihi studendum sit, idcirco plura de hac re non dicam. Copiosissime Calvinus in suis Institutionibus de hoc articulo disseruit: ut de aliis taceam.

CAPUT VI.

De necessitate Baptismi.

Ex iis, quae hactenus dicta sunt, liquet etiam quam sit in Ecclesia necessarius Baptismus aquae, & quam non sit necessarius. Notandum est *primò*, discrimen inter totam Ecclesiam & singulos qui volunt fieri ejus membra: *Secundò*, ii sunt aut adulti aut infantes: dicam de omnibus.

1. Necessarius igitur est Baptismus primum in Ecclesia ipsa: quia altera verae Ecclesiae nota est legitima sacramentorum atque inprimis Baptismi administratio.

2. Deinde est etiam cuique adulto necessarius ad salutem: sed id vel voto, vel re etiam ipsa: voto, ut si non concedatur facultas lavacrum aquae suscipiendi: Hoc illi satis fuerit ad salutem: Reipsa verò etiam, ut si possit baptizari.

3. Fides enim, sine qua salus contingere adultis non potest, vera esse nequit, nisi conjunctum habeat studium obtemperandi mandatis Christi. Est igitur propter mandatum Christi necessarium, ut aut si potes cures baptismo etiam aquae tingi: aut si non possis, illum saltem exoptes & pro tua virili procures.

4. Nam si adsit vel contemtio vel negligentia, vera & justificans fides tua non fuerit. Atque hoc de adultis.

5. Tertio necessarius est infanti ad hoc, ut visibili insitione inseratur in Christum & in corpus Ecclesiae: non autem simpliciter ad salutem invisibilemque incorporationem: quasi sine lavacro aquae Christi membrum esse non possit & servari.

6. Hoc supra demonstratum est inde, quia filii nostri sunt in foedere, non minus quam erant filii Israëlitarum. Atqui illi etiam sine circumcisione servabantur, ut quando moriebantur ante octavum diem. Ergo neque nostri propterea damnandi sunt, quia, cum non potuerint baptizari, moriuntur sine baptismo aquae.

7. At de illis extat certa promissio, de nostris non. Respondeo: imò eadem ad nostros pertinet: alioqui duo sequentur absurda: *Primum,* Christum non venisse, ut in nobis inque sua Ecclesia confirmet promissiones de salute aeterna patribus factas: contra Apostolum omnesque sanctos. *Alterum* sequitur etiam, Gratiam Christi majorem fuisse erga illum Israëlis populum, quam erga suam Ecclesiam. Hoc etiam pugnat cum Scripturis, *Johan.* 1. De plenitudine ejus nos omnes accepimus gratiam super gratiam. *Item*, Venit plenus gratiae & veritatis. Quid gratiae de plenitudine Christi accipiunt nostri infantes, qui decedunt sine Baptismo aquae, nulla ipsorum culpa, si damnationi aeternae adjudicantur? Est etiam haec doctrina Scholasticorum. Tunc enim infantes bap-

baptizari baptismo flaminis, cum non possunt baptismo fluminis. *Th.* 3 *qu.* 18. *art.* 2.

8. Sed ad duo objecta respondendum est praecipuè. Primus locus est *Gen.* 17. Qui non fuerit circumcisus, exscindatur de populo Dei. Ergo etiam qui non fuerunt baptizati. Respondeo, de adultis fuit illud dictum. Tunc enim instituebat Deus circumcisionem foederis signum cum Abrahamo & ejus familia, ubi omnes adulti erant. Sensus igitur fuit, qui noluerit circumcidi, &c. Sic etiam de Baptismo concludimus: qui non fuerit baptizatus, *id est*, qui noluerit baptizari.

9. Caeteroqui, licet foeminae non circumciderentur, tamen servabantur & erant de populo Dei. Item de suo filio mortuo ante octavum diem eoque non circumciso dixit David puerum non rediturum ad se, sed se iturum ad eum. Quonam? nimirum in vitam aeternam. Ad eam enim se iturum certo sperabat.

10. Quomodo potuit illud dictum Genes. 17. intelligi de infantibus ante octavum diem morientibus, cum neque per ipsos steterit neque per parentes, quin circumciderentur, sed per legem Dei?

II. Alter locus est *Johan.* 3. Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu, non introibit in regnum coelorum. Hoc urget Augustinus, ut concludat, qui sine baptismo aquae decedunt, illos non introire in regnum Dei. Et tamen ipse de latrone pio in cruce, *ait,* in eo invisibiliter sine baptismo impletum fuisse, quod in Baptismo visibili demonstratur: Legatur *T.* 7. contra Donatistas *lib.* 4. *cap.* 22. 23. Et ita in genere concludit, Tunc impleri Baptismum invisibiliter, cum non contemtus religionis sed articulus necessitatis à visibili Baptismo excludit. Sic ille. Idem igitur etiam de infantibus, qui non potuerunt baptizari, dicendum, quod de latrone dixit Augustinus.

12. Imò qui etiam potuerunt baptizari, sed negligentia parentum non fuerunt baptizati, non judicandi sunt esse à regno foederum exclusi. Parentum enim negligentia seu contemtus fraudi esse non potuit aut potest infantibus.

13. Augustinus nimis mordicus accepit illa verba Christi, nec verum percepit sensum: sicut etiam illud accepit, Nisi manducaveritis carnem filii hominis, &c. Inde conclusit, Ergo etiam infantibus dandum esse Eucharisticum panem, corpus & sanguinem Domini: Quod tamen Ecclesia noluit facere.

14. Sensus igitur verborum Christi inspiciendus est. Dixerat Nicodemo, Nisi quis renatus fuerit desuper, ἄνωθεν, vel denuo, eum non posse ingredi in regnum Dei. Hanc vero renascentiam, cum non perciperet Nicodemus, eam explicavit simili Spiritus, *id est*, venti & aquae. Utroque enim in scripturis significatur Spiritus Sanctus, per quem fit regeneratio. Quod igitur aliis verbis conclusit, dicendo, Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu: idem voluit quod prius, *hoc est*, sine spirituali & coelesti renascentia, quae fit per Spiritum Sanctum, significatum & aqua & Spiritu, *id est*, vento, neminem servari posse.

13. Sic quidam doctissimi exponunt, ut idem nomine aquae & Spiritus intelligatur. Potest tamen de aqua etiam Baptismi intelligi & de Spiritu Sancto: sed unum est necessarium simpliciter & per se, regeneratio per Spiritum Sanctum: Alterum necessarium non simpliciter, sed nisi intercedat necessitas, qua fiat ut non possit quis lavacro aquae baptizari.

16.

16. Thomas Aquinas 3. p. q. 65. art. 2. exponit, *Nisi quis renatus fuerit ex aqua*, nempe vel reipsa, si potest, vel voto & desiderio, si non potest aqua baptizari. Et sic Ambrosius de Valentiniano ait, eum fuisse baptizatum voto & voluntate, licet non reipsa per lavacrum aquae: veniebat enim ad Ambrosium ut baptizaretur, sed in itinere mortuus est.

CAPUT VII.

De ritibus circa baptismum.

1. Quid nomine rituum intelligamus non opus est longa explicatione: Ritum vocant Latini ratum morem ac caeremoniam in actionibus sacris, ut in sacrificiis offerendis, &c.

2. Rituum igitur nomine intelligimus hîc illas caeremonias, quae in administrando Baptismo adhiberi solent, & quae partim in verbis partim in rebus & in actionibus consistunt.

3. Horum rituum tria sunt genera: quidam a Christo instituti & ab Apostolis observati: quidam à veteribus Patribus adjecti & in veteri Ecclesia recepti: quidam posterioribus temporibus a variis Episcopis excogitati & in Ecclesiam inducti.

4. Primi generis fuerunt numero (ut de Sacramentis loquitur Augustinus) paucissimi, significatione augustissimi, & factu seu observatu facillimi.

5. Hos describunt Evangelistae & Lucas in Actis. Primum exigebatur à baptizando poenitentiae protestatio: Actorum 2. & alibi: Est enim baptismus poenitentiae. Secundo, fidei confessio, Actor. 2. &c. *Matt.* 28. Qui crediderit, &c. Ideo non dubito, quin ad singulos symboli articulos baptizandi ritus responderit. Tertio, ad verba Baptismi quod attinet, haec fuit baptizandi forma, Ego te baptizo in nomine Patris, Filii & Spiritus Sancti.

6. Praecedebat tamen concio Evangelica de uno vero Deo, rerum omnium conditore & gubernatore, Patre, Filio & Spiritu Sancto: de peccatis nostris deque morte, cui propter peccatum obnoxii sumus: de Christo, per quem solum peccata tolluntur & à morte liberamur: de Fide, qua Christo adglutinamur & salutis participes fimus: Et de Baptismo, quo tanquam sigillo & obsignamur nos Christo, & promissiones Christi in nobis: quemadmodum in Actis Apostolicis videmus. Ita post doctrinam exigebant poenitentiam & fidem, ut diximus. Quarto, non dubito quin & preces accesserint. Nam etiam Christus a Joanne baptizatus orabat, Luc. 3.

7. Quinto, materia fuit simplicissima, sine exorcismis, sine sale, sine oleo, sine ulla Judaica aut Gentilitia Consecratione.

8. Atque hac aqua bifariam usi sunt: aut immergendo, ut in fluminibus & fontibus: sicut & Joannes baptizans faciebat in Jordane: aut aspergendo, ut Act. 2. liquet.

9. Sexto, addita aliquando fuit post Baptismum manuum impositio, ut baptizati acciperent dona visibilia Spiritus Sancti, sicut in Actis videre est. Caeterum hoc fuit temporarium.

10.

10. Nihil praeterea rituum circa Baptismum legimus aut a Christo mandatum fuisse, aut ab Apostolis usurpatum. Quare qui hanc retinent, ii errare non possunt. Hoc est primum rituum genus: quod & necessarium est & solum sufficit.

11. Alterum fuit, quo post tempora Apostolorum legimus in vetustissimis Patribus usam fuisse Ecclesiam: Qui fuerint ii ritus, describit Tertullianus vetustissimus Scriptor, in libro de Corona militis *pag.* 499. Et partim contra Marc. lib. 7. *pag.* 155.

12. Primum, aliquanto ante Baptismi susceptionem ii, qui jam jam baptizandi erant, contestabantur palam coram Ecclesia sub Antistitis (ut ipse loquitur) manu (id est, fortè data dextera) se renuntiare diabolo, & pompae, & Angelis ejus. Quis hunc ritum improbare queat? Erat enim publicum testimonium poenitentiae & explicatio baptismi, quo morimur (ipsi peccato) & sepelimur cum Christo: ut Rom. 6. explicat Apostolus. De hoc in Dec. de Consecr. dist. 4. can. 93.

B. Rhenanus in hunc locum Tertull. adnotat, partim ex Hieronymo partim ex interprete Dionysii Areopagitae, hanc abrenunciationem solitam fuisse fieri hoc modo. Antistes baptizaturus paganum vel alium sua manu eum apprehendebat & convertebat faciem ad occidentem, jubebatque eum complosis manibus insufflare ter Satanam, & disertis verbis cum illa manuum impulsione & exsufflatione renuntiare Satanae. Sed tamen non habetur expressè in Tertulliano. Inde verò apparet, quam depravatè introducta sit in Ecclesiam illa insufflatio. Illa fiebat à baptizando in Satanam, qua significabant se execrari Satanam & ejus regnum: Ista in Ecclesia Romana fit à baptizante in faciem baptizandi.

13. Facta hac contestatione mergitabantur (ut loquitur Tertull.) ter, amplius aliquid respondentes quam Dominus in Evangelio determinavit. Verba sunt Tertulliani: Haec trina immersio duplicem habebat significationem: primo, quod baptizamur in singulas tres personas in nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti. Secundo, quod baptizantur in mortem & sepulturam Christi, quae duravit tribus diebus & tribus noctibus: & in ejus resurrectionem, quae facta fuit tertio die. Mysterium hoc explicavit Augustinus, & habetur de cons. dist. 4. can. 76. Deinde praeter alios Gregorius primus in Epistola ad Leandrum Episcopum, quae extat in Registro lib. 1 & est Epistola 41. Et citatur in Decr. De cons. dist. 4. can. 78. De trina mersione. Et sent. lib. 4. dist. 3. Idem ritus servabatur etiam Romae, ut idem Gregorius ait: sed alibi semel tantum mergebantur, ut idem Gregorius docet in eadem Epistola. Et quidem Cyprianus unica tantum mersione utebatur. Neque hoc sine mysterio: significare enim volebat unitatem essentiae in tribus personis: Et Christianos, licet baptizentur in nomine Patris, Filii & Spiritus Sancti, non tamen baptizari in tres Deos, sed in unum tantum Deum. Apparet tamen ex Tertulliano antiquiorem fuisse ritum mergendi ter quàm semel. Sed quia quidam docebant non esse Baptismum, nisi ter mergeretur: Ideo in Concilio Tolet. quarto decretum fuit, ut semel tantum fieret immersio. Decret. de cons. dist. 4. can. 83. Quid sit illud, quod ait Tertullianus, amplius aliquid respondentes quàm Do-

Dominus in Evangelio determinavit, non explicat Tertullianus: sed credo esse illud, quod lego apud Augustinum in sermone ad Neophytos, & citavit in Decr. de cons. dist. 4. can. 71. Catechumenus in sacrum fontem ingressus pedibus, antequam toto corpore & capite lavaretur, interrogabatur de singulis articulis Fidei, quos habemus in symbolo: dicendo, Credis in Deum Patrem? respondebat, credo; credis in Filium &c. Christus autem videtur hoc tantum in Evangelio determinasse, ut quisque profiteretur se credere in Patrem, in Filium & Spiritum Sanctum, in quorum nomen quisque baptizandus erat. Cùm igitur responderent ad plures articulos, quam in Evangelio determinasset Christus, ideo ait Tertullianus, aliquid amplius.

14. Tertio, Subdit Tertullianus, Inde, (*id est*, è sacro fonte) suscepti lactis & mellis concordiam praegustant. Hac caeremonia significare volebant homini baptizato apertum esse regnum coelorum datumque esse jus aeternae vitae coelestisque patriae: cujus typus fuit terra Chanaan fluens lacte & melle. Mel igitur & lac, quod praegustandum dabatur baptizato, significabant fructus & felicitatem coelestis patriae, ad quam Christo incorporati per Baptismum tandem perveniunt. Hujus caeremoniae meminit & Hieronymus adversus Luciferianos, & ait hanc fuisse in oriente (ubi scilicet habetur copia mellis & lactis): in occidente autem solitum fuisse dari praegustandum vinum & lac sine melle. Quidam ajunt voluisse veteres hac caeremonia significare eum, qui baptizatus erat, jam esse filium Dei recens natum: eoque nutriendum cibo infantium. lacte & melle, *id est*, doctrina tali aetati congruente, sicut Paulus ait ad Cor. se dedisse lac potandum, nondum solidum cibum. Sed redeamus ad Tertullianum.

15. Subdit Tertull. Ab eo die, quo fideles fuerant baptizati, per totam hebdomadem abstinebant se à lavacro quotidiano, &c. Sed alius ritus praecedebat, de quo lib. 1. contra Marcion. pag. 155. Hic erat oleum quo inungebantur.

Quarto igitur loco baptizatus ungebatur totus oleo sacro. Imò haec unctio videtur ex illo loco Tertull. contra Marcion. praecessisse gustationem lactis & mellis. Ungebantur autem duplici de causa: Prima, ut hac etiam unctione intelligerent se esse Christianos, *id est*, unctos & regni Christi participes: Vide de consec. dist. 4. can. 86, 87. Deinde, ut significaretur Christianis pugnandum esse in hoc mundo contra multos fortissimosque hostes, de quibus Ephes. 6. Idcirco instar Athletarum oleo Spiritus Sancti muniendos & corroborandos esse. Et sic Ambrosius De Sacramentis: Decr. de cons. dist. 4. can. 85. Unctus es, quasi Athleta Dei.

16. Quinto: Subdit Tertull. & ait, Ex ea die (qua, *scilicet*, baptizati eramus & oleo uncti) lavacro quotidiano per totam hebdomadem abstinemus. Cur hac caeremonia uterentur causam ignoro: Fieri potest, ut in honorem Baptismi suscepti, & olei quo fuerant uncti, abstinerent à quotidianis ablutionibus, ne illis viderentur velle oleum sacrum à se abstergere. Quaecunque illa fuerit causa, certi sumus de hac veteri caeremonia ex Tertulliano.

Plures circa Baptismum ritus non reperio apud Tertull. Sed ex Ambrosio, & ex Rabano, & Burchardo, & aliis posterioribus, praeter alias multas, hanc etiam

etiam unam colligo, quam credo fuisse in illa vetustissima Ecclesia usitatam. Ea erat vestis alba & candidum capitis velamen.

17. Sexto igitur loco baptizati mox vestiebantur veste alba: Et caput candido velamine tegebatur. Hinc illa Dominica, quae immediatè sequitur Pascha Resurrectionis, Dominica in Albis vocabatur & adhuc vocatur: Tunc enim solenne erat baptisma catechumenorum.

Significatio hujus caeremoniae explicatur ab Ambrosio libro de Mysteriis, & citatur in Decr. de consecr. distinct. 4. can. 89. Accepisti (inquit) post baptismum vestimenta candida, ut esset indicium, quod exueris voluptatem peccatorum, & indueris innocentiae casta velamina. Significatio & vestis & velaminis in capite explicatur itidem à Rabano Episcopo Mogunt. & citatur eadem dist. can. 89.

18. Has ego caeremonias in Patribus illis non possum improbare: *primum* quia scopus Patrum fuit optimus, ut, *scilicet*, iis ritibus magis ac magis in mentibus fidelium infigeretur memoria baptismi & ejus effecta. *Accedit* quod aberat superstitio & opinio necessitatis: id quod inde apparet, quia trina immersio non erat apud omnes in usu, sed unica. Et ubi etiam erat in usu, postea propter haereticos, qui dicebant non esse verum baptismum, nisi ter immergatur, eam sustulerunt, & ut semel tantùm mersio fieret constituerunt: sicut apparet in Conc. Tolet. & in Registro Gregorii. *Tertio*, nihil habebant indecori neque ridiculi tales, quos recensuimus, ritus: sed graves erant, & res significatas efficaciter & reverenter mentibus fidelium infigebant. *Quarto*, quia veneror piam antiquitatem.

19. Caeterum, quod postea illae antiquae unà cum superstitiosis & ineptis aliis, quae in pontificatu usurpantur, ut sunt sputa, sal in os, & aliae a nostris sublatae sint: hoc factum est necessario propter introductas superstitiones & opinionem necessitatis.

20. Laudatur Ezechias, quod fregerit serpentem aeneum, qui tamen a Deo institutus fuerat, propterea quod illo jam coeperant abuti Israëlitae contra honorem Dei: quanto magis nostri laudandi sunt, quod hoc fecerint in ritibus ab hominibus institutis, quanquam per se non malis: cùm jam essent plenae superstitionum? Atque haec de secundi generis ritibus in Baptismo, qui in veteri Ecclesia usurpabuntur.

21. Tertii generis ritus sunt illi, qui post illam primam aetatem additi fuerunt, & quorum nulla mentio fit in operibus Irenaei, Tertulliani, & ejus aetatis hominum Apostolicorum. Ii sunt primum Exorcismi, & exsufflatio in faciem ejus qui baptizandus offertur. Qua de re Coelestini Papae decretum legitur de cons. dist. 4. can. 51. ut nemo baptizetur, priusquam exorcismis & exsufflationibus clericorum spiritus immundus abjiciatur: de iis multa in Dec. de cons. dist. 4. can. 51. Item can. 59, 60, 64, 65. Exsufflationis quidem & exorcismi meminit etiam Tertull. Sed longé diversi erant ab iis, quibus utuntur Pontificii.

Ac *primum*, ut supra vidimus, Exsufflatio fiebat non à baptizante in faciem baptizandi: sed à baptizando in faciem diaboli, cujus regno & pompae renunciabat. Ergo quod Exsufflatio fiat in faciem baptizandi à Sacerdote, ritus non est

est veteris illius Ecclesiae, sed posterioris. Coelestino enim primo Papae hoc decretum attribuitur a Gratiano. De cons. dist. 4. c. 51. Vixit autem Coelestinus tempore Theodosii Junioris, Nestorii & Cyrilli. Quanquam in Coelestini Epistola ad Episcopos Galliae apparet hunc ritum ante fuisse in Ecclesia, & quidem ubique receptum. Ait enim, In universo mundo sancta Ecclesia hoc uniformiter agit. Interim ex iis, quae ante dixi, constat hanc insufflationem longè aliam fuisse ab illa, quae tempore Tertull. usurpabatur in Ecclesia.

De Exorcismis idem dicimus. Exorcismos, *scilicet*, quibus per Deum & per Christum adjurabatur Diabolus, & jubebatur exire ex homine, quem invaserat, antiquissimos fuisse & singulare donum Spiritus Sancti, quo & Apostoli tempore Christi, & postmodum alii etiam fideles donati erant, ut in Actis legimus & in Evangelistis. Daemonia ejicient, inquit Christus: Ac de hoc dono exorcizandi daemones loquitur Tertull. in Apolog. & ante eum Justinus in prima Apologia. Hoc nemo inficiari & improbare potest. Sed quod additi sint Baptismo, & constitutum, ut nemo baptizari possit, nisi exorcizetur prius: Hoc certè neque è scripturis neque ex prioris illius temporis patribus probari ullo modo potest. Citatur quidem locus ex Cypriano Epistolarum libr. 4. Epist. 7 ad Magnum: sed de primo genere loquitur: & ait, si non fugatur Diabolus exorcismis, cum tamen venitur ad aquam salutarem, ibi Diabolum opprimi. Veterem tamen fuisse ante Baptismum exorcizandi consuetudinem negare non possumus: quando de iis in baptismo exorcismis multa scribit Augustinus & alii ejus aetatis doctores.

22. De Exorcismis igitur haec pauca breviter notanda sunt:

1. Quid sit Exorcismus.
2. Quotuplex.
3. An in Baptismo retinendi sint Exorcismi.

23. Ad primum quod attinet: Exorcismus ἀπὸ τοῦ ἐξορκίζειν dicitur: ὀρκίζειν autem & ἐξορκίζειν significat adjurare per Sacra, ut per Deum, per Christum, &c.; liquet in Evangelio: Marc. 5. Diabolus adjurat Christum, dicendo: ὀρκίζω σε τὸν Θεὸν, *id est*, per Deum, ne me torqueas. Item Actor. 26. Pontifex itidem adjurat Christum, dicendo: ἐξορκίζω σε, *per Deum vivum*, *ut nobis dicas*, *si tu es Christus: id est*, nomine Dei tibi mando, ut dicas. Actor. 19. contra filii Saevae adjurabant Diabolos per Jesum, quem praedicabat Paulus. Et 1. Thessal. 5. Paulus adjurat Thessalonicenses per Dominum, dicendo ὀρκίζω ὑμᾶς *per Dominum*, *ut Epistola haec legatur ab omnibus sanctis.*

24. Exorcizare igitur nil aliud erat, quam per sacra, ut per Deum & per Christum, ceu interposito jurejurando & Dei autoritate, alicui aliquid ut diceret vel faceret mandare: ut in exemplis allatis vidimus. Hinc quid sit Exorcismus in genere videmus.

Est adjuratio per Deum aut per Christum perque res sacras facta, qua alicui ut aliquid vel dicat vel faciat mandatur.

25. Hinc etiam (ut ad secundum veniamus) liquet duplicem esse Exorcismum: unum generalem, quo, *scilicet*, non solum daemones, sed etiam homines exorcizantur, de quo modo diximus: alter specialis, quo ad pellendos ex hominibus cacodaemones utimur.

26.

26. Sed hic etiam duplex est: unus divinus ac verus: alter humanus & falsus, atque inutilis & superstitiosus.

27. Prior fuit donum Spiritus Sancti, quo Apostoli primum & deinde alii etiam fideles ab Arreptitiis, *id est*, ab hominibus à Diabolo oppressis pellebant daemones: de quo supra diximus.

28. Duravit hoc donum in Ecclesia per aliquot secula, etiam post tempora Apostolorum, ut liquet ex Justino & Tertulliano atque etiam Cypriano.

29. De hoc genere Exorcismorum si interroges, quorumnam erat Exorcizare & quinam exorcizabantur? Responsio in promptu est ad utrumque: Exorcizare non poterant, nisi qui hoc donum à Spiritu Sancto accepissent. Non enim omnium erat donum hoc. Neque etiam exorcizabantur, nisi obsessi a diabolo, quos Arreptitios & Energumenos vocant: *id est*, qui manifesta dabant signa in suis corporibus se suaque corpora a Diabolo obsideri: cujus generis homines multi reperiebantur tempore Christi & Apostolorum: sic Deo permittente, quo ex eorum liberatione per credentes in Christum & in nomine Christi facta religio Christiana confirmaretur.

30. Quo etiam spectabat aliud donum, quod in primitiva Ecclesia vigebat: nempe, ut multi aegroti, oleo a presbyteris Ecclesiae uncti, addita invocatione nominis Christi & precibus curarentur: qua de re Jacobus etiam in sua Epistola loquitur c. 5. Infirmatur quis inter vos? accersat presbyteros Ecclesiae, & orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini: Et oratio justi servabit infirmum. Dona fuerunt temporaria, donec religio Christiana per totum orbem propagaretur.

31. Sed nostri Episcopi, quanquam dona ista desierint, ritus tamen retinere voluerunt & unctionis & Exorcismorum. Ac sicut olim (ut ad Exorcismos redeam) non erat cujusvis exorcizare, sed eorum tantummodo, qui donum pellendi daemones acceperant: sic nostri Episcopi officium Exorcizandi certis quibusdam personis ex ordine (ut vocant) Ecclesiastico delegarunt, quos Exorcistas vocarunt: sed tandem omnibus etiam presbyteris qui baptizant concesserunt.

32. Neque etiam utuntur Exorcismis erga solos Arreptitios, sed erga omnes qui baptizandi sunt.

33. De hoc igitur altero Exorcismorum genere (ut ad tertium caput veniamus) quaeritur: Num retinendum sit in Ecclesia & eo utendum, quum quis ad Baptismum accedit.

34. Non solùm Pontificii, sed etiam nonnulli alii, qui Evangelium profitentur, contendunt esse retinendos Exorcismos. Adferunt autem pro sua sententia tum Patrum atque imprimis Augustini testimonia, tum etiam rationes aliquot.

35. Sed ad Patres quod attinet responsio facilis est: primum, illi prioris & purioris Ecclesiae patres de priori genere Exorcismorum loquuti sunt, ut Justinus & Tertullianus. Itaque illorum testimonia nil ad secundum genus pertinent. Posteriores patres non sunt hac in parte audiendi, tum quia nulla adferunt testimonia scripturarum, tum quia nil aliud habent ii Exorcismi, quàm superstitionem.

36.

36. Rationes etiam, quas nostri homines adferunt, nullae sunt & dilui facilè possunt, id quod ab aliis factum est: ut non sit necesse me in praesentia eas refutare. Nos itaque contrá dicimus tales Exorcismos *primum* non esse necessarios, *deinde* esse vanos ac superstitiosos: ac proinde esse rejiciendos. Martyr in 2. Sam. cap. 8.

37. Non esse necessarios liquet, quoniam Christus, cùm instituit Baptismum, non jussit quempiam Exorcizari. Neque etiam Apostoli, cùm baptizabant, exorcismis utebantur, ut manifestum est in Actis Sed neque veteres patres id fecisse leguntur, tempore, *scilicet*, Tertulliani & Irenaei. Et Apostolus simpliciter ait, Christum Ecclesiam sanctificare lavacro aquae in verbo.

38. Vanos etiam esse manifestum est, quia adhibentur aut ad pellendos diabolos ex animo aut e corpore. Ex animo pellitur per Christum utentem, tanquam organo, lavacro aquae in verbo. E corpore similiter, si illud accepit, pellitur per eundem Christum in ipso Baptismate. Quo pertinet illud Cypriani ex Epistola ad Magnum, Cùm ad aquam salutarem (*inquit*) atque ad Baptismi sanctificationem venitur, scire debemus & fidere, quia illic diabolus opprimitur, & homo dicatus divina indulgentia liberatur. Nam sicut scorpii & serpentes, qui in sicco praevalent, in aquam praecipitati praevalere non possunt aut sua venena retinere: sic & Spiritus nequam, qui scorpii & serpentes appellantur, & tamen per nos data a Domino potestate calcantur, permanere ultrà non possunt in hominis corpore, in quo baptizato & sanctificato incipit Spiritus Sanctus inhabitare. Haec Cyprianus. Vani igitur sunt ii Exorcismi in Baptismo.

39. Deinde cùm isti nostri non habeant donum curandi manifestè arreptitios ac daemoniacos: vanum est quod jactant, se suis Exorcismis pellere diabolos ab iis, in quibus suae praesentiae nullum praebent testimonium aut signum.

40. Denique novimus Baptismum successisse Circumcisioni, ut & ad Coll. liquet. At cum erant pueri circumcidendi, nunquam adhibiti fuerunt Exorcismi: cùm tamen multi essent in Israël Exorcistae, qui facultatem pellendorum diabolorum à Domino acceperant. Ergo neque in Baptismo adhibendi sunt.

41. Quomodo etiam probabunt se habere hanc autoritatem? vanum igitur est, quod agunt.

42. Quanta verò sit superstitio in iis Exorcismis notum est omnibus. Nolunt enim Baptismum prodesse sine Exorcismis. Optime igitur factum est ab illis Ecclesiis, quae hujusmodi Exorcismos à se profligarunt. Haec est *prima* vana caeremonia, quae à Pontificiis addita fuit Baptismo.

43. *Secunda* fuit oleum, quo non, sicut veteres, totum corpus ungebant, sed quo tantùm pectus, scapulas & frontem inungunt. De qua caeremonia & ritu atque illius significationibus multa in Decr. de cons. dist. 4. can 68. 71. 85. 87. 88. Quanta superstitione utantur in hac unctione, legantur ibidem ii canones 117 usque ad 125: permittunt presbyteris, ut ungant pectus & inter scapulas, sed frontem tantùm licet Episcopo: & multa alia ibi vanissima.

44. *Tertia* est sal, quod in os baptizati imponunt. De quo in Decr. dist. 4. can. 62. 63.

45. *Quarta* est sputum seu saliva, qua aures & nares tangunt, cum iis

 verbis:

verbis: Effatha, quod est, adaperire, can. 66. 67. Aiunt etiam Dominum Jesum suo sputo illuminasse caecum.

46. *Quinta*, Addunt & cereum accensum. Qua significant illum jam esse e regno tenebrarum translatum in regnum lucis & Filii Dei, qui est lux mundi.

47. Nihil habent, cujus non reddant aliquam rationem & significationem: sed cum sine verbo Dei haec faciant, deinde plena sint superstitionum, tertio, cum velint esse necessaria: apparet iis contaminari Baptismum.

48. Caeterum licet iis superstitiosis ritibus contaminetur Baptismus: interim tamen non desinit verus esse Baptismus, nec vis ejus tollitur: cùm integra maneat tota ejus substantia, ut rebaptizatione non sit opus.

49. Quare impiè simul & imperitè faciunt illi, qui aut in Ecclesia Romana, aut in nostris Ecclesiis ritè baptizatos curant rebaptizandos.

DOCTRINAE EX POSTREMA PARTE.

CAP. 5. AD EPHES.

Primus locus.

De subjectione, cum in genere tum maximè ea, qua uxores subjecta esse debent viris suis, vers. 21. ὑποτασσόμενοι ἀλλήλοις ἐν φόβῳ Θεοῦ.

Quatuor autem explicanda sunt.

1. Quid sit subjectio haec in genere, & in quibus rebus consistat.
2. Quam utilis sit & necessaria in mundo.
3. Quotuplex sit.
4. De speciali subjectione uxoris, & quibus in rebus posita sit Nam de causis, cur debeat esse subjecta viro suo, dictum est satis in explicatione contextus Apostolici.

De primo.

Vox Latina *Subjectio* significat simpliciter sub alio jacere, id est, ponere: est igitur supponere alii: ut subjicere securi & gladio cervices, &c. Ita quicquid sub alio positum est dicitur illi esse subjectum.

Graeca vox aliquid amplius significat: ὑποτασσόμενοι & ὑποτάττειν est ordine quodam alia aliis subjicere, id quod vocant subordinare. Unde Apostolus ad Thessal. jubet observari eos, qui ἀτάκτως, id est, extra legitimum ordinem, & tanquam nemini nullisque legibus subjecti vivunt.

Hebraei duo habent vocabula, *Chabasch*, hoc est, quasi sub jugum ponere: significat ergo servitutem aliquam. Alterum à *Iharath* descendit. Ita significat humiliationem & esse in inferiori loco: eoque honorem & reverentiam quandam in se includit. Haec varia verba varias subjectorum conditiones erga suos superiores significant: ex quibus quid sit subjectio, & quibusnam in rebus posita sit, intelligi possit.

Pri-

Primum autem ac principale in omni subjectione est ordo inferioris ad superiorem. Omne enim subjectum alteri subjectum est, & ab eo certo & legitimo ordine, tanquam minùs perfectum à perfectiore & ignobilius à nobiliore & mobile à movente, pendet.

Subjectio igitur in genere est dispositio, qua ex ordinatione divina res una supposita est alteri, tanquam imperfectior perfectiori, ut per hanc subjectionem res inferior à superiori moveatur, regatur & perficiatur.

1. Dispositio haec liquido apparet primum in mundi creatione, ubi Deus, sicut omnia creavit certo in numero, pondere & mensura, sic omnia etiam certo & pulcherrimo ordine collocavit, minùs perfecta perfectioribus, & ignobiliora nobilioribus subdens: Terram aquae, aquam aëri, aërem igni, elementarem mundi partem coelesti, & orbes orbibus: ex qua dispositione atque ordine tum ornatus ac pulchritudo, tum perfectio ac conservatio mundi resultat: superioribus influentibus in inferiora, & inferioribus subservientibus superioribus, debitumque honorem deferentibus: de qua dispositione illud Sapient. 8. Sapientia attingit à fine usque ad finem fortiter, & disponit omnia suaviter.

2. Eadem apparet in μικροκόσμῳ, *id est*, in homine: ubi corpus subjicitur Animae, & ignobiliora membra nobilioribus, & potentiae Animae inferiores superioribus: omnes verò menti & ἡγεμονικῷ. Subjectio haec perfectissima fuit in ipsa creatione: ac dum mansit integra, perfectus ac felix fuit homo.

3. Eadem dispositio saluberrimusque ordo conspicitur in humana societate, in qua Deus voluit & vult alios aliis, minores majoribus, imbecilliores fortioribus, imprudentiores sapientioribus, impotentiores potentioribus esse subjectos, liberos parentibus, famulos dominis, uxores viris.

Mirabilissimè etiam apparet haec divina subjectio in ea catena Apostolica, cùm ad I *Cor*. 6. ait, Omnia vestra sunt, vos autem Christi, Christus autem Dei. Omnia enim subjecta sunt homini & Ecclesiae: Ecclesia Christo, Christus Deo: ac proinde alibi ait, c. 11. Virum caput esse mulieris, caput viri Christum, caput Christi Deum. Est enim Christus, quatenus Mediator, inferior Patre.

Ex iis satis liquere arbitror, quid sit subjectio, à quo sit, & quorum sit, & in quem finem instituta: ac proinde quibus etiam in rebus consistat: in obedientia nimirum & reverentia erga superiorem. Obedientia est, dum inferiora sinunt se agi, moveri, regi à superioribus: honor & reverentia est, dum eadem suo quodque loco contenta, superioribus subjecta manent.

Dixi verò subjectionem hanc esse dispositionem rerum inferiorum & superiorum ex ordinatione divina institutam. Nam quae contra ordinem divinum fit, ea probari non potest: ut si quis se subducat à subjectione Christi, & se subdat Diabolo; aut uxor à subjectione, qua subjecta est viro, & se subdat adultero: aut si in rebus ad conscientiam pertinentibus quis se subjiciat hominibus: has damnat Apostolus, quia non sunt ex ordine & voluntate Dei, sed pugnantes potiùs, & ἀταξίαι sunt, non εὐταξίαι. De legitima autem & ordinata à Deo subjectione loquimur cum Apostolo. Atque haec de primo.

De

De Secundo.

Hinc sequitur alterum: nempe ex dictis liquere, quàm utilis & necessaria sit in mundo haec legitima ac divina subjectio. Mundus hic magnus, ideò & pulcherrimus est, & conservatur: quia omnia pulcherrima ordine à Deo condita, & inter se collocata, in eo etiam se continent subjectaque manent. Subducat se terra ab aqua, & alia elementa à se invicem, Coeli item inferiores à superioribus: totus corruet orbis. In minori mundo idem manifestum est. Recusent pedes subjici tibiis: renuat venter subjectionem ori, ut nolit cibos capere: detrectent manus facere quae caput jubet: perierit homo. Hoc apologo demonstravit orator ille apud Livium, nihil esse perniciosius in corpore Reipublicae, quam si inferiores recusent subjici superioribus, populus Senatui. Ordine omnia servantur: confusione perduntur familiae, pagi, urbes, provinciae, regna. Noluit Lucifer simpliciter Deo subjectus esse: periit. Idem facere coepit Adamus: in quantam miseriam lapsus est, totumque humanum genus secum pertraxit? Contra Ecclesia subjecta manet Christo: servatur. Ideò Apostolus ait, caput Christum servatorem esse corporis, nempe sibi subjecti: subjectionem autem recusantis servator non est. Ergo sicut nihil perniciosius est, quàm si inferiora nolint subjici suis superioribus: sic contra nihil salutarius hac legitima & à Deo instituta, de qua loquimur, subjectione & subordinatione: ut meritò moneat nos Apostolus, dicendo, ὑποτασσόμενοι ἀλλήλοις, sed ἐν φόβῳ Θεοῦ: quasi dicat, prima subjectio debetur Deo: in hac cumprimis persistendum est, & ad hanc omnes aliae referendae, & juxta hanc metiendae, nihilque contra hanc admittendum: hoc est enim subjici alios aliis, non simpliciter, sed in timore Dei. Hic timor haecque prima subjectio efficit, ut reliquae omnes sint salutares. Ac de utilitate & necessitate subjectionis dictum esto.

De Tertio.

Nunc quotuplex sit breviter dicendum est.

Prima partitione seco subjectionem in Physicam, Politicam, Christianam. Prima est generalissima, ad omnes creaturas pertinens: secunda generalis ad omnes homines: tertia specialis ad Christianos.

Physica igitur est ea, quae in rebus physicis conspicitur, qua *scilicet* res omnes à Deo conditae, ita naturaliter ordinatae sunt, ut aliae aliis immutabili ordine subjectae maneant: & qualis in ipso etiam μικροκόσμῳ, id est, in homine cernitur: ubi membra membris naturaliter subjecta sunt. De hac non loquitur Apostolus.

Christiana ea est, qua Ecclesia Electorum singulaque vera ejus membra subjecta sunt Christo tanquam capiti: neque de hac loquitur, cùm ait: subjecti estote alii aliis: sed de hac loquitur, cum infra ait: sicut & Ecclesia subjecta est Christo, quae quia fit per fidem & dilectionem atque obedientiam, ideò de hac intelligenda sunt omnia, quae supra docuit de fide in Christum, deque studio sanctae vitae & obedientiae.

Politica est ea, quam in omni humana societate videmus: qua *scilicet* alii

aliis

aliis subjecti sunt, & subjecti esse debent: deque hac propriè loquitur, cùm ait in genere ὑποτασσόμενοι ἀλλήλοις.

2. Rursus haec politica dividitur in tres species: quarum prima ordine naturae est ea, qua uxor subjecta est & esse debet marito: deque hac loquitur Apostolus in hoc cap. 5. Secunda est ea, qua filii suis parentibus subjecti sunt, jure divino atque humano: de hac disseret in c. 6. Tertia est, qua servi suis Dominis subjiciuntur: de qua cap. 6. quae postea etiam subdividitur in varias species, prout etiam varia sunt genera dominorum: sunt domestici, sunt publici, ut reges, principes &c. de quibus postea.

3. Rursus omnis etiam subjectio politica dividitur in voluntariam & involuntariam: voluntariam, inquam, & involuntariam respectu subditorum: quia alii volentes subjiciuntur, & subjecti permanent in subjectione volentes, alii inviti. De priori loquitur Apostolus, dicendo: subjecti estote, &c.

4. Rursus omnis politica & voluntaria etiam subjectio dividitur in bonam ac laudabilem, & in malam ac vituperabilem. Bona ea est, qua ita voluntariè subjicimur hominibus, ut non desinamus subjecti esse Deo divinaeque ejus voluntati: Mala est, qua ita subjicimur hominibus, ut aliquid contra subjectionem, quam debemus Deo, efficiamus, & qua ita obedimus hominibus, ut non obediamus Deo. Priorem vocat Apostolus subjectionem ἐν φόβῳ θεοῦ: altera igitur appellari potest ἄνευ φόβου τοῦ θεοῦ. Prior est propria piorum: posterior impiorum. Ideò illam à nobis exigit, dicendo: subjecti estote in timore Dei: Alteram damnat, dicendo ad *Gal.* 5. Nolite fieri servi hominum. Atque haec de partitione subjectionis satis sunto.

Subjectionem, qua omnia subjecta sunt Deo, dividunt Scholastici in eam, qua omnes etiam Diaboli subjecti sunt potestati divinae, & in eam, qua quis subditus est Deo ut Patri per unionem dilectionis. Sed haec partitio revocari potest ad illam, quam diximus, aliam esse voluntariam aliam involuntariam.

Aliam quoque addunt partitionem: ajunt subjectionem & Christi & cujuslibet hominis ad Deum triplicem esse: unam secundum gradum bonitatis, alteram secundum potestatem, tertiam secundum obedientiam. Declaro in Persona Christi, quatenus Mediator est. 1. Christus dicitur subjectus esse Deo, quia bonitate Deus superior est, & quicquid bonitatis habet Christus, qua homo & Mediator est, habet à Patre; unde & Christus dixit, solum Deum esse bonum, *scilicet*, per se & ex se. 2. Dicitur subjectus, quia potestate etiam Deus superior est Christo Mediatore: ideò cum dicimus Christum, quatenus Mediator est, sedere ad dextram, intelligimus eum regnare cum Patre, in Majestate tali & tanta, qualis & quanta communicari potest alicui creaturae: sed quatenus unus idemque cum Patre Deus est, eum etiam aequali cum Patre majestate regnare praedicamus. 3. Subjectus est Patri, quia illi debet obedientiam: non autem Pater Filio.

Caeterum de hac subjectione nobis sermo hîc non est, cum neque de hac loquatur hîc Apostolus. Resumo igitur primam politicae subjectionis speciem, quae est uxoris ad virum.

De

De Quarto.

De officio uxoris erga virum, seu quibusnam in rebus consistat subjectio uxoris ad virum.

Apostolus tribus tantummodò vocibus utitur ad officia uxoris erga virum exprimenda.

Primum est, cùm ait, mulieres subjectae sint viris suis tanquam Domino in omnibus, sicut & Ecclesia subjecta est Christo.

Secundum est, cum eam comparat corpori, virum autem capiti.

Tertium, cùm in fine capitis ait, Mulier autem (curet) ut timeat virum suum. Quo verbo talem intellexit timorem, qui ex amore & reverentia erga maritum proficiscitur: qualis est etiam timor filiorum erga parentes.

Caeterum iis paucis verbis multa complexus est Apostolus, quae partim alibi traduntur in sacris literis, partim a profanis scriptoribus fusiùs explicantur.

Aristoteles officia uxoris omnia ad septem capita revocat, Oeconom. lib. 2. Ea paucis verbis collecta referam: Ad veram enim subjectionem uxoris explicandam non parum prosunt.

1. Sicut viri est focis negotiari, & opes acquirere, & acquisitas domum importare: quam ob causam Natura fecit eum tum prudentiorem, tum fortiorem: sic contra officium uxoris tanquam imbecillioris est domi manere, & quae a marito ei commissa est, familiam curare, custodire, servare, bonaque a viris deforis parta, fideliter & prudenter dispensare: sed quomodo? Vult Philosophus, ut uxor haec omnia agat non ex suo capite, sed ex praescriptis sibi a viro legibus. Proprium igitur uxoris officium est domi regnare, rem domesticam administrare, filios & ancillas regere, & unicuique necessaria suppeditare: verum non nisi ex legibus a viro vero totius familiae capite sibi praescriptis haec omnia agere debet. Hoc Paulus indicat verbo subjectionis, nomine corporis & capitis, & exemplo Ecclesiae. Nam Ecclesiae quoque est curare filios Dei, & bona nobis a Christo parta dispensare per verbum & sacramenta. Sed quomodo? ex praescripto Christi capitis sui. Hac enim ratione vera subjectio eoque vera reverentia & obedientia erga maritum declaratur. In hoc quoque consistit vera totius corporis & singulorum membrorum ad caput subjectio: nempe, ut suum quodque faciat officium, non ex sese, sed prout à capite jubentur atque monentur. Quapropter sicut illa non est vera Ecclesia, quae non ex voluntate Christi, sed è suo cerebro docet, agit, regit: sic neque illa est vera uxor, quae familiam regit & rem domesticam tractat, non ex recta viri voluntate, sed e sua libidine. Hoc est primum, unde reliqua & ad interna ipsius domus spectant.

2. Officium secundum respicit externa: atque illud est, caveat uxor ne exteros in domum sine voluntate & consensu viri intromittat: ac si quid mali contingit domi, ne illud aliis extra familiam, sed soli marito revelet, & innotescere sinat. Hoc enim etiam ad subjectionem pertinet: & sic se gerit vera Ecclesia erga Christum: non admittit exteros, qui non sunt nec esse volunt de familia Christi, ad consortium fidelium & ad participationem sacramentorum: uti sunt haeretici, infideles, Apostatae. Si quid etiam mali contingat inter

inter fideles, illud propalam non facit extra Ecclesiam apud infideles. Semper enim quaerit honorem Christi & ejus familiae. Proinde arguebat Apostolus Romanos, quod per ipsos nomen Dei blasphemaretur inter Gentes. Non sunt igitur bonae uxores, quae aut peregrinos in aedes admittunt sine consensu mariti, aut domestica peccata extra familiam spargunt. Hac de causa Apostolus reprehendit 1. Cor. 6. quod lites inter se non componerent, sed deferrent ad infidelium tribunalia.

3. *Tertium* ad vestimenta pertinet, & est ne curet se praeter leges civitatis splendidiore vestitu & apparatu ornari: sed magis virtutibus mulieres decentibus, modestia, verecundia, pudicitia. Ratio, quod illud primum ornamentorum genus magis ad hoc pertineat, ut aliis hominibus placeant, quam ut a propriis maritis amentur: virtutes autem verum sunt ornamentum, quo placere magis ac magis possunt suis maritis. Sic etiam vera Christi Ecclesia facit: non curat externas pompas, sed studet ut placeat Christo christianis virtutibus. Atque hoc ideò facit, quia novit hanc esse voluntatem Christi. Sic Paulus docuit 1. Timoth. 2. vers. 9. Mulieres volo in habitu ornato cum verecundia & sobrietate ornantes se non intortis crinibus, aut auro vel argento, aut margaritis vel preciosa veste, sed quod decet mulieres. Hoc etiam ad veram subjectionem pertinet, ut uxores non curent aliis placere quam viris suis. Vide 1. Petr. 3. vers. 3.

4. *Quartum* contra curiositatem & πολυπραγμοσύνην facit: est autem hoc, cùm ad solum virum pertineat aut negotia Reipublicae tractare, aut de negotiis suorum deliberare: officium uxoris esse docet Aristoteles, neque de negotiis Reipublicae loqui nedum se illis immiscere, neque etiam de tractandis imperiis aut loqui aut audire velle: sed utrumque viro & ejus voluntati relinquere: curet rem domesticam, publica negotia relinquat viro, quando ad haec illa vocata non est, sed vir: Et sic docet etiam Apostolus cùm ait, 1. *Tim.* 2. Mulier in silentio discat cum omni subjectione: *Item*, Mulier nolo autoritatem usurpare in virum: *Item*, Salvabitur per filiorum generationem, si permanserit in fide: quasi dicat, haec est illius vocatio, ut curet liberos ac rem domesticam, non autem, ut cum marito deliberet de statu Reipublicae, neque eum doceat, sed potius ab ipso discat cum omni subjectione. Hoc etiam facit Ecclesia: curat quae domi sunt juxta praescriptum verbi Dei: quae supra nos sunt, & quae ad solum Christum pertinent, de iis non est sollicita, sed ea relinquit Christo pro ipsius sapientissimo & justissimo judicio perficienda: sicut & Apostolus docet, *Roman.* 12. Nolite sapere plus quam oportet sapere: sed sapere ad sobrietatem. Sic corpus in homine non se immiscet negotiis, consiliis & deliberationibus mentis, quae in capite regnat: sed ab illa discit, quid sibi faciendum sit. Sic igitur etiam uxor sese debet gerere erga maritum: id quod est testimonium & officium verae subjectionis.

5. Addit Aristoteles *quintum* officium: Bonae uxoris est ita subjici viro, ut semper ejus vitam ac mores observet, seque ad eos vel imitandos si boni sint, vel tolerandos si mali sint & difficiles, componat. Nisi enim sic agat, nunquam pacificè vivet cum marito, neque bene reget familiam. Cogitare ergo debet, sibi datum esse a Deo virum, ut sit sibi & exemplum vitae & materia atque exer-

exercitium patientiae. Idcirco cum viro nunquam rixari aut contendere debet. Sic etiam se gerit Ecclesia erga Christum: in illum semper intuetur tanquam in exemplum suae vitae: si quid immittat adversi, cum illo non disputat cur sic aut sic faciat, sed crucem sibi impositam fert aequo animo. Novit enim Christum etiam pro se passum esse, factum Patri obedientem usque ad mortem, mortem autem crucis. Quo pertinet illud Apostoli Petri, 1. *Petr.* 2. Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia ejus. Ergo etiam uxor eodem modo sese debet subjicere viro suo, ut honestos ejus mores imitetur, difficiciles autem ferat.

6. *Sextum* est, ut ab ipso initio conjugii virum discat casto amore diligere, eum revereri atque timere, cavens ne ulla re eum offendat eumque a se alienet. Hic est ille timor, de quo Apostolus ait in fine capitis, ἡ δὲ γυνὴ ἵνα φοβῆται τὸν ἄνδρα. Hunc etiam timorem requirit Aristoteles in proba uxore: timorem, *inquam*, quo non propter metum poenarum, sed ex timore & reverentia erga maritum, diligenter sibi caveat ne eum offendat, neve quid illi ingratum faciat. Nam talis est etiam timor, quo Ecclesia timet Deum & Christum sponsum suum. Ideò Ecclesiastici 2. & alibi, timor Domini cum dilectione conjungitur: Timentes Dominum diligite illum.

7. Ad extremum addit Aristoteles, probae mulieris esse virum suum fideliter & constanter sequi illique tam aegroto quam sano, tam senio confecto quam juveni, tam deliranti quam sapienti, adesse & inservire: modo ne in rebus inhonestis & iniquis morem gerat: futurum enim, ut maritus melius sapiens & ad se reversus eam magis amet, si videat eam esse verè honestam & probam, quam si turpia fuisset marito gratificata. Optima & verè pia admonitio. Hoc est quod Apostolus dicit debere, esse subjectam tanquam Domino & in timore Domini. Nam talis quoque est subjectio Ecclesiae: subjectio casta, pia, sancta. Neque enim ulla alia placet Christo. Cicero etiam dicit, Non esse amici injusta & turpia petere, aut petita concedere. Et vulgatum est proverbium, Amicitia usque ad aras. Probae igitur uxoris est, excepto peccato & injuria adversus Deum, in reliquis omnibus (ut docet Paulus) viro suo obtemperare, gratificari, inservire: eumque in omni fortuna constanter sequi, amare, colere.

Haec ex Aristotele desumta & explicata non parum faciunt ad illustrandum hunc locum Apostoli de officio uxoris erga virum, & quibusnam in rebus consistat haec subjectio.

Summa haec est, sicut Ecclesia subjecta est Christo, six uxor subjecta esse debet viro suo. Qualis autem sit & quibus in rebus consistat Ecclesiae subjectio, liquido constat nobis e Sacris Literis. Consistit summatim in hoc, ut in omnibus rebus semper pendeat a Christo, & ab eo se sinat doceri, agi, duci, gubernari, serviens illi in fide & dilectione juxta verbum ipsius Christi. Atque haec de subjectione, tum in genere tum maximè uxoris ad maritum suum, satis in praesentia.

Secundus locus.

Conjungitur cum hoc locus etiam de officio mariti erga uxorem suam. Apostolus, sicut

sicut omnia uxoris officia complexus est duobus nominibus, nomine *Subjectionis* & nomine *Timoris*: qualis veró debeat esse haec subjectio exemplo Ecclesiae indicavit: sic omnia viri officia uno verbo, verbo scilicet *Diligendi*, comprehendit: sed qualis debeat esse haec dilectio exemplo dilectionis Christi erga Ecclesiam perspicuè declaravit. Ergo non nudam dilectionem requirit: sed talem, quae nihil eorum negligat, quae ad salutem uxoris, tum animae tum corporis, pertinere videantur. Quae autem illa sint, ipsa vera dilectio diligentem docebit. Explicat idem similitudine capitis ad corpus.

Causae verò, cur vir debeat diligere uxorem, supra explicatae a nobis fuerunt ex verbis Apostoli collectae. Restat igitur, ut, quae Aristoteles tradidit de officio boni mariti, breviter referamus: idque propterea, quod & honesta sunt prudenterque observata, & nonnihil ad intelligentiam loci Apostolici faciunt.

Initio legem tradit de ducenda uxore: Ducturus uxorem ducat puellam: talem, *scilicet*, quae apta sit ad matrimonium: Tales autem sunt, quae annum agunt plus minùs 18. Rationem hujus admonitionis adfert, quae haec est. Similitudo morum amorem conciliat: dissimilitudo odium. Conservatio autem suavitas & felicitas matrimonii in amore mutuo consistit: quia hoc maximè nexu verè fiunt una caro. Danda igitur est opera viro, ut talem ducat uxorem, quae moribus sibi similis sit aut facilè fiat. Atqui puellae propter aetatem faciliùs ad tuos mores flecti possunt, quam adultiores & duriores in suisque moribus obduratiores: quales praesertim sunt viduae. Ergo praeceptum hoc tanquam politicum contemnendum non est. Oecon. lib. 1. cap. 4. Addamus verò nos: Ducat puellam, sed piam suaeque religionis & piè Christianeque educatam.

Post traditam hanc de ducenda uxore legem, eamque Hesiodi testimonio comprobatam: docet quomodo debeat se gerere vir erga puellam jam in matrimonium ductam: Et omnia ad 5. capita referuntur. Tametsi non eodem planè ordine narro quo ille, nihil refert Nam neque quod modo dixi de ducenda uxore praeponit, cum tamen praeponendum sit. Sic neque quod jam dico priori loco tradit: sed ego specto ordinem quendam temporis. Simulac igitur uxorem quis duxit, permittere non debet probus vir, ut uxor nimio & fucato ornatu utatur, quo cupiunt videri speciosiores & formosiores quam sint & omnibus placere. Rationem hujus legis subdit: quia sicut in moribus nihil fucatum esse debet inter virum & uxorem, sed omnia debent esse sincera & ex animo proficisci: sic neque in corpore aliquid debet esse fucatum. Amor enim viri magis illis fucatis ornamentis extinguitur, quam accendatur. Quid ita? Quia illis ornamentis fit, ut formosiores videantur foeminae quam revera sint: cum verò postea deponuntur vestimenta ornata, vir videt uxorem non tam formosam, quam videbatur prius esse. Ita incipit illa displicere. Docet hoc simili. Comparat enim eas histrionibus, qui in scena pulchrè induti videntur esse reges & principes, & ita afficiunt spectatores reverentia sui: cum verò positis regiis vestimentis apparent id esse, quod sunt, homines, *scilicet* viles, multo magis despiciuntur & contemnuntur ac deridentur. Tale quid etiam accidere innuit mulieribus, quae nimio utuntur ornatu. Ergo ad conservandum amo-

amorem inter virum & uxorem nullo modo permitti debet talis ornatus. Praeceptum hoc consentaneum est cum Sanctis Literis; sic etiam 1. Tim. 2. & 1. Petr. 3. Hoc ideò praepono officium, quia initio quoque praestandum est. Nam si semel permittatur uxor uti talibus ornamentis, non poterit postea facilè prohiberi.

2. *Secundum* est, ut quam soli uxori debet vir εὔνοιαν (ut loquitur Paulus 1. *Cor.* 7) eam alteri non communicet mulieri: Aritoteles vocat hoc ἀδικεῖν. Nulla enim major hac injuria fieri potest uxori a viro, aut viro ab uxore: Talis & tanta est haec injuria, ut propter hanc unam causam Christus doceat licitum esse divortium facere, quia solvitur conjugii vinculum. Et Apostolus docet 1. Cor. 7. omnia alia peccata extra corpus fieri, qui autem fornicatur, eum in proprium corpus peccare. Aristoteles politicam causam primo loco subdit, cur hac injuria non debeat vir afficere uxorem suam: ne, *scilicet*, occasionem det uxori simili injuria virum afficiendi: οὕτως γὰρ ἂν οὐδ᾽ αὐτὸς ἀδικοῖτο (inquit). Ac certum est, nulla re magis ad adulterium uxorem provocari, quam si videat virum debitam sibi εὐνοίαν non praestare, sed aliis. Ergo si vir non vult tali ignominia affici ab uxore, ipse prior discat debitam benevolentiam uxori suae praestare. Subdit secundam causam, quod sit lex communis (quemadmodum Pythagorici docent) ut qui ad larem tuum confugerit, etiamsi tuus fuerit inimicus, ne ulla eum afficias injuria: quanto minus igitur uxorem, quam in tuam admisisti domum, imò in tuum lectum, non solum tanquam amicam tuam, sed tanquam tuam carnem? Œconom. lib. 1. cap. 4. Alibi aliae adduntur causae. Œconom. lib. 2. c. 2. quas hîc referre non est necesse. Una praeteriri non debet: ea est legitimorum liberorum commodum, salus, honor. Spurii omnia turbant. Quod si quis dicat, quid fiet, si diu absit conjux a conjuge, ut saepè contingit propter varia negotia & peregrinationes? Respondet Philosophus, debere illos ita assuefieri, ut sufficienter se habeant in praesentia & in absentia. Sensus est, conjuges ita moderatè se gerant in mutua sibi praestanda benevolentia, ut non sit illis porro grave in absentia quoque se abstinere.

Honestissima & Christiana est admonitio. Apostolus aliis verbis idem docet 1. *Cor.* 7. Ne fraudetis vos invicem, nisi siquid ex consensu pro tempore. Debent igitur pari consensu subinde abstinere & jejuniis ac precibus vacare.

3. *Tertium* officium viri erga uxorem est, ut uxorem suam indies melius ac melius instituat in pietate, probitate, moribus, eamque tanquam bonam terram optimè excolat optima disciplina: & quae ad corpus etiam attinent, abundè illis suppeditet pro sua conditione ac facultate. Ratio politica adfertur, ut ex uxore optimè instituta & educata optimos etiam suscipiat liberos. Si enim agricola diligenter colit agrum, ut optimos inde accipiat fructus: quanto magis hoc studii & diligentiae debet vir in colenda uxore, ut optimos inde liberos suscipiat? Atque hoc officium tradit Œconom. cap. 2. Apostolus hoc expressit officium, cum dixit, Nemo unquam carnem suam odit, sed nutrit & fovet eam: uxor autem caro viri est. Item, cum ait, virum sicut & Christum tanquam caput esse σωτῆρα sui corporis. Omnia verò complectitur verbo *diligendi*. Debet autem officium hoc facere vir, non tam verbis quam exemplo vitae

vitae piae atque honestae. Et ait Aristoteles, qui ista negligit, eum Deos etiam ipsos negligere. Est enim hic praecipuus finis conjugii, optimorum filiorum procreatio. Praecipua autem pars educationis a matre pendet: si verò ipsa fuerit a viro bene educata & instituta, facilè etiam ipsa bene educabit liberos. Ergo non postremum viri officium est, ut suam uxorem bene & piè á principio instituat in omni honestate.

4. Subdit *quartum* huic tertio deserviens, hoc autem est, ut ad praestandum etiam debitae εὐνοίας officium uxori summa cum modestia & temperantia accedat: Item ut in verbis sit pudor, in opere honestas, fides ac moderatio in conversatione: ac si quid illa delinquit per infirmitatem aut per ignorantiam, eam sine asperitate corrigat, nempe quae refractaria non est, sed docilis ac disciplinae capax. Severiore enim ratione & disciplina opus est adversus refractarias & contumaces. Non possum melius hoc officium exprimere quam verbis Aristotelis: Appropinquandum verò est uxori cum magna temperantia atque modestia: sitque pudor in verbis, in operibus fas atque honestas, in conversatione verò fides ac moderatio: parva quidem peccata, etsi voluntaria fuerint, ignoscendo: si quid per ignorantiam deliquerit, commonefaciendo. Haec Philosophus: quibus docet, viro summa humanitate & moderatione utendum esse erga uxorem non pervicacem, sed marito obsequentem. Quid igitur Christiano viro convenit? Apostolus ait, *Hebr.* 13. honorabile conjugium & torum esse immaculatum. Absit igitur omnis turpitudo a sermonibus conjugum & actionibus. Et 1. *Thes.* 4. Haec est voluntas Dei santificatio vestra, ut sciat quisque vas suum possidere in sanctificatione & honore.

5. Generale est, quomodo autoritate & imperio uti debeat vir erga probam uxorem: Retinenda semper est in timore & metu viri, verùm metu non servili, sed qualis est & filiorum erga parentes. Nec incutiat (inquit) metum uxori sine pudore & verecundia, *id est*, sine omni respectu reverentiae. Haec enim meretrices a moechis pati decet: non autem honestam uxorem a viro. Ideò subdit Aristoteles: At verò cum verecundia & pudore justa diligere & amare, id ingenuae est mulieris erga proprium virum. Vult igitur Aristoteles ut vir probam suam uxorem retineat quidem semper in metu sui: sed ita, ut eam neque verbis contumeliosis excipiat neque verberibus, quemadmodum moechi sua scorta: quod talis ratio agendi non conveniat viro bono erga probam uxorem, nec faciat ad amorem & reverentiam erga se in uxore retinendam ac conservandam, sed potius extinguendam. Nam (ut inquit Aristoteles) duplex est timoris species, *una* cum reverentia & pudore, qua utuntur ad patres filii modesti & cives bene morati ad benevolos suos gubernatores: *Altera* cum inimicitia & odio est, sicut servi ad dominos & cives ad tyrannos injustos iniquos. Vult igitur Aristoteles, uxorem a viro regi, non ut ancillam, non ut mancipium, non ut meretricem, sed ut probam uxorem, cum pudore, *scilicet*, verecundia & justo amore erga illam.

Hoc est, quod Apostolus uno verbo dicit, Viri diligite uxores vestras, sicut & Christus Ecclesiam. Et ratio hujus praecepti est, quia si vir absque ullo respectu & sine ulla moderatione metum incutiat uxori, vel verberibus vel verbis contumeliosis eam afficiendo: ipsa existimabit se a viro instar servae

aut

aut meretricis haberi: & tunc extincto amore & concepto odio adversus maritum, nec familiam, nec rem familiarem, nec liberos, nec maritum curabit: sed ceu contemta atque despecta nihil non mali meditabitur adversus virum. Ac tunc implebitur quod ait Salomon in Proverb.: Melius est habitare in terra deserta, quam cum muliere rixosa atque odiente.

Concludit igitur Aristoteles & ait: Ex iis omnibus meliora eligens vir uxorem sibi conciliet & fidelem probamque efficiat; ut sive praesens sit, sive absens, non minus utilis sit quam si semper adesset, tanquam rerum communium curator; & ut, quando vir abest, sentiat uxor nullum sibi neque meliorem neque commodiorem neque magis suum esse, quam virum. Haec Aristoteles.

Doctrina haec verè Christiana est: summa autem est, Debet vir ita ex animo diligere uxorem suam hancque dilectionem quotidianis effectis, beneficiis & officiis ita testatam uxori facere, ut uxor ipsa, cum videt etiam se corrigi, moneri, abjurgari, persuasum habeat, omnia haec, quae vir dicit & agit, non ex odio nec ex contemtu sui, sed potius ex amore, tum erga se tum erga liberos, proficisci. Haec causa est, cur Apostolus uno verbo *Diligendi* contentus fuerit, dicendo, Viri diligite uxores vestras, sicut & Christus Ecclesiam. Nam Christus etiam uxorem suam Ecclesiam nonnunquam objurgat si peccet, & castigat etiam: sed ita ut re ipsa declaret, se haec omnia agere ex dilectione, qua nos complexus est semel. Qui diligit non opus habet multis praeceptis: quia ipsa dilectio omnia docet: & qui verè diligit, nil aliud quaerit quam rei dilectae salutem & bonum.

TERTIUS LOCUS.

DE CONJUGIO SPIRITUALI

inter Christum & Ecclesiam.

Quae de origine Ecclesiae deque spirituali illius cum filio Dei connubio in variis Sanctarum Literarum locis traduntur: ea ex prima humani generis creatione, tanquam ex fonte mysteriorum Christi deducit, explicat & confirmat Apostolus in epistola ad Ephes. cap. 5. cum ait: Viri diligite uxores vestras, sicut & Christus Ecclesiam, & quae sequuntur. Narrat enim Moses, quonam modo Eva ex Adamo dormiente creata & postmodum ei in matrimonium tradita fuerit: & quod ea conspecta Adamus dixerit, Hoc nunc os ex ossibus meis & caro de carne mea: generali ad extremum propositione de hominum tum inter se, tum etiam cum filio Dei in finem usque mundi, connubio iis verbis prolata: Propter hoc relinquet homo patrem suum & matrem suam, & adhaerebit uxori suae, & erunt duo in carne una. Quae verba sic intellexit Apostolus, ut ea de Christo quoque & Ecclesia interpretatus sit, hunc in modum: Mysterium hoc magnum: Ego autem dico, in Christo & Ecclesia. Nos enim esse carnem de carne Christi & ossa ex ossibus ejus, quemadmodum & de Eva dixerat Adamus.

Mihi igitur dicturo de spirituali divinoque inter Christum & Ecclesiam singulosque

losque fideles connubio, examinandus in primis est locus ille Mosis de creatione Evae deque prima carnalis conjugii institutione: & quantum singula cum spirituali congruant, diligenter videndum. Nam & creatio Evae ex costa Adae dormientis eductae & conjugium ille carnale inter Adamum & Evam contractum manifestus fuit tum spiritualis creationis Ecclesiae e latere Christi in cruce mortui educendae, tum conjugii inter Christum & Ecclesiam contrahendi typus. *Deinde* tota de humano conjugio doctrina in certa capita brevi & perspicua methodo distribuenda fuerit, ut inde porrò, quid de divino quoque inter Christum & Ecclesiam conjugio sentiendum sit, facilius quisque intelligat. *Postremo* itaque doctrina de spirituali conjugio, ad capita doctrinae de carnali examinata, explicanda & confirmanda fuerit. Omnia autem certis thesibus iisque brevibus, quo & facilius intelligi & in memoria recondi a lectoribus possit, proponam.

CAPUT PRIMUM.

Summa historiae de creatione Evae & matrimonii inter ipsam & Adamum contracti: & quomodo, quae de primo connubio scripsit Moses, ea cum altero, de quo fusius Apostolus, congruant.

Ad *primum* quod attinet, hoc pro fundamento retinendum est, quod tradit Apostolus Rom. 5 & 1. Corinth. 15. nempe Adamum primum & Adamum secundum considerandos nobis esse in hoc negotio conjugali non ut privatas personas, sed ut duo prima principia, ex quorum uno prodiit & prodit totum humanum genus: ex altera nata est & nascitur Ecclesia. Et quidem primum hominem typum & figuram fuisse alterius, *id est*, Christi. Quare quae cum Adamo acta fuerunt ante peccatum, ea non tam ἱστορικῶς quam μυστικῶς consideranda nobis sunt. Historiam igitur illam de Eva ex Adamo dormiente creata, deque eadem ad Adamum vigilantem, ut eam duceret in matrimonium, perducta, in tres particulas resolvo: quarum *prima* est de consilio Dei, cur & Adamum noluerit esse solum, & cur ex eo adeoque ex ejus costa crearit Evam, & *denique* cur hanc illi dederit in matrimonium.

Secunda est de creatione ipsius Evae deque tali eam creandi ratione.

Tertia de adductione Evae ad Adamum deque horum conjugio.

I. Ad primam particulam quod attinet, contextus Mosis sic habet:

Dixerat autem Jehova Elohim, Non est bonum hominem esse solum: faciamus (*igitur*) ei adjutorium, quod sit coram eo: *id est*, quod sit omnino ei simile, eique semper ad obsequendum praesto.

Thesis 1.

Causa igitur, cur noluerit Deus esse Adamum solum, fuit quia hoc non erat bonum.

2. Non bonum, *id est*, non honestum per se aut aequum, ut, *scilicet*, qui debeat caput esse humani generis, is solus homo inter omnia animantia & in mundo viveret. 3.

3. Neque fuit bonum, *id est*, delectabile ipsi Adamo, ut solitariam in amplissimo hoc mundo degeret vitam.

4. Neque etiam fuit bonum, *id est*, utile vel ipsi Adamo vel toti posteritati: quam certè Deus potuisset sine opera viri & foeminae procreare: sed qualis inde amor & animorum inter homines conjunctio?

5. Denique hoc non fuit bonum, quia consilium Dei erat, ut ex semine Adae primi hominis conciperetur & nasceretur secundus Adamus Jesus Christus.

Meritó igitur fecit illi adjutorium simile ei, & quod perpetuô illi esset subjectum, & ad omnia honesta opera atque obsequia promtissimum.

6. Quamobrem verò non creaverit Evam alia ratione, quam ex Adamo ipso adeoque ex ejus costa, causa exprimitur ab Apostolo in Actis 17. ut, *scilicet*, omnes homines ex uno essent (per propagationem) principio, tanquam membra ex uno capite, & ita totum humanum genus esset ceu unum corpus, ejusdemque naturae: Fecit ex uno (inquit Apostolus) totum genus humanum habitare super universam faciem terrae.

7. Ex costa porrò illam formavit, ut praeter alias causas eam magis amaret, tanquam carnem suam, id quod expressit Adamus cum dixit: Hoc nunc os est ex ossibus meis & caro de carne mea. Hinc Apostolus argumentum ad amandum uxores duxit, quia *scilicet* sunt caro nostra.

8. Non debet autem viro dominari uxor, ideò non est sumta ex capite: nec etiam pedibus conculcari, ideò e pedibus non est creata: sed debet amari ex corde, ideò de costa cordi vicina sumta est.

9. Caeterum cur eam dederit Adamo in matrimonium, causam subjungit Moses, ut nimirum esset illi adjutorium.

10. Adjutorium, inquam, primo ad vitam honestè piè & suaviter transigendam.

11. Adjutorium item, ad procreandam sobolem hominesque multiplicandos super terram.

12. Adjutorium denique ad implendum Dei decretum de Ecclesia creanda, deque capite Ecclesiae Christo inde procreando: ac proinde ad regnum Dei constituendum, propagandum, ampliandum.

Haec de prima particula, qua consilium Dei explicatur, cur & Adamum solum esse noluerit, & cur Evam ex eo, adeoque ex ejus costa, creare decreverit, & cur denique hanc illi dare in matrimonium constituerit.

Si haec, quae de proposito Dei diximus, ad Christum & Ecclesiam ejus sponsam accommodes, consilium hoc Dei luculentius apparebit.

13. Non fuit bonum Adamum primum esse solum: multo minus debuit secundus Adamus esse solus: Ideò enim factus est homo, ut esset novum novi corporis ad aeternam vitam electi caput. Et ut esset primogenitus inter multos fratres: ut sicut per unum hominem peccatum intravit in mundum & per peccatum mors: sic per hunc alterum hominem justitia redundaret in multos & vita aeterna

Ne igitur caput solum esset sine membris, necessarium illi fuit corpus Ecclesiae: quae & similis ei esset non solum humana natura, sed etiam sanctitate, non habens maculam neque rugam: Et quae illi esset subjecta,

atque

atque ad haeredes regni coelestis procreandos in finem usque mundi adjutorium.

14. Voluit Deus ex ipso Adamo creare Evam, eamque efficere carnem de carne ejus & os ex ossibus ejus, perque hujus adjutorium totum inde deducere humanum genus, hac primum de causa, ut omnes homines essent ex uno capite atque principio.

15. Sic etiam Christus voluit e suo latere, ex quo, ut Joannes, ceu mysterium hoc explicans, effluxisse dixit sanguinem & aquam, materiam nimirum salutis & regenerationis Ecclesiae: ex eo, *inquam*, latere Christus voluit Ecclesiam spiritualiter creari, & ita fieri carnem de carne sua & os ex ossibus suis, ut qui futuri erant coelestis regni haeredes, ex uno essent capite omnes, adeoque tota Ecclesia.

16. Altera de causa voluit etiam Evam ex Adamo creari, ut majori erga eam afficeretur amore.

17. Sic Christus voluit e suo latere Ecclesiam creari, ut ipse ad nos tanquam carnem suam amandos quodammodo magis ac magis afficeretur.

18. Prima causa exprimitur ad Heb. 2. Nam & qui sanctificat (Christus) & qui sanctificantur (id est Ecclesia) ex uno omnes.

Sicut enim Christus ex uno est Adamo secundum carnis naturam, non minus quam alii homines: Sic nos sumus ex uno Christo, caro de carne ejus & os ex ossibus ejus, secundum spiritualem regenerationem.

19. Atque ita sumus caro de carne ejus & os ex ossibus ejus, ut omnia bona coelestia ab ipso habeamus: usque adeô ut nemo gloriari possit, se aliquid habere coelestium bonorum, quod non ab ipso Christo, tanquam a capite, in se derivatum habeat.

20. Altera causa assignatur ab Apostolo Ephes. 5. Nemo unquam carnem suam odio habuit, sed nutrit & fovet eam, sicut & Christus Ecclesiam: quoniam sumus caro de carne ejus & os ex ossibus ejus.

21. Denique consilium Dei praecipuum, cur Evam adduxerit ad Adamum eamque illi dederit uxorem, fecit, ut per ejus tanquam per sui adjutorii operam, filios procrearet & ita mundum hominibus repleret.

22. Sic Ecclesiam collegit, eamque dedit Christo Deus Pater, ut per hujus ministerium quotidie novos sibi procreet filios, quibus tandem impleatur regnum coeleste.

Ita videmus, ad primam particulam quod attinet istius historiae Genes. 2. consilium Dei, quo noluit Adamum esse solum, sed illi dare adjutorium non aliunde sed ex ipso Adamo eductum, optimè convenire cum eo, quo noluit Christum hominem factum esse solum, sed dare illi Ecclesiam sponsam, non aliunde sed ex ipso Christo, adeoque ex ejus carne & sanguine, per Spiritum Sanctum procreatam. Oportuit duo esse capita, unum generis humani secundum carnem: alterum populi Dei secundum Spiritum. Haec de prima particula.

23. Altera particula illius historiae continet creationem ipsius Evae ex costa Adae. Ea sic habet. Cum ex cunctis animantibus non potuerit ullum reperiri, quod posset esse verum adjutorium Adamo, quodque staret coram eo: sic ait Moses 4. Cadere igitur fecit Jehova Deus soporem super hominem

&

& obdormivit: tulitque unam de costis ejus, & clausit carnem pro ea: & aedificavit Jehova Deus costam illam, quam tulerat ex homine, in mulierem.

Summa haec est.

Thesis II.

Eva, quam Deus volebat esse uxorem Adami, creata fuit non aliunde, quam ex Adamo ipso.

2. Ratio verò creandi haec fuit: Immisit soporem magnum Deus in Adamum, & ex eo dormiente eduxit costam; locum vacuum implevit carne: e costa formavit mulierem.

3. Causa eductae Evae ex costa Adae expressa est paulò ante: quia nimirum Deus noluit diversi generis esse principium, unde humanum genus proditurum erat: ideò Evam quoque ex uno Adamo eductam voluit, ut omnes ex uno essent homines.

4. Hac in parte Adamus verus typus fuit Christi: quia sicut ex illo Eva & totum genus humanum: sic ex hoc tanquam unico principio procreata est & procreatur semper tota Ecclesia. Et hoc est, quod Apostolus verba Adae interpretans ait: Nos esse carnem de carne Christi & os ex ossibus ejus.

Ergo sponsa nihil habet, nisi quod accepit á Christo sponso & capite: & ejus consors est naturae.

5. Sed quid sibi vult iste modus & ea ratio creandi Evam ex Adamo? Potuit certè etiam vigilanti Adae eximere costam Deus & inde Evam formare: sed noluit propter mysterium rerum futurarum, de quo dixit Apostolus, Mysterium magnum est.

6. Sopor enim, seu profundus ille somnus immissus a Deo ipsi Adamo, typus fuit mortis Christi: Si enim somnus Davidis, de quo Ps. 3. typus fuit mortis Christi, Augustino & post eum aliis locum illum de morte & resurrectione Christi explicantibus: multo magis sopor Adami primi typus fuit mortis Adami secundi.

7. Nam somnus imago mortis est: unde & mortui vocantur in Sacris Literis dormientes.

8. Ut igitur ex Adamo dormiente educta est materia, unde formata fuit Eva: sic etiam e Christo in cruce mortuo exivit sanguis & aqua, quibus Ecclesia abluta est a peccatis & concepta & regenita, facta caro de carne Christi & os ex ossibus ejus. Generatio autem fit per sanguinem: ablutio per aquam.

9. Bifariam autem intelligatur quod dicimus, Ecclesiam e latere Christi mortui eductam esse & creatam. *Primo*, ratione meriti, quia tum Christus suo sanguine omnibus electis, qui unquam fuerunt & futuri sunt & ex quibus solis constat Ecclesia, remissionem peccatorum & regenerationem ad vitam aeternam promeruit & a Patre impetravit.

10. *Secundo*, ratione communicationis quae fit in Baptismo.

11. Baptismus enim sacramentum est regenerationis: regenerationis autem materia est sanguis Christi pro nobis in cruce mortui.

12.

12. Ideò Apostolus Rom. 6. ait, An ignoratis, quod quicunque baptizati sumus in Christum Jesum in mortem ipsius baptizati sumus?

13. Quia igitur in vero Baptismate, quod fit in aqua & Spiritu, vis mortis & sanguinis Christi nobis communicatur, qua exuitur vetus homo, novus induitur fimusque nova creatura: ideò quisque nostrum tum dicitur re ipsa fieri os ex ossibus Christi & caro de carne Christi, cum in Baptismo regeneramur.

En mysterium eductae & creatae Evae ex costa Adae gravi somno correpti & dormientis.

14. Pertinet huc quod ait Iesaias, Si posuerit pro peccato animam suam (*Messias*) videbit semen longaevum. Ex morte enim & sanguine Christi omnes electi renascuntur in finem usque mundi. Hoc est illud semen longaevum.

15. Huic dicto consonat, quod Christus ipse dixit, Nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet: Si autem mortuum fuerit, multum fructum affert.

Hic multus fructus, ejusdem, *scilicet,* naturae cum grano mortuo, est Ecclesia: quae participatione mortis & sanguinis Christi fit caro de carne ejus.

16. Neque mysterio caret, quod ex costa Adae, quae erat os durum, fabricata est Eva: locus verò vacuus impletus fuit carne.

17. Costa (ut pii quoque Patres interpretantur) robur Deitatis Christi significavit: caro infirmitatem humanae naturae. Christus nobis communicat divinam suam naturam, ut Petrus loquitur, & fortes efficit: contra verò recipit ille in se infirmitates nostras.

18. Osse igitur divina Christi natura, carne autem humana significatur. Ideò utrumque etiam posuit Apostolus, dicendo: Os ex ossibus, caro de carne: quia in regeneratione & fimus participes divinae ejus naturae, & caro, id est, natura nostra renovatur ac sanctificatur fitque alia, id est, caro Christi, &c.

19. Verbum quoque aedificandi, quo Moses ait, Et aedificavit Jehova Deus costam illam in mulierem, suum habet mysterium. Significatur enim aedificium hujus amplissimi templi, quod est Ecclesia. De quo Ephes. cap. 2. In quo & coaedificamini in habitaculum Dei, &c. Et 1. Corinth. 3. Dei aedificatio estis.

20. Fundamentum aedificii est petra fortissima Christus, cujus vis ac fortitudo per costam (ut dixi) significata fuit.

Hactenus secunda particula historiae ex Gen. c. 2. in qua Evae creatio descripta est, Ecclesiae autem regeneratio adumbrata.

III. Sequitur tertia particula, in qua conjugium ipsum describitur. Continet haec particula primo desponsationem Evae ipsi Adamo: ait enim, Et adduxit eam (Evam) ad ipsum Adamum, nempe ut eam acciperet in matrimonium.

Emphasin habet illud, ad ipsum Adamum, quasi dicat ad eum, unde desumta fuerat. Eidem igitur desponsat Deus Evam, ut denuò fiat magis ac magis una caro cum illo, e cujus ossibus facta fuerat os & caro ejus.

Secundò, continet consensum Adami in hoc conjugium, eoque continet conjugii celebrationem. Adam enim agnoscit eam pro sua uxore carneque sua. Hoc expressit Moses dicendo: Et dixit Adam, Hoc nunc os ex ossibus meis, &c. i. e. Hoc os & haec caro os & caro mea est, eaque

ex ossibus meis, &c. Ideò vocabitur virissa *Isschah*, quia de viro sumta est.

Tertiò, continet institutionem matrimonii toti humano generi concessi: & quam arctum sit conjugii vinculum docet. Sic enim pronunciavit Adamus dicendo:

Propter hoc relinquet unusquisque patrem & matrem suam, &c. Eruntque (*duo*) in carne una, *id est*, una erunt caro. Sed hoc inprimis de Christo intelligitur & de Ecclesia Apostolo interprete.

Quartò, continet qualitatem status primi, in quo fuerunt Adam & Eva ante peccatum. Erant (*inquit*) nudi ambo & non erubescebant.

Haec omnia mysterium continent conjugii, quod inter Christum & Ecclesiam futurum erat.

1. Non alii desponsat Pater Ecclesiam, quam ei, e cujus etiam latere desumta est, & quae per regenerationem facta est caro de carne ejus & os ex ossibus ejus, *hoc est*, Christo.

2. Neque enim congruit, ut cum alio in unam carnem magis ac magis per matrimonium coalescat, quam cum eo, ex cujus carne & ossibus per regenerationem facta est caro ejus & os.

3. Notandum igitur est in hoc conjugio, quis desponset, quam desponset, cui desponset.

4. Deus est, qui desponsat: is enim adducit Evam ad Adamum: *Joh.* 6. Nemo venit ad me nisi Pater traxerit eum. Ad hanc autem rem modo utitur ministerio hominum ad hoc vocatorum, ut sunt Apostoli & alii ministri: Despondi vos uni viro virginem castam exhibere Christo. 1. Cor. 11.

5. Quos verò desponsat? Desponsat eos tantum, quos in Christo prius elegit, quos sanguine Christi redemit, quos per Spiritum Sanctum regenerat, quos cum Christo in Baptismate sepelit ac vivificat. Evam enim creatam e costa Adae, non aliam, adducit ad Adamum.

6. Sponsa ergo Christi dici verè non possunt, nisi qui renati sunt per sanguinem Christi, & caro facti sunt e carne Christi.

7. Cui autem desponsat? Soli Christo: ideò is solus sponsus est Ecclesiae: & ratio est, quia ex hujus etiam solius latere exivit sanguis et aqua, quibus lavamur a peccatis & renati fimus novae creaturae, caro de carne ejus & ossa ex ossibus ejus. Ideò ait Moses, Et adduxit (*Deus*) eam (*Evam jam creatam*) ad ipsum Adamum: ad ipsum, *inquam*, e cujus costa formata fuerat.

8. Quomodo autem desponsat? Fidem donando, qua Christum agnoscamus, eum amplectamur, eique nos subjiciamus. Desponsabo te mihi in fide. Hos. 2. Consensus enim in ipsa etiam sponsa requiritur. Consensus autem iste ex fide est. Ideò, cum ait Moses, *adduxit eam*, subintelligendum est, non invitam sed consentientem. Et hoc significat verbum *Vaiebah*, venire fecit eam.

9. Desponsat autem nos Deus Christo, nullis nostris meritis adductus, sed ex sua tantum bonitate & misericordia: ideò ait, Desponsabo te mihi in misericordia & miserationibus. Hos. 2.

10. Quod etiam Evam & crearit ex costa Adae & creatam eidem Adae desponsarit, utrumque ex ipsius bonitate & gratia profectum est.

11. Interim, ut dixi, consensum nostrum requirit: sed hunc etiam ipse donat,

donat, donata fide. Operatur enim in nobis velle. Haec omnia colligenda sunt ex illis verbis, Et adduxit eam ad ipsum Adamum.

Atque hoc est primum, quod continet particula tertiae illius historiae mysteriorum plenae.

Secundo loco continet consensum etiam Adami, eoque conjugii celebrationem ac perfectionem. Dixit enim Adamus, Hoc nunc est os & caro mea est (propter conjugium): & ex osse ac de carne mea (propter creationem ex costa).

12. Agnovit igitur Adamus Evam pro sua uxore: ubi enim vidit Deum hoc velle, ubi etiam spectavit consensum & voluntatem Evae, ipse etiam idem voluit: & ex concursu harum trium voluntatum, Dei, Evae, Adami, contractum fuit matrimonium. Ideò clamavit, Hoc nunc os ex ossibus meis.

13. Sed hoc verè & perfectè impletur in Christo & in Ecclesia.

Praecedit aeterna Dei voluntas, ipse enim adducit nos ad Christum: excitat etiam in nobis voluntatem, qua in hoc spirituale connubium consentiamus: Christus verò sponsus non potest non velle quod vult etiam Pater: ideò nos accipit ut sponsam suam, & agnoscit pro sua carne & ossibus, dicendo: Hoc os ex ossibus meis.

14. Pertinet huc illud *Joh.* 6. Omne quod dat mihi Pater ad me veniet: & quod venit ad me non ejiciam foras.

Primum ait, Omne quod dat mihi Pater: en Patris voluntatem. *Secundo* ait, Quod dat Pater venit ad me: en voluntatem electorum & sponsae. *Tertio* ait, Quod autem venit ad me, non ejicio foras: en voluntatem sponsi Christi. His tribus voluntatibus perficitur connubium spirituale inter nos & Christum.

15. Quare ut Adamus agnovit pro sua sponsa & carne Evam, dicendo: Hoc nunc os ex ossibus, &c. sic Christus nos agnoscit pro sua sponsa & carne: & pro tali nos amat, fovet, nutrit. Apertè enim Apostolus ex Spiritu Christi ait, Nos esse carnem de carne ejus & os ex ossibus ejus.

16. Ideò ad Paulum, cum persequeretur sponsam Christi, Ecclesiam fidelium, dixit: Saule, Saule, quid me persequeris? Quasi dicat, Tu persequendo Ecclesiam persequeris me, carnem meam & ossa mea.

17. Ac notandum est Adamum illa locutione, Hoc nunc os &c., significare voluisse arctissimam omnium conjunctionem sibi cum Eva intercessisse: quia Eva & caro ejus erat propter connubium, & caro de carne erat propter sui ex eo procreationem.

18. Quid autem hac duplici connexione arctius? Potest enim aliquis fieri caro tua, sed non erit de carne tua, ut uxor, alterius filia & ex alieno sanguine nata. Aliquis potest etiam esse de carne tua, sed non erit eo modo, quod uxor, caro tua, ut filius tuus vel filia. At quod quis sit & caro tua, qualiter sunt vir & uxor, & de carne tua, qualiter sunt filii: hoc demum arctissimum est vinculum.

19. Talis autem nemo unquam fuit, nisi Eva ipsi Adamo & Ecclesia ipsi Christo.

20. Proinde, cum illa verba Adami Apostolus ad Christum de ejus Ecclesia retulit, significare voluit inter Christum & inter nos summam & arctissimam

esse

esse conjunctionem: quia & caro fimus Christi propter connubium, & caro de carne ejus propter regenerationem.

21. Quorsum verò hoc? ut in nobis adolescat fides, spes, charitas. Fides, de dilectione Christi erga nos, qui sumus caro de carne ejus. Spes, de vita aeterna, quia ubi vir, ibi & uxor: & ubi caput, ibi & corpus & caro. Charitas, quia, cum simus omnes caro de carne Christi, debemus & illum & nos invicem diligere, sinceraque charitate complecti.

22. Ex hoc autem loco apparet aliquod discrimen statuendum esse inter regenerationem & desponsationem: quod prioritate saltem naturae praecedat regeneratio desponsationem: quia Eva prius educta est de costa Adae, & deinde illi data in matrimonium.

23. Certum est posse aliquem regenerari sine praecedenti consensu propriae voluntatis: sed nubere quis Christo eumque pro sponso amplecti non potest sine fide sineque proprio consensu. Essentiale enim in matrimonio est utriusque partis consensus. Consentire autem non possumus, nisi voluntas renovetur, & ex mala fiat bona & ex nolente volens. Tertio loco, particula illa mysticae historiae ultima continet matrimonii institutionem, & quid viro faciendum sit ut uxori adglutinetur: Propter hoc (*inquit*) relinquet homo patrem suum & matrem suam, & adhaerebit uxori suae, & erunt (*duo*) in carne una.

24. Hoc cum primis Apostolus de Christo & Ecclesia interpretatur, aitque esse mysterium magnum.

25. Christus enim propter hoc, id est, ut esset una caro nobiscum & nos cum illo per conjugium spirituale, primo dereliquit Patrem Deum. Quomodo? Paulus explicat Philip. 2. Cum in forma Dei esset, exinanivit semetipsum formam servi accipiens.

26. Huc pertinet quod ait, Exivi a patre & veni in mundum: non certè mutatione loci, sed novae ejusque vilis naturae & conditionis assumtione.

27. Matrem Mariam etiam reliquit, cum pluris fecit totam Ecclesiam, eam docendo proque ea moriendo, quam matrem.

Quo illud ad matrem & Josephum, An nescitis, quod in iis, quae Patris mei sunt, oportet me esse? Item, Quae est mater mea & qui sunt fratres mei?

Adglutinatur autem uxori suae Christus, suam carnem cum nostra nexu sui Spiritus verè & realiter conjungendo: ita ut ille nobiscum & nos cum illo facti simus & fiamus quotidie magis ac magis una caro.

29. Arctissimam hanc conjunctionem inter Christum & Ecclesiam significavit illis verbis Adamus, cum dixit, Erunt (*duo*), interprete Christo, *lebaschár echád.*

Mysterium hoc (ait Apostolus) magnum est: ego autem dico in Christo & in Ecclesia.

30. Fuit igitur vaticinium de arctissima & indissolubili conjunctione Christi cum Ecclesia & Ecclesiae cum Christo.

31. Hujus verae & realis conjunctionis, sed per Spiritum Christi, infinita extant in Sacris Literis testimonia & exempla & similia.

32. Conjunctionem hanc indicare voluit in sua propria persona Filius Dei, cum Verbum caro factum est. Nihil arctius excogitari potest hac unione hypo-

hypostatica naturae nostrae cum natura divina in persona Filii Dei.

33. Hac, ceu in speculo, praemonstravit nobis, qualis & quanta futura esset illa conjunctio, qua volebat cum tota Ecclesia, *id est*, cum omnibus electis & fidelibus esse una caro.

34. Duae naturae sunt in una persona, non multae personae, ceu in una natura & essentia: quia & Christus carnem nostram habet, & nos divinae ejus naturae facti sumus participes: ideò bene dixit Adamus: Erunt (*duo*) in carne una.

35. Imo etiam, ut Paulus docet, nos cum Christo sumus ceu unus homo & unum corpus: Christus caput, nos membra.

Quid verò magis unum? an non vera & realis est unio inter corpus & caput?

36. Hanc item unionem expressit, cum dixit se esse vitem & nos palmites: an non realis unio est inter palmites & vitem? Omnino: ita realis, ut vitis & succus vitis realiter influat in palmites.

37. Hanc eandem exprimere voluit, cum seipsum pani, quem manducamus, comparavit & fideles manducantibus: cibus enim comestus una fit substantia cum comedente. Qui manducat meam carnem, in me manet & ego in illo, Joh. 6.

38. Eandem itidem expressit, cum dixit, Joh. 17. Serva eos, Pater, ut sint unum, sicut & nos sumus. Item, Rogo ut omnes (*credentes*) unum sint, sicut tu, Pater, in me & ego in te, ut & ipsi in nobis unum sint.

39. Pater, Filius & Spiritus Sanctus tres sunt personae, sed in una essentia: nos item multi sumus, sed in Christo unum sumus, tanquam in una essentia. Realiter distinguuntur personae inter se: sed ratione essentiae: realiter etiam unum & idem sunt, *id est,* unus Deus. Non congruunt quidem omnia in hoc simili: interim qualis & quanta sit unio haec, qua ratione connubii una sumus cum Christo sponso caro non obscurè declaratur.

40. Christus quoque Deus est de Deo, lumen de lumine, Deus Filius de Deo Patre: Nos item sumus caro de carne, os de ossibus: caro, *inquam*, & os de carne Christi & de ossibus Christi.

Sed de hac unione alibi fusius.

Haec itaque est illa unio, quam praefigurari voluit in omni conjugio viri & foeminae, & de qua cumprimis locutus est Adam, cum dixit: Propter hoc relinquet quisque patrem suum & matrem suam, & adglutinabitur uxori suae: & erunt (*duo*) in carne una.

Postremo loco paucis expressit Moses statum ac conditionem Adae & Evae jam conjugatorum ante peccatum. Erant (*inquit*) ambo nudi, Adam & uxor ejus, & non erubescebant. 1. Revera erant & incedebant nudi. 2. Innocentia significatur verbo: Non erubescebant.

41. Duplex haeç conditio consequitur connubium spirituale Christi cum Ecclesia post peccatum. Primum, Christus nudus fuit semper & est ab omni peccato: nudus item fuit, *id est*, pauper, idque nostra causa. Cum enim esset dives (ait Apostolus) factus est pauper, ut nos essemus divites (bonorum, *scilicet*, spiritualium).

Nudus venit in hunc mundum, nudus natus est, *id est*, pauper vixit: item nudus

nudus in cruce pependit: nihil etiam rerum terrarum secum abstulit in coelum. Ergo nudus fuit Adamus etiam iste secundus.

42. Nuda quoque uxor ejus. Nam primum Ecclesia Christo nupta denudatur & spoliatur veteri homine, homine terreno & carnali, idque quotidie magis ac magis, donec tandem gloria & honore, sicut & sponsus, coronetur & tota gloriosa sistatur sponso in coelesti regno.

43. Deinde plerumque etiam bonorum hujus mundi nuditas consequitur. Haec est enim sors piorum & Ecclesiae Christi, ut sicut sponsus in hoc mundo pauper fuit, non habens ubi caput reclinaret, sic nos quoque cogamur propter Christum relinquere bona hujus mundi, vivere pauperes, & multas ferre persecutiones atque miserias. Quotquot piè volunt vivere in Christo, persecutionem patientur, inquit Apostolus. Et de quibusdam Apostolis legimus: Et relictis omnibus secuti sunt eum. Nisi etiam quis reliquerit domum agros & omnia quae habet, non est me dignus, inquit Christus. Ergo uterque erat nudus, Adam & uxor ejus, Christus & Ecclesia.

Subdit Moses: Et non erubescebant.

44. Nam neque Christus erubuit de sua nuditate, quam nostra causa suscepit: neque Ecclesia item singulique fideles erubescunt de sua nuditate & paupertate, quam propter sponsum patimur: neque cruces & miserias erubescunt, quas propter Evangelium Christi ferre cogimur.

45. Apostolus dicebat 2. Tim. 1. Quam ob causam (id est, propter Evangelium quod praedicabat) & haec patior (miserias, *scilicet*, multas & catenam) sed non erubesco. I.audat item ibidem Onesiphori familiam, quod Apostoli causa non erubuerit catenam.

46. Haec igitur est conditio consequens eos, qui verè propter connubium spirituale cum Christo fiunt una caro cum illo: nimirum, ut nudi incedant in hoc mundo, denudati omni propria justitia, meritis, fiducia in carne; denudati etiam plerumque bonis hujus mundi, sed ita denudati, ut de sua nuditate non erubescant propter Christum.

Hoc est quartum, quod in illa historia de conjugio Christi habemus.

Hactenus ex illa historia Mosis de creatione Evae, deque ejus connubio cum Adamo, utcunque intelligimus qualis sit creatio Ecclesiae, & quale ejus cum Christo sit conjugium: ac proinde quomodo intelligendum sit, quod Paulns dixit, Nos esse factos carnem de carne Christi & os ex ossibus ejus: & quomodo per hoc spirituale conjugium ii duo, Christus & Ecclesia, facti sint una caro juxta illud, Propter hoc deseret homo patrem, &c. & erunt duo in carne una. Atque haec de primo capite.

CAPUT II.

Summa doctrinae de carnali conjugio inter Adamum & Evam inchoato & inter reliquos homines continuato atque in finem usque mundi continuando.

Fundamentum hoc ante à nobis jactum firmiter retinendum est: sicut duo ab Apostolo constituuntur Adami, primus & secundus, terrenus & coelestis, tan-

tanquam duo prima principia humani generis, unum secundum carnem alterum secundum Spiritum: ita etiam duplex, ex ipsa Mosis historia, ab eodem constitutum esse conjugium: primum ac secundum: carnale ac spirituale: unum ad homines simpliciter in hoc mundo propagandos, alterum ad regnum coeleste filiis Dei replendum. Utrumque enim hoc connubium colligit Apostolus ex iisdem verbis Mosis, in cap. 2. Gen. ut supra explicatum est.

De utroque autem primo capite per collationem unius cum altero ex ipsa Mosis narratione nonnihil à nobis dictum est, quantum nimirum ipsa Mosis historia postulabat.

Nunc quae communiter de utroque superiore capite diximus, ea separatim & fusius explicanda nobis sunt. Ac primum quidem in hoc secundo capite, quae de carnali: deinde in tertio, quae de spirituali nobis cognoscenda e Sacris Literis proponuntur. Vera enim & naturalis docendi ratio haec est, nimirum ut a notioribus nobis ad minus nota: ab iis, quae cadunt sub sensum ad ea quae ratione percipiuntur: a corporalibus ad spiritualia: a typis ad res ipsas procedamus.

Caeterum quae de carnali conjugio nobis seorsim cognoscenda sunt, ex ea historia Mosis, tanquam ex vero & certo totius hujus doctrinae fonte fideliter hausta, brevi & dialectica methodo, secundum ordinem causarum, officiorum & consequentium, explicanda nobis sunt atque etiam confirmanda: idque ut inde facilius, quae porro de spirituali dicenda fuerint a nobis, ut supra dictum est, intelligi possint. Nunc ad rem: explicatis prius aliquot thesibus de hoc carnali conjugio, quae ex praecedente Mosis historia restant explicanda.

1. Ex eo quod Moses narrat, Ex omnibus animantibus nullum fuisse repertum, quod posset Adae dari in adjutorium: eoque necessarium fuisse, ut Eva ex ejus costa aedificaretur, quae illi daretur in matrimonium: docemur contra voluntatem Dei esse, eoque & contra naturam, ut homo cum brutis rem habeat: id quod postea lege etiam lata cautum est ne fieret, Levit. 18.

2. Quod item dederit illi foeminam significavit masculeam quoque Venerem esse contra naturam Deoque exsecrabilem: quam postea & severiter punivit & sua lege expresse capitali morte damnavit, Levit. 18.

3. Quia dedit illi conjugem, cum qua sola rem haberet; inde declaravit Deus se omnes vagas libidines & pollutiones extra legitimum conjugium damnare.

4. Item ex eo, quod Moses ait, Deum adduxisse Evam ad Adamum, docet, non licere vel viro vel mulieri ad quamlibet vel ad quemlibet, suae libidinis explendae causae, accedere: sed ad illum vel ad illam, *duntaxat*, ad quem vel ad quam vocatur & adducitur, & cum quo vel cum qua conjungitur a Domino. Illi autem dicuntur conjungi a Domino, qui secundum verbum Domini conjunguntur.

5. Item, Quia Dominus exigit consensum ab Adamo, dum adducit ad eum Evam, docemur nemini invito obtrudendam esse uxorem: & per consequens nec invitae uxori virum.

6. Quia Dominus ipse adducit ad virum uxorem, docemur non licere facere divortium conjugibus sine expressa Dei voluntate: Quia quos Deus conjunxit homo non separet.

7.

7. Inde etiam colligitur: Quaecunque alteri legitime & secundum verbum Dei nubit, eam uxorem datam esse a Domino, eoque amandam & fovendam. Dominus enim adducit uxorem ad virum: & Salomon ait, Domus & divitiae donantur a parentibus, a Domino autem uxor prudens. Prov. 19. Quare ducturis uxorem rogandum esse Dominum, ut bonam adducat uxorem.

8. Deinde ex eo, quod Adamus Evam accipiens uxorem dixit, Hoc est os meum & caro mea de ossibus meis & de carne mea, colligimus officium viri esse amare & fovere uxorem tanquam suam carnem. Nemo enim carnem suam odit.

9. Quod vero Adamus dixit, Propter hoc relinquet quisque patrem & matrem & adhaerebit uxori suae: praeter ea, quae supra dicta sunt, docemur etiam in matrimonio contrahendo servandos esse gradus, & sanguinis honestatisque naturalis habendam esse rationem: ut primo loco cum illis non contrahantur nuptiae, qui parentes sunt, aut parentum loco habentur. Hinc enim regula illa est: Nuptias inter ascendentes & descendentes nunquam esse licitas, idque non solum in linea recta, sed etiam in obliqua, inter eas *scilicet* personas, quae parentum loco sunt, tam in affinibus quam in consanguineis: de quibus gradibus lata lege postea clarius & copiosius locutus est per Mosen, Levit. 18.

10. Item damnatur polygamia, quia duos tantum conjunxit Deus, masculum unum & foeminam unam. Et sic locum hunc interpretatus est Christus. Matth. 19. Et erunt duo in una carne. Item, Adhaerebit uxori. Non igitur uxoribus.

11. Damnatur etiam iisdem verbis adulterium: Adhaerebit (inquit) uxori suae. Erga non alienae, aut ei quae non sit uxor sua.

12. Item cavetur ne fiat divortium, dum uxor tua est aut vir tuus, quia ait, Adhaerebit uxori suae. Ergo dum uxor est, ab ea non discedes nec eam á te repelles. Est autem semper uxor, si non fiat adultera. Atque hoc etiam ex illis verbis conclusit Christus.

Quod si uxor vel desinat una esse caro tecum & una caro fiat cum adultero, vel nolit ut sibi adhaereas, sed deserat te, liber factus es: sicut de primo concludit Christus & de secundo Apostolus. Subintelligitur autem semper, ut causa legitime prius cognoscatur. Semper enim illud retinendum est Christi: Quod Deus conjunxit homo non separet. Si igitur separandi sunt conjuges, ad Deum in ejus verbo veniendum est, ut is separet. Illi igitur tantum verè separantur.

Haec etiam ad conjugium spirituale, de quo agimus, suo modo pertinent, ut videbimus. Sed jam in certas particulas certasque theses, quae de matrimonio carnali sparsim dicta sunt & dici possunt, colligamus & ordine explicemus.

In omni conjugio haec ordine consideranda sunt, quae etiam de primo conjugio deque institutione conjugii narrantur a Mose. 1. Causa materialis; 2. causae efficientes; 3. causa formalis; 4. causae finales; 5. officia viri & uxoris; 6. consequentia matrimonium.

1. Materia conjugii est masculus & foemina. Definitur etiam matrimonium, quod sit conjunctio maris & foeminae.

2. Verum non quaelibet foemina, aut quilibet masculus, legitima est materia, sed

sed qui sunt ejusdem speciei. Hoc indicavit Moses, cum narrat, Ex cunctis animalibus non fuisse repertum ullum, quod posset dari Adamo in adjutorium, *hoc est*, in matrimonium: & ideo creatam fuisse Evam e costa Adae.

3. Deinde neque quaelibet mulier aut quilibet vir idonea est materia ad conjugium, sed requiritur ut sint adulti, quo possint consentire in conjugium & ad officium matrimoniale sint accommodati. Ideo Deus etiam & Adamum & Evam creavit adultos & aetatis perfectae.

4. Neque quilibet vir aut mulier adulta legitima sunt materia, sed requiritur ut tales sint, quales praescribit lex Domini, Levit. 18. de gradibus consanguinitatis & affinitatis. Quam conditionem significavit etiam per Adamum Deus, cum dixit, Relinquet patrem & matrem, ut supra explicatum est.

5. Ut etiam sit legitima materia necesse est, ut sint duo tantum, unus masculus & una foemina, non autem plures. Non enim una pluribus nubere, aut unus simul plures ducere potest in matrimonium. Et hoc etiam docuit Dominus, qui duos tantum conjunxit, & unam adduxit ad unum.

6. Fidelem ac piam ad fidelem duxit: Detur ergo opera ut ambo sint pii.

Atque haec de legitima & idonea conjugii materia. Ideo etiam Dominus primo loco creavit hanc materiam.

Secundo loco considerandae sunt causae efficientes, *id est*, quae matrimonium constituunt.

7. Causa quidem prima & remota est Deus, a quo institutum est conjugium, & a quo uxor datur viro & mulieri vir, & a quo leges matrimonii constitutae sunt: unde & Christus dicit, Deum illum esse qui conjungit: Quod Deus conjunxit, homo non separet. Ideo consensus divinae voluntatis prima est conjugii efficiens causa.

8. Sed causae propinquae sunt tres, consensus parentum, consensus sponsi & consensus sponsae.

9. Parentes despondent liberos: liberi desponsi in sponsionem seu desponsationem consentiunt. Sic enim Deus tanquam parens post creatam materiam conjugii, statim secundo loco ipse voluit ut Eva nuberet Adamo & Adamus Evam acciperet: & ex consensu tum Dei primum, tum deinde Evae & Adami, contractum fuit matrimonium.

10. De consensu sponsi & sponsae extra controversiam est, sine eo, *id est*, sine libero utriusque partis consensu, nullum esse matrimonium.

11. Sed & lex Dei & leges Imperiales ac Romanae, quae sunt a lege naturae, nolunt ullum ratum esse matrimonium sine voluntate & consensu parentum. Ergo causae propinquae matrimonium constituentes sunt, ut dictum est, hae tres: Voluntas parentum: voluntarius consensus filii, & voluntarius consensus filiae.

12. Causa formalis coujugii, quae immediate ex illo triplici consensu nascitur, est ipsa legitima utriusque partis conjunctio, qua e duobus fiant una caro.

13. Sic enim definitur conjugium, quod sit legitima masculi & foeminae conjunctio: ut causa materialis sit mas & foemina, formalis autem conjunctio.

14. Sic enim factum est cum Adamo & Eva: postquam consenserunt, statim facti sunt una caro: & ideo dixit, Hoc os (scilicet meum est) & haec caro

(sci-

(scilicet mea est) ex ossibus meis & ex carne mea. Et sic de omni conjugio dixit: Erunt duo in carne una.

15. Et Christus ait, Quod Deus conjunxit, homo non separet: docens, sicut in separatione (nempe legitima, hoc est quae fit propter adulterium) consistit eversio matrimonii: sic contra in conjunctione consistere matrimonii constitutionem.

16. Conjunctio igitur haec causa est formalis matrimonii. Unumquodque enim habet esse per suam formam.

17. Finis triplex est: primus, ne homo sit solus, sed habeat sociam & adjutricem: vicissim, ne foemina sit sola, sed habeat virum ac caput & σωτῆρα a quo regatur & servetur in tota vita.

18. Finem hunc indicavit Deus dicendo: Non est bonum hominem esse solum, faciamus illi adjutorium, quod sit coram eo. Sic neque bonum est foeminam esse solam: propterea Deus dat illi virum tanquam caput.

19. Nihil felicius vita conjugali, si adsint illa, quae Deus vult esse in vero conjugio: unio praesertim animorum, ita ut anima una sit in duobus corporibus, eoque si sint verè una caro. Prov. 31. Cui contigit proba uxor, ea praestat gemmis: Confidit ei cor mariti, & res familiaris non deficiet. Ergo ut felicior esset & suavior hominis vita, institutum fuit matrimonium: quia alioqui bonum ei non erat ut esset solus.

20. Secundus finis est certa soboles & legitimi haeredes, ex quibus propagetur humanum genus in terra: & per consequens, ex quibus colligatur Ecclesia in omnem aeternitatem victura Christo.

21. Vult enim Deus humanum genus propagari non ex vagis libidinibus, sed ex legitimo conjugio; ut ex iis porro evocentur electi & colligatur Ecclesia.

22. Finem hunc expressit, cum benedicens Adae & uxori ita eis dixit: Crescite & multiplicamini, &c.

23. Hunc etiam finem indicavit verbo aedificandi: Et aedificavit costam in mulierem. Significavit enim per creationem Evae, tradendae in matrimonium viro, aedificatum iri familias, urbes, regna & inprimis Ecclesiam: de qua & Christus: Et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam.

24. Tertius finis fuit & est, ut post peccatum vitentur vagae libidines & fornicationes.

25. Hunc tradit Apostolus 1. *Cor.* 7. Propter fornicationem quisque suam habeat uxorem.

26. Quidam addunt *quartum*, qui est, ut conjugium carnale esset mysterium & sacramentum conjugii spiritualis.

27. Considerentur etiam hìc officia viri & uxoris, quae officia sunt ceu causae conjugium illibatum conservantes. Haec sunt duplicis generis: quaedam utriusque partis communia, quaedam cujusque propria.

28. Communia sunt mutuus amor & mutua fides. Amore enim uniuntur multi in unum, quia amor conjungit amantem cum amato: fide autem omnes conservantur societates.

29. Utrumque expressit Adamus: primum dicendo: Adhaerebit uxor (nempe non

non tam corpore quam animo & amore): alterum dicendo: Suae: item dicendo: Erunt duo in carne una.

30. Debent igitur hanc fidem sibi mutuam servare, ut non adglutinentur alteri, nec fiant per adulterium alterius caro. Hac potissimum ratione conservatur vinculum matrimonii.

31. Officia cujusque propria multa sunt, de quibus aliás: sed in summa eó revocantur, ut uxor subjecta sit viro, ab eo pendeat, sinatque se ab illo regi: & ut vir, tanquam caput, regat uxorem, foveat, tueatur, servet.

Consideranda etiam sunt consequentia matrimonium.

32. Primum & praecipuum est, quod cum quisque corpus factum sit alteri commune: omnia etiam, quae cujusque sunt propria, sive prospera sive adversa, eadem fiant alterius communia. Quicquid est mariti sit uxoris: quicquid uxoris sit mariti. Hoc ita proprium est conjugii & consequitur conjugium, ut ab eo separari non possit.

33. Hoc demonstravit Moses, dicendo: Erunt (*duo*) in una carne.

34. Alterum sunt variae cruces & molestiae, quibus status conjugalis exercetur: paupertas, morbi, exilia, curae, injuriae, tum a domesticis tum a peregrinis illatae, & alia id genus, quae in matrimonio ferenda sunt.

35. Rursus ingentes sunt consolationes & benedictiones quibus Deus conjuges in vero amore & fide viventes afficit. Non enim caret suis consolationibus & fructibus pium sanctumque conjugium. Donantur liberi, augetur res domestica, in rebus adversis alter alterum consolatur eique adest: in prosperis sibi invicem gratulantur, invicem laudant Deum.

Ad haec pauca matrimonium consequentia reliqua omnia referri possunt, etiam quae inter effecta matrimonii connumerari solent.

Quare iis, quae modo de matrimonio secundum genera causarum, officiorum & consequentium dicta sunt, tota matrimonii doctrina nobis satis comprehensa esse videtur.

36. Confirmationis autem loco cum iis conjungi possunt nomina varia, quibus matrimonium apud Graecos & Latinos nominatur, varias conjugii qualitates & proprietates significantia.

37. Γάμον vocant Graeci. Duplex hujus nominis adfertur etymologia: quidam δάμον quasi δαμάζειν dictum volunt, a verbo πάρα τὸ δεδμῆσθαι ἀλλήλοις τοὺς συζύγους, domare: quod domentur virgines & viris subjiciantur: refertur hoc ad proprium mulieris officium, quod est ut subjecta sit viro. Alii volunt sic vocari, ὁμόζυγοι, quod conjuges simul vinciantur. Refertur hoc ad formam, quia conjugium est conjunctio duorum, viri & foeminae. Sunt enim ὁμόζυγοι. Huic respondet vox Latina, conjugium a jugo; quo simul vinciuntur vir & uxor: unde Apostolus, Nolite jugum ducere cum infidelibus, *id est,* matrimonium contrahere.

38. Matrimonium autem vocatur a matre, quod in hunc potissimum finem nubere debeat foemina, ut fiat mater: Et sic uxorem suam vocavit Adam, Evam, *havah*, vivam, quod futura esset mater omnium viventium. Ad finem matrimonii refertur.

39. Nuptiae autem vocantur & connubium, a nubendo, quod virgines cum du-

ducerentur ad matrimonium, se nuberent, *id est*, obvelarent pudoris ergo, & ut darent testimonium suae ad virum subjectionis. Exemplum habemus *Gen.* 24. in Rebecca.

Haec de secundo capite, *hoc est*, de conjugio carnali dicta sunto: quae ideo a nobis sex membris comprehensa fuerunt, ut inde porro, quae de conjugio spirituali dicturi sumus & quae sparsim in Sacris Literis traduntur, non minus facile quam quae de carnali dicta sunt, innotescant. Eandem enim methodum secuturi sumus.

TERTIUM CAPUT.

Doctrina de spirituali connubio ad formam doctrinae de carnali explicatur.

Ergo accedamus ad tertium caput principale, & videamus quomodo quae diximus de carnali conjugio, juxta illa causarum genera, quadrent in conjugium spirituale, quod est inter Christum & Ecclesiam.

Primum fuit de materia conjugii, quod ea sit masculus & foemina, non simpliciter, sed qui sint ejusdem speciei & naturae.

1. In hoc spirituali conjugio ab una parte est Christus loco maris: & ab altera parte Ecclesia sancta loco foeminae, & quidem loco Evae e costa Adae creatae.

2. Christus enim secundus Adamus est caput Ecclesiae ejusque σωτήρ, de cujus latere educta est Ecclesia eo sensu, quo supra explicavimus.

3. Is enim foecundam afficit Ecclesiam semine verbi sui & Spiritus Sancti in ejus animum injecto: merito igitur locum viri obtinet.

4 Ecclesia verò locum foeminae & uxoris tenet: quia haec subjecta est Christo & semen spirituale accepit a Christo, ac per hujus ministerium multos sibi gignit filios Christus. Haec de prima conditione legitimae materiae in hoc spirituali matrimonio dicta sunto.

5. Ejusdem speciei sunt Christus, propter & secundum humanitatem assumtam, & Ecclesia.

6. Hac enim de causa verbum caro factum est, *id est*, Filius Dei factus est homo, ut posset verus esse sponsus Ecclesiae. Nam non decuit, ut matrimonium hoc contraheretur inter personas, quae non essent ejusdem speciei & naturae: quemadmodum neque caput alicujus diversae a corpore naturae & speciei esse potest

7. Est autem vir caput uxoris, & uxor corpus caroque viri, ait Paulus.

8. Proinde proprie loquendo & secundum Scripturas Deus Pater non est sponsus Ecclesiae, neque Spiritus Sanctus, sed Filius: quia is solus factus est homo: Pater verò sponsam hanc dedit Filio: per suum autem Spiritum hanc copulavit & adglutinavit Filio.

9. *Joh.* 6. Omne quod dedit mihi Pater, &c Et ut Joannes Baptista dixit, Christum Ecclesiae sponsum esse: Et Apostoli idem semper confirmant. Despondi vos uni viro virginem castam exhibere Christo, ait Paulus: & sponsa in Apoc, invocat suum sponsum & ait, Veni, Domine Jesu, veni.

10.

10. Quare quaecunque etiam leguntur in libris Veteris Testamenti testimonia de connubio inter Iehovam & inter Ecclesiam, ut illud *Oseae* 2. Desponsabo te mihi in fide: ea omnia de Christo, *id est*, de Filio in carne manifestando proprie & immediate intelligenda sunt.

11. Hanc enim ob causam Filius Dei, ut *scilicet* posset verus esse sponsus Ecclesiae & ejusdem cum ea naturae, ita factus est homo, ut nobis per omnia similis natura factus sit, demto peccato: Et rursus, ut Ecclesia quoque similis ei esset, eam regenerat & emundat á peccato: ne dissimile sit corpus capiti, aut caput corpori: sed ut & vir & uxor una sint caro, ejusdem naturae & qualitatis

12. Hinc, id est ex hac conditione, quod oporteat sponsum ejusdem esse speciei & naturae, cujus est & sponsa, sponsaeque per omnia similem, excepto peccato, facile est videre, qualis sit eorum doctrina, qui docent Ecclesiam talem habere sponsum, cujus corpus sit corpori sponsae prorsus dissimile, invisibile, impalpabile, incircumscriptum, ubique corporaliter & sua substantia praesens.

13. Tale corpus ejusdem certe speciei non est cum corpore sponsae. Ergo talis Christus sponsus ejus non est, cúm non sit ei natura per omnia similis.

14. Quare qui huic Pseudo-Christo se subjicit, eum colit, adorat, eumque amplectitur pro suo sponso: is adulterium committit adversus verum Christum, qui factus est nobis similis per omnia absque peccato.

15. At, *inquient*, idem Christus suum corpus habet in coelo circumscriptum, visibile, palpabile: in terris autem invisibile. &c.

16. Resp. *Primum*, talem Christum nobis non describunt Scripturae, talem non novit Ecclesia, imo rejecit contra Marcionem.

17. Aut idem est corpus, aut diversum, quod dicitis esse invisibile, &c. Si diversum, ergo iste Christus non est sponsus Ecclesiae: nam sponsus Ecclesiae corpus habet & animam ejusdem prorsus naturae cum corpore & cum anima Ecclesiae, id est, nobis est per omnia similis. Item, verus Christus sponsus Ecclesiae, non habet nisi unum corpus, quod sumsit de virgine, nostro omnino simile.

18. Si verò dicas unum & idem esse corpus, sed diverso modo essendi, esse in coelo & in terra: in coelo circumscriptive, in pane definitive ubique repletive.

19. Resp. *Primum* una & eadem res tot modos essendi habere non potest.

20. *Secundò*, hinc etiam efficietur, illud corpus non esse nostro per omnia simile.

21. Corpus enim sponsae & nunquam et nusquam aut fuit, aut est, aut esse potest tale, ut sit simul & semel visibile & invisibile, circumscriptum & incircumscriptum: aut alicubi circumscriptive, alibi definitive, ubique repletive, existat.

22. Quare neque verus sponsus Ecclesiae tale corpus habere potest, quod incompatibiles habeat proprietates.

23. Quod si habet (*quod tamen ἀδυνάτον est*) verus Ecclesiae sponsus non fuerit, sed adulter, quia ejusdem naturae & speciei non est cum sponsa.

24. Praeterea istud corpus, quod ajunt esse ubique praesens, sed invisibile &c. aut est animatum animaque rationali praeditum: aut non est animatum.

25.

25. Si non est: Ergo qui hoc constat corpore non est verus sponsus Ecclesiae Christus. Corpus enim veri Christi animatum est & vivit.

26. Si est animatum, aut eadem anima, qua & illud quod in coelo est circumscriptum, visibile, palpabile, animatum est, aut alia & diversa.

27. Si diversa: non est igitur is noster Christus sponsus Ecclesiae: Christus enim noster una tantum constat anima, sicut & corpore uno, illa, *inquam*, anima, quam emisit e corpore cum moreretur, ac proinde quae sicut tunc non fuit ubique (omissa enim fuit e corpore) sic nec postea resumta unquam fuit aut est ubique.

28. Si vero eadem anima hoc invisibile corpus animatum esse dicas, qua & illud visibile, quod in coelo est, hoc verum esse non potest.

29. Ratio prima est, quia una anima duorum eorumque diversissimorum corporum forma esse nequit.

30. Secunda, quia anima humana nostri sponsi est forma corporis physici, organici. Corpus autem quod fingis ubique esse, incircumscriptum &c. physicum non est, neque organicum &c.

31. Item anima, qua praeditum est corpus nostri sponsi, quod in coelo est finitum & circumscriptum, terminos sui corporis non excedit, nec egreditur sua substantia. Eadem igitur anima, qua illud visibile in coelo animatum est, hoc invisibile & ubique corporaliter praesens animari non potest. Quare corpus nostri sponsi esse non potest, cum non sit ejusdem naturae & speciei cum corpore sponsae.

Ac de secunda conditione, quae requiritur in materia legitima hujus matrimonii, satis.

32. Tertia conditio materiae fuit, ut tales sint vir & foemina, qui possint in matrimonium consentire. Haec neque in Christo, neque in Ecclesia desiderari potest: in Ecclesia, *inquam*, id est, in adultis (ut omnibus liquet) hominibus.

33. Infantes vero, etsi propria voluntate actu consentire non possunt, consentiunt tamen aliena, nempe Ecclesiae & parentum voluntate, consensuri propria, cum adoleverint.

34. Proinde Pater coelestis, qui eos per sanguinem Christi corpori Ecclesiae inseruit: eos etiam in corpore Ecclesiae pro carne Christi agnoscit & ab hoc sancto conjugio non excludit.

35. Tota enim Ecclesia sponsa Christi est: infantes autem renati pars sunt Ecclesiae.

36. Quanquam enim re ipsa tum demum & ipsi fieri sponsa Christi dicuntur, cum in conjugium hoc propria voluntate consentiunt, semper tamen, ut dictum est, eos pro sua sponsa agnovit Christus, tum quia ipse consentit, tum quia illorum nomine & Pater coelestis vult, & parentes secundum carnem consentiunt, tum quia videt illos suo tempore consensuros, qui nunc consentiunt δυνάμει quae tandem revocabitur ad actum. Ergo in hoc conjugio neque haec tertia legitimae materiae conditio desideratur.

37. Quarta conditio, de gradibus consanguinitatis, hîc locum non habet; ideò nullum adfert impedimentum.

38.

38. Quinta conditio materiae, nempe ut sint duo tantum, unus masculus una foemina, non desideratur.

Licet enim diversi & multi sint fideles, *id est*, membra Ecclesiae: qui tamen omnes uno & eodem Spiritu sunt in unum conjuncti & in unum corpus baptizati per eundem Spiritum: idcircò multitudo membrorum non impedit, quin omnes sint unum corpus, una caro & ceu unus homo, eoque una sponsa Christi.

39. Nam neque multitudo membrorum in corpore Christi naturali impedit, quin unum tantum habeat corpus: neque duae naturae impedimento sunt, quin sit unus tantum & idem Christus, eoque unus sponsus.

40. Unicus autem est Christus, quia una tantum est persona, constans una & eadem deitate cum Patre & Spiritu Sancto, *id est*, subsistens in una & eadem essentia: constans item una humana anima & uno humano corpore, nostris per omnia similibus.

41. Unicus igitur est Christus, ille, *inquam*, qui suo unico & finito corpore in coelo sedet ad dexteram Patris: & hunc unicum semper Ecclesia agnovit pro suo sponso, & non alium.

42. Quod si ei aliud affingas corpus & aliam animam, jam non erit unus Ecclesiae sponsus, sed duo. Absit autem haec polygamia ab Ecclesia Christi.

43. Proinde ab hac etiam conditione apparet, quam portentosum & blasphemum sit dogma eorum, qui re ipsa duo sponsos dant Ecclesiae.

44. Adjecimus aliam conditionem, cavendum esse, ne pius ducat impiam, aut ne pia nubat impio. Hortatur enim Apostolus, ne fideles jugum ducant cum infidelibus.

45. Christus certè Ecclesiam, quam sibi copulare voluit, prius lavit á peccatis sanguine suo in cruce: impetrata nimirum illi a Patre remissione peccatorum, eamque sibi imputatione & communicatione sanctitatis suae sanctificans. Deinde re ipsa per lavacrum regenerationis unumquodque membrum Ecclesiae lavat á peccatis, & reali sanctitate sanctificat.

46. Quas vero adhuc illa habet peccatorum reliquias, partim non imputat, partim magis ac magis quotidie tollit, donec tandem tota, sine macula & sine ruga, gloriosa sistatur ei in coelo.

47. Hinc sequitur: Qui sanguine Christi a peccatis abluti non sunt, nec per ejus Spiritum renati, eos non esse sponsam Christi.

48. E costa Adae creari oportuit eam, quae debuit esse ipsius Adami sponsa: sic e latere Christi, unde fluxit sanguis & aqua, lavetur a peccatis & regeneretur necesse est illa, quae uxor & sponsa Christi esse debet. Non enim Pater adduxit ad Adamum nisi illam, quae ex sancta ejus costa creata fuerat sancta.

49. Sed neque Adamus aliam agnovit pro sua uxore, quam quae e sua costa fuerat educta: neque uxor alium novit pro suo marito, nisi eum, e cujus costa creata fuerat sancta.

50. Sic etiam neque Christus aliam agnoscit pro sua Ecclesia, nisi quae e suo latere in cruce educta, *id est*, quae suo sanguine abluta est a peccatis & regenerata novaque facta creatura. Et vicissim vera Ecclesia alium non agnoscit pro Christo proque suo marito, nisi eum, qui secundum carnem natus est

est e semine Davidis in utero virginis, qui fuit in cunis, qui edit & bibit cum aliis, qui habitavit non ubique inter Gentes, sed in Palaestina inter Judaeos, qui passus est pro nobis, qui cruci affixus, qui Spiritum misit e corpore, cui apertum fuit latus, e quo exivit sanguis & aqua, materia nimirum nostrae redemtionis & regenerationis: proinde e cujus in cruce mortui latere procreata est tota Ecclesia.

51. Cedo vero ipse Christus, cujus corpus ajunt Haeretici ubique esse sua substantia invisibile, impalpabile, estne ille, e cujus latere sanctificata est Ecclesia? Neque enim tale corpus ullum habet latus vel dexterum vel sinistrum, nullum sanguinem, nec est e semine Davidis, nec natum e virgine, nec passum, nec crucifixum.

52. Ecclesia igitur Christi, sicut numquam agnovit, sic nec nunc agnoscere debet talem Christum pro suo sponso: & contenta esse debet illo Christo, cujus corpus in coelo est, & cujus sanguine sanctificata & servata est. Atque haec de materia conjugii. Ex quibus apparet, si spectemus materiam conjugii legitimam, conjugium inter Christum illum, qui in coelis est sua humana natura, & inter Ecclesiam, quae partim in coelis, partim in terris est, verum, legitimum & sanctum esse conjugium.

53. Nam si quis de Angelis excipiat, illos quoque partem esse Ecclesiae, nec tamen esse ejusdem naturae cum Christo, quia neque sunt Deus, neque homines: huic respondeo, *primum:* illos ad corpus Ecclesiae pertinere ego non dubito propter testimonium Apostoli ad Heb. 12. ut de aliis taceam. *Secundo*, etsi vero non sunt homines, sicut Christus, non sunt tamen diversae prorsus naturae propter animam Christi: sicut enim haec creatus est Spiritus, sic illi sunt creati Spiritus, praediti intellectu & voluntate.

54. Proprie tamen loquendo conjugium contractum dicitur inter Christum & inter coetum hominum electorum. Non enim assumsit Angelos (dicit Apostolus) in unitatem personae, sed semen Abrahae. Nec dici verè potest de Christo & de Angelis, id quod de ipso & Ecclesia praedicat Paulus, quod sint duo in unam carnem, seu una caro: cum Angeli careant carne.

55. Sunt tamen & ipsi unum cum Christo, & sub eo sunt tanquam sub capite. Est enim Christus caput etiam Angelorum. Eph. 1 & Col. 2. Qui est caput omnis principatus & potestatis, &c. ut & in illos etiam a se influat gratia & vita & sapientia efficit, sicut & in homines fideles. Proinde a corpore Ecclesiae separari non possunt. Ita quodammodo ipsi quoque sunt sponsa Christi. Quanquam hoc de solo coetu hominum electorum praedicare aperte soleat Scriptura.

56. Neque Apostolus in cap. 5 ad Eph. de alio connubio loquitur quam de eo, cujus typus fuit conjugium Adae & Evae: typus autem fuit ejus, quod est inter Christum & Ecclesiam, quae est coetus hominum fidelium.

THESIS I.

Ad causas porro efficientes quod attinet, eas tres esse diximus, nempe triplicem consensum: liberum consensum sponsi, & liberum itidem & voluntarium consensum

consensum sponsae. In matrimonio quoque nostro spirituali ii tres consensus non desiderantur.

2. Deus pater voluit ab omni aeternitate, ut Filius, carne nostra in unitatem personae assumpta, duceret in matrimonium Ecclesiam, id est, totum corpus Electorum: & vicissim ut Ecclesia nuberet Christo: & ex duobus fierent unum corpus unaque caro.

3. Voluntatem hanc suam patefecit & declaravit *primum* quidem in conjugio Adami & Evae, tanquam in speculo & figura: ut Apostolus interpretatur Eph. 5. &. consequenter in omnibus legitimis matrimoniis.

4. Patefecit item variis promissionibus de Christo & de Ecclesia in unum conjungendis: quae frequentissimae sunt in libris Mosis & Prophetarum.

5. Neque alió spectabat foedus, quod cum Abrahamo & semine ejus fecit, & saepius porro renovavit cum Patribus.

6. Omnium verò luculentissime testatam fecit suam voluntatem Pater, cum misso Angelo ad Mariam significavit se velle ut conciperet filium, qui servaret populum suum, *id est*, Ecclesiam, a peccatis eorum, & regnaret in domo Jacob in aeternum, essetque noster Immanuel; ut fieret una caro nobiscum, & ita Deus vere nobiscum esset.

7. Hanc denique voluntatem suam perpetuo patefecit per Evangelii praedicationem: se velle ut nubamus Christo & fiamus una caro cum illo: caro de carne ejus & ossa ex ossibus ejus.

8. Quo spectant sacramenta, Baptismus & Coena: quibus in κοινωνίαν cum Christo recipimur & in ea coalescimus. Voluntas ergo Patris satis est perspecta.

9. Filius quoque jam inde ab aeterno voluit idem quod Pater: & iisdem plane rationibus suum patefecit consensum, quibus & Pater.

10. Haec fuit vox Filii ante carnem assumptam ad suam Ecclesiam, Desponsabo te mihi in fide, &c. *Oseae* 2.

11. In cantico vero Salomonis pulcherrime hoc cum Ecclesia conjugium describi voluit. Et in Prov. Sapientia aeterna, quae est λόγος, Filius Dei, ait, suas delicias esse, ut sit cum filiis hominum, *id est*, cum Ecclesia sua.

12. Tum verò maxime hanc suam voluntatem perspectam omnibus fecit, cum suscepta carne nostra factus est homo nobis per omnia similis excepto peccato. Eam confirmavit familiari consuetudine, conversatus inter nos variis sermonibus perpetuis officiis ac beneficiis, neminem aspernatus, ne meretrices quidem ac publicanos, ut omnes ad se per veram poenitentiam & fidem pertraheret, sibique incorporaret.

13. Quomodo vero clarius & luculentius suam hanc voluntatem declarare potuisset, quam cum voluntarie mortem subiit pro salute Ecclesiae, & sanguinem effudit, quo lavaremur a peccatis & in novam creaturam regeneraremur?

14. Tunc enim promeruit & impetravit Ecclesiae remissionem peccatorum, regenerationem, aeternum conjugium, quo illa fieret una caro cum ipso: vitam denique aeternam in aeterno ac coelesti suo regno illi comparavit. Volo, inquit, ut ubi ego sum & illi sint, qui credituri sunt in me, *id est*, qui futuri sunt sponsa mea. *Joh.* 17.

15. Haec voluntas, quia voluit quod & Pater de hoc connubio, descri-

 bitur

bitur ab Apostolo Phil. 2. ubi hortatur, ut idem affectus sit in nobis, qui & in Christo: qui cum in forma Dei esset, non est arbitratus rapinam parem esse Deo; sed se ipse submisit, factus obediens usque ad mortem. Et *Eph.* 5. Sicut & Christus dilexit Ecclesiam & tradidit semetipsum pro ea, &c. mundans eam lavacro aquae in verbo.

16. Hanc etiam suam voluntatem quotidie patefacit per verbum Evangelii & sacramentis obsignat. De voluntate igitur etiam Filii, eaque liberrima, dubitari non potest.

17. Caeterum haec Filii voluntas duplex est: Una divinae, altera humanae naturae. Utraque autem voluit & vult hoc conjugium cum Electis: unâ voluit ab aeterno, alterâ in tempore, quae nunquam mutatur: & voluntas est animae creatae & finitae, quae una cum corpore in coelo est.

18. Restat consensus sponsae: nisi enim ipsa quoque & singuli fideles libere consentiant in hoc conjugium, firmum & verum non est.

19. Est enim conjugium (ut supra est declaratum) legitima conjunctio unius maris & unius foeminae, ex libero utriusque partis consensu profecta atque contracta.

20. Proinde tunc proprie dicimus contrahi hoc cum Christo matrimonium, cum quisque sua fide suaque voluntate consentit tum voluntati Patris mandantis, ut Christum pro nostro sponso agnoscamus & amplectamur: tum etiam voluntati sponsi nos ad se invitantis, atque ut una secum fiamus caro per Apostolos vocantis.

21. Stat enim dictum Filii Dei, Desponsabo te mihi in fide. Oseae 2 & Johan 3. Johannes Baptista, postquam ostendisset Christum esse sponsum Ecclesiae, hortatus est ad fidem in eum, qua *scilicet* quisque re ipsa ei, tanquam sponso, adglutinetur, vivatque cum illo vitam aeternam. Qui enim credit in Filium habet vitam aeternam: qui non credit, ira Dei manet super eum. Et Apostolus, Despondi vos uni viro, virginem castam exhibere Christo. Quomodo? per fidem, *scilicet* Evangelii, quo Christus sese nobis in sponsum & servatorem offert.

22. Ergo consensus iste necessarius est ad conjugium hoc cum Christo reipsa contrahendum. Per fidem enim fimus una caro cum illo: eoque dicitur Christus per fidem habitare in cordibus nostris. Ephes. 2.

23. Sed undenam iste consensus liberaque voluntas? Ab ipsomet Patre, qui nos adducit ad Christum: Operatur enim in nobis velle & perficere pro sua bona voluntate. *Philip.* I. Nam idem etiam effecit, ut in idem conjugium consentirent & Adamus & Eva.

24. Hic vero consensus non nisi in homine jam per Spiritum Sanctum utcunque regenerato & vivificato esse potest.

25. A mala enim & prorsus corrupta pravaque voluntate bonus consensus produci non potest: juxta illud Christi, Arbor mala non potest bonos fructus facere.

26. Proinde quicunque vera fide donati sunt, in eis fatendum est inchoatam esse regenerationem: quae postea indies per incrementum Spiritus magis ac magis perficitur. Quid enim homo mortuus valet ad opera vitae? Credere autem

autem in Christum & consentire in connubium hoc spirituale opus est vitae.

27. Ideo anté quoque dixi regenerationem cordisque innovationem ordine naturae in homine prius inchoari per Spiritum Sanctum, quam vero fidei assensu in hoc cum Christo conjugium consentire possit: quemadmodum & Adamus & Eva prius creati fuerunt & anima vivificante praediti, quam in matrimonium conjuncti.

28. Hae itaque sunt causae spiritualis conjugii verae & per se efficientes, voluntas Patris Dei, voluntas sponsi Christi, & voluntarius cujusque fidelis consensus.

29. Sed causae instrumentales sunt ministri Evangelii: qualis fuit Johannes Baptista, qui se amicum sponsi vocabat & ad nuptias invitabat: quales & Apostoli, unde Paulus, Despondi vos uni viro, virginem castam exhibere Christo.

30. Tunc igitur quisque certum habet in se contracti matrimonii testimonium, cum se vera fide in Christum donatum esse sentit, qua consentit in voluntatem Patris, ut fiat una caro cum Christo juxta illius verbum.

31. Caeterum hîc quoque notandum est, in conjugio requiri certam personae, cum qua contrahendum conjugium, cognitionem: Error enim personae procul abesse debet a conjugio, ne uni loco alterius nubas.

32. Est igitur necesse, ut quisque in veri Christi sibique probe cogniti conjugium, non autem in illius, quem non certo verum esse Christum ex verbo Dei noverit, consentiat.

33. Quis autem sit verus Christus, cui nos Pater vult conjugii vinculo copulari, Sacrae Literae docent: illum esse & verum Deum, Patri ὁμοούσιον, & verum hominem, nobis per omnia similem absque peccato.

34. Talem autem Christum, qui corpore constet invisibili, incircumscripto, ubique praesente, nullibi nos proponit Scriptura: nec vetus Ecclesia talem unquam novit aut admittere voluit.

35. A talis igitur Christi conjugio, cui corpus a nonnullis affingitur invisibile, caveant sibi fideles: & contenti simus tali Christo, qualem nobis proponunt Sacrae Literae, qualem Pater demonstravit, dicendo: Hic est Filius meus dilectus: hic, hic *scilicet* quem baptizabat Joannes, & supra quem descendit visibiliter Spiritus Sanctus in specie columbae.

36. Certe Pater non demonstravit talem Christum, qui corpus haberet invisibile, nec supra talem descendit Spiritus, nec talis fuit a Joanne baptizatus: neque ex tali corpore exivit sanguis & aqua, quibus lavemur.

37. Et Hieronymus ad Pammachium, contra Johannem Hierosolymitanum, inter haereses connumerat dicere corpus Christi post resurrectionem factum esse invisibile.

38. Apage igitur tale portentum atque monstrum: & noster sponsus esto Christus ὁμοούσιος Patri, & ὁμοούσιος matri, nobisque per omnia similis excepto peccato.

In conjugio spirituali quoque tertio loco considerandam esse diximus causam formalem, *id est*, ipsam conjunctionem.

De

De hac unione, in qua cardo totius hujus tractationis consistit, videnda sunt haec quatuor:

Primum, quaenam res uniantur? an anima nostra, duntaxat, sine corpore, cum anima Christi tantum: an vero etiam caro nostra cum carne Christi, adeoque tota persona nostra cum tota persona Christi conjungatur?

Deinde, si tota persona nostra cum tota persona Christi conjungitur & unitur: quaeritur, cum Christus constet natura divina & humana, cum quanam prius conjungamur, cum divinane an cum humana?

Tertio, qualis sit haec unio, substantialisne an accidentalis & tantum in phantasia posita?

Quarta, si realis & substantialis, quonam modo fiat? an caro Christi invisibiliter descendat: an quod substantia aëris mutetur in carnem Christi, ita ut hauriendo aërem hauriamus carnem? an quod sit in aëre realiter, & ita uniatur fidelibus? aut quanam alia ratione?

Ad primum quod attinet thesis haec nostra esto.

I.

Neque anima nostra sola cum sola Christi anima, neque caro nostra sola cum Christi carne, sed tota cujusque fidelis persona cum tota Christi persona verè conjungitur, & hujus spiritualis conjugii vinculo copulatur eique adglutinatur.

2. Ratio prima a conjugio Adami & Evae ducitur. Tota persona Adae copulata fuit cum tota persona Evae. Ergo &c.

Illud enim carnale conjugium fuit hujus spiritualis conjugii typus & mysterium: id nimirum inter Christum & inter Ecclesiam spiritualiter futurum, quod inter illos carnaliter factum fuit.

3. Aperte Apostolus docet, quod dictum fuerat (Erunt duo in carnem unam) hoc ad mysterium connubii spiritualis inter Christum & inter Ecclesiam pertinere, & de Christo atque de Ecclesia intelligendum esse.

Atqui vox *duo* significat duas personas, duos homines. Est autem Christus unus homo unaque persona: & quisque fidelis alia persona: tota vero Ecclesia pro una persona & uno homine accipitur in Scripturis, ut supra visum est, & Apostolus Eph. 2. aperte docet. Ergo in hoc spirituali conjugio tota cujusque fidelis persona, anima, *scilicet*, & caro, cum tota Christi persona conjungitur & fit unum cum illo, una caro, unus homo.

4. Ait etiam contextus Mosis, & ita citatur a Paulo: Relinquet homo patrem &c. & adhaerebit uxori suae. Homo autem non est tantum anima nec tantum corpus, sed utrumque simul: neque uxor constat tantum corpore, nec sola anima, sed utroque simul. In hoc vero conjugio spirituali Apostolus nomine Viri intelligit Christum, & nomine uxoris Ecclesiam, ac proinde unumquemque fidelem. Ergo ut verum sit conjugium, tota persona fidelis cum tota persona Christi conjungatur & in unum coalescat necesse est.

5. Hoc etiam praemonstravit Christus ipse, cum factus est homo. Tota enim persona Filii Dei assumpsit in sui unitatem totum hominem, *id est*, totam

totam humanam naturam, non carnem solam, nec animam solam, sed utrumque simul. Ergo etiam unitur cuique fideli, totus toti unitur.

6. Christus quia sponsus est, ideò etiam caput & servator Ecclesiae appellatur ab Apostolo: ac proinde, quod vitam & salutem derivet in Ecclesiam tanquam in corpus suum & in singula ejus membra. Atqui Christus non est caput nec servator Ecclesiae secundum divinam duntaxat naturam, neque secundum duntaxat humanam animam & corpus, sed totus sua deitate sua anima & sua carne caput est nostrum & servator noster. Neque etiam aut sola fidelis anima aut solum corpus servatur a Christo, sed utrumque simul, *id est*, totus homo fidelis: salutis autem particeps nemo fit, nisi per unionem & coagmentationem cum Christo. Ergo cum toto Christo totus homo in hoc spirituali conjugio copulatur.

7. Ac quia praecipua quaestio est non de unione cum deitate, sed de unione nostrae carnis cum carne Christi, praesertim dum sumus in hoc mundo nostraque caro sit in terris, caro autem Christi in coelis: ideo subdam testimonia peculiaria de unione carnis nostrae cum carne Christi: Hoc igitur esto sextum argumentum continens haec testimonia.

Apostolus Ephes. 5. ait: Nos esse membra corporis ejus, *id est* Christi, ossa ex ossibus ejus & carnem de carne ejus. Hoc vero dicit propter conjunctionem, quam habemus cum Christo. Item, Nemo odit carnem suam, sed nutrit & fovet eam. Et hoc intelligit de Christo erga suam Ecclesiam, quod foveat eam ut carnem suam. Item quod dictum est: Erunt duo in carnem unam, de Christo & Ecclesia interpretatur, propter unionem quam habet cum Christo. Intellexit igitur Apostolus nos non solum quoad animam sed etiam quoad carnem uniri non solum cum deitate aut cum anima Christi, sed etiam cum ejus carne, licet in coelis sit: uniri, *inquam*, vere, ita ut fiamus cum illo una caro. Passim etiam inculcat nomen Corporis, dicendo: Nos esse unum corpus cum Christo: ac de corpore humano loquitur, e cujus capite vita influit in membra. Item ad Cor. ait, nostra corpora esse membra Christi. Tollens igitur membra Christi, faciam membra meretricis? *Johan.* 6. Nisi manducaveritis carnem filii hominis, non habebitis vitam in vobis. Haec & alia similia testimonia luculentissime testificantur unionem, quam habemus cum Christo, non esse tantum animae cum anima, aut etiam carnis cum deitate, sed carnis quoque nostrae cum carne Cbristi: non cum illa, quam fingunt haeretici, invisibili & immensa & incircumscripta; quomodo enim cum hac possumus esse una caro & unum corpus, cum nulla sit similitudo inter carnem nostram visibilem, finitam, circumscriptam, & inter illam invisibilem? Non igitur cum hac fictitia carne sumus una caro cum Christo, aut nostra cum ea conjungitur, sed cum illa, quae in coelo est, nostrae omnino similis substantia & natura.

8. Patres eandem tradunt doctrinam. Omnium testimonia adferre supervacaneum est. Constat enim omnes idem cum Sacris Literis sensisse, quod modo diximus: praesertim propter verba Christi Joh. 6. Nisi manducaveritis carnem filii hominis, non habebitis vitam in vobis. Item, Qui manducat carnem meam, in me manet & ego in illo. Item propter verba Apostoli, Panis, quem frangimus, κοινωνία est corporis Domini: *id est*, ea res est, qua in communionem

cum

cum corpore Domini recipimur & in unum coalescimus. Proinde Patres omnes ad unum docent, in Coena ipsam veram carnem Christi, nempe non quae ab haereticis invisibilis & incircumscripta esse fingebatur, sed quae nostrae per omnia similis est, demto peccato, verè a nobis comedi, ut toti quanti quanti sumus coalescamus in unum cum toto Christo, effecti caro de carne ejus & ossa ex ossibus ejus. Unius igitur aut alterius testimonia audivisse satis fuerit.

9. Cyrillus in Johannem lib. 10 cap. 13 apertè scribit, Christum communicatione carnis suae in nobis habitare, & nos esse membra ipsius: idque propter verba, quae de esu carnis suae dixit Christus ipse: Qui edit carnem meam & bibit sanguinem meum, in me manet & ego in illo; & statim subdit: Unde (*inquit*) considerandum est, non habitudine solum, quae per charitatem intelligitur, Christum in nobis esse: verum etiam & participatione naturali. Sic ille. Quid verò nomine participationis naturalis intelligit? Non certe participationem, quae fiat modo naturali, sed veram naturalis carnis Christi participationem, qua fiat ut nos verè simus cum Christo una caro & unum corpus. Vox ergo *naturali* non ad *modum quo*, sed ad *rem quae* participatur, *id est*, ad naturalem carnem Christi referenda est. Ita refellitur somnium de carne invisibili: Ideo simili clarius explicat, dicendo: Num quemadmodum, si quis igne liquefactam ceram aliae cerae similiter liquefactae ita miscuerit, ut unum quid ex utrisque factum videatur: sic communicatione corporis & sanguine Christi ipse in nobis est & nos in ipso? Haec Cyrillus.

10. Simile (ut dici solet) non currit quatuor pedes. Certum enim est, neque nostrum corpus neque etiam Christi liquefieri, ut uniantur simul. Ergo neque est, cur quispiam hinc imaginetur contactum aliquem physicum, quo sicut cera cerae unitur, sic caro Christi nostrae uniatur. Diserte enim in eo capite & alibi semper Cyrillus docet, hanc unionem fieri per fidem: ut cap. 6. Johan. docetur, & Ephes. 3. Apostolus expressit dicendo, Christum habitare per fidem in cordibus nostris. Christum autem in nobis esse atque manere, & Christum habitare in cordibus nostris, idem sunt: Apostolus autem docet, eum habitare per fidem in nobis; igitur etiam est & manet, & nobis unitur eoque & editur per fidem. Quare omnis physicus contactus excludendus est.

11. Neque etiam ex hoc simili cerae fingenda est aliqua praesentia corporalis carnis Christi: quasi carni nostrae uniri illa non possit, nisi carnaliter & realiter praesens sit, qualiter etiam cera cerae praesens est. Hanc enim praesentiam passim oppugnat & expugnat Cyrillus cum aliis Patribus, qui statuunt carnem Christi seu Christum sua carne in coelo esse & in coelo manere, in terris autem eodem existendi modo non esse.

12. Legatur idem Cyrillus in eundem Joh. lib. II cap. 21 explicans illa verba Christi. *Joh.* 17. Cum essem cum eis ego servabam eos in nomine tuo: Nunc autem ad te venio (*scilicet*) in coelum. Pater enim dicitur habitare in coelis, ita ibi scribit Cyrillus:

Putabant discipuli absentiam Christi, ut hominis dico (Deus enim ubique adest) multorum eis incommodorum causam futuram, cum non adesset, quia eos ab omnibus posset malis eruere: Sed oportebat eos, qui luminaria orbis postea facti sunt, non solum in carnem Christi, verum etiam in deitatem respi-

respicere: quae quamvis oculis non cernatur, adest tamen semper summa cum potestate: nec quicquam est, quod prohibere possit, quin omnia repleat, & quod velit peragat. Non enim loco aut dimensionibus circumscriptibilis natura divina est: (quasi dicat, nempe sicut humana) *subdit*: Quare cum Deus & homo Christus verè sit: oportuit eos intellexisse ineffabili deitatis potestate unà cum eis semper futurum, etiamsi carne abesset. Idcirco enim ipse quoque in superioribus dicebat, Pater sancte, serva eos in nomine tuo, quos dedisti mihi, apertè significans deitatis ratione, non carnis praesentia, eos posse servari.

Haec omnia Cyrilli sunt: quae etiam clarius in sequentibus explicat. Inter quae & hoc nullo modo praetereundum continetur, Quae propria Dei sunt, ea non posse ab ulla re praestari, nisi substantialiter Deus sit. Verba ejus haec sunt:

Nulla enim res, quae propria opera Dei sunt, facere potest, nisi substantialiter Deus sit. Haec ille.

Esse vero ubique praesentem sua substantia, an non proprium Dei est?

13. Legatur & caput 22. ubi inculcat Christum, quatenus homo est, absentem a nobis esse: sed solum, quatenus Deus est, esse praesentem & omnia implere. Ex quibus omnibus luce clarius apparet, Cyrillum illo simili cerae & illa naturali participatione minime sensisse aut docere voluisse, carnem Christi nobis uniri & communicari per praesentiam corporalem aut per illum contactum carnalem, sive visibilem sive invisibilem: cum ubique doceat, hoc fieri praesentia spirituali & contactu spirituali, *id est*, per fidem, de quo spirituali contactu Christus dixerat, Aliquis me tetigit.

14. Quid igitur sibi voluit Cyrillus illo simili cerae? Nil aliud, quam sicut re ipsa cera incorporatur cerae, ita ut e duabus una fiat massa cerae: sic etiam nos revera ipsi Christo adeoque carnem nostram carni incorporari, ita ut e duabus una fiat caro, juxta illud, Erunt duo in carnem unam: id quod Paulus de conjugio inter Christum & Ecclesiam interpretatur. Non ergo ad modum unionis torquenda sunt verba Cyrilli, sed de rebus quae uniuntur, & quod verè & reipsa uniantur caro nostra & caro Christi, imo nos toti cum toto Christo, intelligenda sunt.

15. Caeterum modus spiritualis est, quia fit haec unio & incorporatio per Christi Spiritum ac per fidem nostram, ut postea dicemus. Ac rem ita se habere ut diximus liquet á scopo Cyrilli, in illo 13. capite libri 10.

Scribebat enim adversus eos, qui dicebant nomine vitis, cujus nos sumus palmites, solam Christi deitatem intelligendam esse, eoque nos non esse verae carni Christi, sed tantum ejus deitati insitos: contra Cyrillus demonstrat, nos verae carni Christi, etiamsi absens sit in coelo, vere tamen & realiter esse insitos & incorporatos: atque hoc inprimis probat a mysterio Coenae, ubi Christus veram suam carnem nobis exhibet edendam, & ait, Qui edit carnem meam, in me manet &c. Sed quomodo editur? fide: sicut ibidem Johan. 6. docet Christus. Non enim sejungendus est modus, quo editur, a modo quo in nobis est: cum ideò in nobis sit, quia editur.

16. Eandem plane doctrinam tradidit Hilarius de Trinitate libro 8. paulo post principium, cum explicat, Quomodo Pater & Filius unum sint unitate, sci-

scilicet naturae & essentiae. Ibi etiam docet unitatem, qua fideles erant & sunt unum in Christo, fieri quidem per fidem, sed tamen esse naturalem: nempe quia caro nostra naturalis cum naturali carne Christi unitur: & ita a Coena Domini concludit his verbis, pag 141. de naturali in nobis Christi veritate: quae dicimus, nisi ab eo discimus, stulte atque impie dicimus (notent haec verba, qui de carne Christi & de unione personali non ex verbis Christi disputant). Ipse n. ait, Caro mea vere est cibus & sanguis meus vere est potus. Qui carnem meam edit & sanguinem meum bibit, in me manet & ego in illo. De veritate carnis & sanguinis non relictus est ambigendi locus: nunc enim & ipsius Domini professione & etiam fide nostra verè caro est & vere sanguis est.

Et haec accepta atque hausta id efficiunt, ut & nos in Christo & Christus in nobis sit. Anne hoc veritas non est? Continget plane iis verum non esse, qui Christum Jesum verum esse Deum negant. Est ergo ipse in nobis per carnem & sumus in eo, dum secum hoc, quod nos sumus, in Deo est.

17. Paulo post hanc unionem, quam habemus cum Christo, vocat naturalem & probat dicendo: Quod autem in nobis naturalis haec unitas sit, ipse ita testatus est: Qui edit carnem meam & bibit sanguinem meum, in me manet & ego in eo. Non enim quis in eo erit, nisi in quo ipse fuerit: ejus tantum assumtam in se habens carnem, qui suam sumserit.

Liquet igitur etiam ex Hilario veram nostram & naturalem carnem cum vera ac naturali carne Christi conjungi in hoc spirituali conjugio, de quo disserimus.

18. Sic Leo primus scribit. Hoc enim agit participatio corporis, ut in id quod sumimus, *hoc est*, in carnem ipsius, qui caro nostra factus est, transeamus. Haec ille. Certe Christus factus est nostra vera & naturalis caro. Ergo nos etiam transimus in naturalem ejus carnem, & edimus naturalem ejus carnem.

19. Sed quomodo transimus? nunquid pedibus corporis? sive transferendo hanc carnem in carnem Christi? Minime verò, sed Spiritu & fide. Ergo neque ore corporis edimus carnem Christi. Eodem enim modo edimus carnem Christi, quo etiam in eam transimus, & quo modo in eo manemus nos & ipse in nobis: utrumque enim conjungit Christus, dicendo: Qui edit carnem meam, in me manet & ego in illo.

20. Summa vero est, nos, sicut veram & naturalem Christi carnem edimus, sic verae Christi carni uniri. Et contra, sicut verae & naturali carni Christi unimur, sic etiam naturalem ejus carnem edere. Sunt ἀντιστρέφοντα haec.

21. Cum autem unimur carni & corpori Christi, fimus concorpores (ut loquitur Cyrillus, imo Apostolus ad Ephes.) cum illo & una caro.

Itaque ex hac doctrina certe & perspicua refellitur haeresis illa, quae fuit antiquiorum haereticorum, & a nonnullis renovari videtur, de carne Christi invisibili, incircumscripta, ubique praesente.

Neque enim in hanc transimus, ut loquitur Leo primus; neque cum hac fimus concorpores, ut loquitur Cyrillus, & ante eum Apostolus: neque cum hac fimus una caro: neque hanc sumsit Christus in unitatem personae in utero

utero virginis: neque haec est crucifixa pro nobis: nec est caro naturalis similis nostrae. Ergo neque hanc edimus in Coena, neque cum hac incorporamur, sed cum illa naturali (ut Patres loquuntur) quae in coelo est.

22. Praeterea non unimur, nisi carni vivificae: & hic est finis cur ei uniamur, ut *scilicet* per eam vivificati aeternam vitam vivamus. Caro autem Christi non est vivifica per se, sed eatenus tantum, quatenus assumta fuit a Filio Dei in unitatem personae. Quis autem audeat dicere, a Filio Dei assumtam fuisse in unitatem personae talem carnem, quae cum nostra nullam habeat similitudinem? An non hoc fuerit negare λόγον factum esse verum hominem?

Non igitur parvi momenti est hoc primum caput, quod de unione cum Christo, quae est causa formalis spiritualis conjugii, explicandum suscepimus.

Quare diligenter retinenda est haec doctrina, nos totos cum toto Christo, atque adeo animam nostram cum anima Christi, & carnem nostram naturalem cum carne Christi naturali, eoque nostrae per omnia excepto peccato simili, in hoc sacro connubio conjungi & incorporari.

Quaestio secunda fuit, cum Christus divina simul & humana constet natura, Verbo & carne, cum quanam prius, ordine quodam naturae, conjungatur fidelis, cum humanane an cum divina?

Haec quaestio non sine causa proponitur: Sicut enim quidam (ut ex Cyrillo vidimus) negarunt nos cum humana Christi natura conjungi, tanquam palmites viti, sed tantum ejus deitati insitos nos esse contenderunt: sic etiam inter eos, qui fatentur cum tota persona Christi nos copulari, non defuerunt qui senserint, nos prius adglutinari divinae ejus naturae & postmodum humanae, seu prius Verbo, deinde carni: idque praeter alias causas, quod Verbum proprius nobis adsit, cum sit ubique, quam caro, quae in coelis est. Sed ratio haec nulla est. Si haec unio fieret physica ratione, aliquid haberet coloris: Sed cum fiat per Spiritum Sanctum & per fidem, ut post explicabimus, Spiritus autem tam nobis uniat quae procul distant, quam quae prope nos sunt, & Fides etiam tam apprehendat absentia quam praesentia: nihil impedit, quin tam possimus carni Christi, quam Verbo adglutinari. Videndum igitur potius est, quo ordine & Deus in Scripturis nobis proponat Christum, & fides nostra illum apprehendat. Ac proinde cuinam prius mens nostra, & per consequens caro nostra, adglutinetur, Verbone an carni?

THESIS.

I

Fidelis homo carni Christi prius adglutinatur, & deinde per carnem ipsi Verbo seu τῷ λόγῳ

2. Ratio a cognitione. Sicut se habet cognitio mentisque apprehensio, sic etiam voluntaria unitio atque adglutinatio. Voluntas enim sequitur cognitionem, & eatenus aliquid eligit, vult, amplectitur, seque illi unit, quatenus etiam illud cognitum ac perspectum habet. Nam semper in bonum, non ignotum sed cognitum, fertur. Atqui Christum in verbo Dei propositum prius & citius ut ho-

hominem apprehendimus & intelligimus, quam ut Deum. Ergo ordine quodam naturae & actionum mentis ac fidei, priori loco unimur carni Christi, & per eam ipsius deitati, eoque toti ejus personae.

Assumptionem facile probamus e Sacris Literis.

Deus ab initio mundi cum redemptorem promisit, promisit ac proposuit immediate ut semen mulieris, *id est*, ut hominem. *Gen.* 3. Semen ejus (id est mulieris) conteret caput tuum. Sic Abrahae: In semine tuo benedicentur Gentes.

Sic Moses dixit, Prophetam suscitabit de fratribus tuis. Sic filius ipse sese Patribus immediate visendum exhibebat sub forma humani corporis: & postea declarabat se esse Angelum Jehovae Jehovam: sic per Prophetas promissus fuit & propositus prius ut homo, ut semen Davidis, & deinde ut Jehova.

Jes. 7. primum, Ecce virgo concipiet & pariet filium: & secundo: Et vocabitur Immanuel. Sic Jer. 23. Ecce dies venient & suscitabo Davidi germen justum: & post subdit: & hoc est nomen quo vocabunt eum, Jehova justitia nostra.

Percurre Prophetas, ac videbis, eodem ordine semper Christum illis fuisse propositum & per Prophetas Ecclesiae. Evangelista Mattheus idem facit.

Primum enim Christum proponit ut hominem, filium Abrahae & filium Davidis: & tandem, citato vaticinio Jesaiae, eum vocat Immanuelem & interpretatur, dicendo: quod est Nobiscum Deus. Idem facit Marcus: idem & Lucas, diligenter totam Christi tanquam hominis Genealogiam describit: & postea a miraculis & aliis argumentis demonstrat eum etiam esse Deum.

4. Si objicias Johannem, qui a deitate incipit, dicendo, In principio erat, &c. & tandem subdit de humanitate dicendo, Et verbum caro factum est: in promptu est responsio, hoc ideo eum fecisse, quia alii Evangelistae magis in describenda ejus humana natura quam divina occupati fuerant. Nempe ut ostenderent eum esse illum Messiam, filium Davidis, qui promissus fuerat per Prophetas: ideo Johannes doctrina, quam alii Evangelistae de natura Christi humana a patribus suscepta abunde demonstrarant, contentus, uno verbo ejus incarnationem, demonstrata prius vera & aeterna deitate, complexus est.

Cum tamen de cognitione Christi agit, ostendit & se & alios eum prius novisse ut hominem, deinde ut Deum; sic enim ait, Et habitavit inter nos (scilicet ut homo) & vidimus gloriam ejus. Vidimus, *id est*, novimus, nempe e miraculis & aliis testimoniis & effectis.

Et in Epistola idem docet: Quod vidimus & audivimus & manus nostrae contrectaverunt de verbo vitae &c. Prius igitur noverunt eum hominem, deinde Deum.

Apostolus Rom. 1. eundem servat ordinem, atque hunc esse ordinem Evangelii, quod praedicabat, docet dicendo: Se segregatum fuisse in Evangelium Dei, quod ante promiserat de filio suo. Quali filio? Primum ait, facto ex semine Davidis secundum carnem (ecce Christum hominem) declarato autem filio Dei secundum Spiritum sanctificationis: ecce Christum Deum. Ac certum est Christum ideo factum hominem prius sese declarasse esse hominem: & deinde Filium Dei unigenitum, eoque Deum. Et sic Apostolus 1. *Tim.* 3. Deus

Deus (*inquit*) manifestatus est in carne, *id est*, prius se carnem esse, *id est*, verum hominem declaravit: deinde per carnem & in carne sese manifestavit esse Deum, & ideo subdit, Justificatus est in Spiritu.

5. Quare dubium non est, quin iste ordo in Christo promittendo, describendo, proponendo, patefaciendo, servatus fuerit in Sacris Literis a Patre, a Prophetis, a Christo ipso, ab Evangelistis & Apostolis: ut primo praecesserit cognitio humanae ipsius naturae, deinde secuta sit cognitio divinae. Si autem eo ordine cognoscimus Christum & mens nostra eum apprehendit, quo etiam cognoscendus in Sacris Literis proponitur: liquido apparet in mentem hominis fidelis Christum incurrere prius ut hominem, deinde ut Deum: ac proinde fide etiam nos ejus carni, quam priori loco apprehendimus, prius etiam uniri, & deinde per carnem ipsius deitati.

6. Nemo uniri potest Deo, nisi per mediatorem. Etsi vero Christus mediator est, non solum qua filius hominis est verusque homo, sed etiam qua filius Dei est, Deus verus de Deo vero: illud tamen, per quod Christus factus est mediator, & in quo praecipua mediatoris officia perfecit, & quo se mediatorem nostrum esse declaravit, est humana natura in unitatem suae personae assumta.

7. Ideo ab hac parte praecipua Apostolus dixit, Mediator Dei & hominum homo Christus Jesus. Quo in loco vocat κατ᾽ ἐξοχὴν Christum mediatorem, *hominem*, quia in humana carne perfecit officia mediatoris.

8. Sicut ergo non unimur Deo, nisi per mediatorem: sic neque deitati Christi, nisi per ejus carnem, in qua officio mediatoris perfunctus est.

9. Pertinent ad hoc argumentum ista dicta: Nemo venit ad Patrem nisi per me. Ego sum vita, &c. Item Philippo dicenti, Ostende nobis Patrem, respondit: Qui videt me, videt & Patrem. De se loquebatur, quatenus homo erat, humana, *videlicet* natura in unitatem divinae τοῦ λόγου personae assumta, in quo homine, tanquam in speculo, tota Patris natura & bonitas resplendebat.

10. Ergo in deitatem etiam Christi, quae una & eadem est cum deitate Patris, penetrare non possumus, nisi per ejus carnem.

11. Sicut nemo ascendit ad Deum Deoque unitur, nisi per mediatorem Christum, adeoque per ejus carnem, ut modo ostensum est: sic etiam Deus nil nobis communicat, nisi per eundem mediatorem, adeoque per ejus carnem. Et ratio est, quia etiam in ejus carne redemtio facta est, deletum peccatum, victus diabolus, superata mors, comparata vita aeterna.

12. Etsi igitur tota salus & vita pendet a deitatis plenitudine, quae est in Christo: interim tamen nobis non communicatur, nisi in carne & per carnem Christi. Ideo Christus, Nisi manducaveritis, *inquit*, carnem filii hominis, non habebitis vitam in vobis. Item, Qui edit carnem meam &c. in me manet, &c.

13. Deitas enim est ceu fons, unde fluunt omnia bona, vita & salus: sed caro atque humanitas est ceu canalis, per quem ad nos derivantur omnia haec bona omnesque gratiae.

14. Nisi quis igitur canalem hunc apprehendat eique uniatur, aquarum certe, quae e fonte profluunt, particeps fieri non potest.

15. Ad hoc argumentum pertinent ea, quae Apostolus *Rom.* 5 tradit dicendo,

cendo, Sicut per unum hominem peccatum &c. sic per unum hominem justitia (ut Apostolus loquitur) Dei: quia & illius & ab eo est, qui verus est Deus. Sed non nisi per hominem perque ejus carnem fidelibus communicatur. Sic illud 1. *Cor.* 15. Per hominem mors, & per hominem resurrectio mortuorum. Item illud, Caro mea vera est cibus. Item, Lavit nos in sanguine suo. Et alia iis similia.

17. Certe per carnem Adami corruptam propagatum est peccatum & mors: sic igitur etiam per carnem Christi sanctificatam, & aeternae deitati inseparabiliter in unitatem personae unitam, justitia & vita nobis communicatur.

18. Deus non solitus erat dare sua responsa, nec preces exaudire, nec suam gratiam communicare, nisi ex arca foederis & per arcam eamque visibilem, perque illud visibile propitiatorium. In arca vero latebant mysteria.

19. Christi caro arca est, in qua inhabitat omnis plenitudo deitatis corporaliter: per eam & ex ea nobis omnia coelestia bona exhibentur, communicantur.

20. Sicut ergo oportebat populum ad visibilem arcam accedere & inde gratias Dei exspectare: sic gratiam Dei nemo speret, nisi ad Christum accedat hominem visibilem, ejusque visibilem carnem edat, & sibi incorporet per fidem.

21. Quare luce meridiana clarius est, non posse hominem deitati Christi uniri, nisi ejus humanitati & carni adglutinetur. Est enim caro Christi organum deitatis, sed inseparabiliter in unitatem personae assumtum atque conjunctum.

22. Tota haec doctrina in Sacramentis, tanquam in lucidissimis speculis, relucet.

23. Duo sunt in Sacramento quolibet: visibile signum & invisibilis gratia: res terrena & coelestis: Qui fide accedit utrumque accipit.

24. Sed quo ordine? Quo etiam proponuntur a Deo: per signum rem signatam percipimus: & per rem terrenam rem coelestem: nam Deus etiam per unam offert alteram.

25. Ut ergo prius ordine quodam dispensationis divinae percipitur signum, & deinde in signo ac per signum res signata: sic carni Christi visibili prius uniaris oportet, ac per illam porro illius deitati, si particeps gratiae illius fieri velis. *Joh.* 6. Qui edit carnem, &c. Item, Nisi manducaveritis &c.

26. Hinc etiam refellitur delirium illud de carne invisibili.

Ut quis vitam habeat in se ipso, is edat carnem Christi, illam, *inquam*, carnem, quae in unitatem personae assumta fuit, necesse est. Nam nulla alia est vivifica: & haec etiam non alia ratione est vivifica, quam quia & quatenus in unitatem personae τοῦ λόγου assumta fuit. Atqui caro invisibilis &c. non esset verus homo, nobis per omnia similis &c. Ergo &c. Quare facessat a nobis haec conficta & invisibilis caro: & ne locum ei demus oportet: & verae ac visibili uniamur, per quam solam omnes coelestes thesauri, salus & vita nobis communicantur.

Usus hujus doctrinae exiguus non est. Est autem hic: Ut in exercitio fidei & pietatis oculos mentis defigamus immediate & inprimis in humanam carnem Jesu Christi, tanquam in velum, per quod in Sancta Sanctorum, ubi gloria Dei

Dei refulgebat, fiebat ingressus: & deinde ad contemplandam ejus deitatem ceu in Sanctuarium ipsum penetremus.

QUAESTIO III.

Qualis sit haec unio?

Quaestio haec pendet ex superioribus. Adversus vero duo hominum genera proposita est. Primum adversus eos, qui putant unionem hanc non esse veram & realem, sed tantum imaginariam, quod, *scilicet*, non fiat nisi quadam mentis apprehensione, sicut etiam reliquas res & substantias phantasia & mente per species intelligibiles comprehendimus & in mente habemus, non autem quod reipsa nobis unitae sint. Alterum genus hominum est, qui unionem hanc non alia ratione veram & realem esse concedunt, quam quia fiat participatione spiritualium donorum & gratiae Christi, absque communicatione substantiae carnis Christi: quemadmodum etiam fit unio nostri cum igne vel cum sole sola caloris participatione. Adversus utramque sententiam haec nostra esto ad propositam quaestionem thesis.

THESIS I.

Unio nostri cum Christo & Christi nobiscum essentialis ac substantialis est, vera atque realis.

2. Substantialis quidem, quia substantiae ipsae carnis Christi & carnis nostrae, personae Christi & personarum nostrarum, uniuntur: non autem quod fructus tantum e Christo a nobis percipiantur, cum percipi non possint sine perceptione substantiae ipsius Christi.

3. Veram autem & realem vocamus, quod non sola imaginatione, sed reipsa cum Christo uniamur: & uniti in unum corpus magis ac magis coalescamus: verum non physico sed spirituali & supernaturali modo, ut postea dicemus.

4. Totum hoc liquet primum a simili conjugii carnalis, quo utitur Apostolus: Erunt duo in carnem unam. Substantialis certe est unio viri & uxoris, quia personae duae uniuntur. Est autem vera & realis, quia in unam veram carnem uniuntur & semper sunt revera una caro: quomodo? ratione vinculi conjugalis, quo ex Dei ordinatione devincti sunt.

5. Ex quo simili illud quoque colligitur: licet caro Christi in coelo sit & nostra in terris: hac tamen locorum distantia veram ac realem nostrae cum illius carne conjunctionem minime impediri. Quemadmodum etiam licet vir sit in foro, uxor autem domi, hoc locorum intervallo non impeditur, quin semper sint uniti in unam carnem, adeoque una sint caro.

6. Secundo, clarius etiam hanc essentialem & veram realemque unionem explicat Apostolus alio quo utitur simili, in eodem cap. 5. & alibi saepius, simili, *scilicet*, capitis & membrorum. Christum ait esse caput Ecclesiae, nos ejus corpus ac membra. Unio certe membrorum cum capite & inter se substantialis est, vera ac realis.

7. Ex quo etiam intelligimus fructus passionis Christi, donaque & gratiam ejus percipi a nobis non posse sine reali participatione carnis ipsius Christi: nam neque membra motum, vitam, succum & alimentum capere possunt a capite avulsa.

8. Tertio, idem confirmatur simili fundamenti vivi & lapidum itidem vivorum fundamento superstructorum: qui propter realem & vere substantialem cum fundamento conjunctionem incrementum semper accipiunt, donec crescant in templum sanctum in Domino.

9. Quo spectat quod Christus quoque non semel vocavit se fundamentum, supra quod aedificabit Ecclesiam suam: Matth. 16.

10. Quarto, hanc idem Christus realem conjunctionem & incorporationem expressit simili vitis & palmitum. Ego sum vitis (inquit *Joh.* 15) & vos palmites. Sicut palmes non potest ferre fructum a semetipso, nisi manserit in vite: ita nec vos, nisi in me manseritis. Quid etiam hoc simili clarius, quam nos vere ac realiter Christo insitos esse?

11. Quo pertinent quae etiam Apostolus scribit ad Rom. 11. de olea & ramis illi insitis.

12. Eadem doctrina inde confirmatur, quod Christus hanc unionem expressit verbo manducandi carnem suam & bibendi sanguinem suum. *Joh.* 6. Qui manducat meam carnem, &c.

An non substantialiter & realiter unitur cibus & potus illi qui edit & bibit? Ita certe usque adeo, ut una fiat substantia ex cibo comesto & ex edente cibum: nec vitam adferre possunt cibus & potus, nisi realiter comedenti & bibenti uniantur sua substantia.

13. Hinc Cyrillus & alii Patres dixerunt Christum corporaliter & naturaliter in nobis inhabitare. Quae dicta quomodo sint intelligenda, paulo ante declaravimus: nempe non de modo, quo Christus in nobis habitat, quasi modo naturali & carnali in nobis sit, sed de re cui nos unimur. Unimur enim vero & naturali corpori Christi & quidem unione vera & reali: sed per Spiritum & fidem.

14. Voluerunt enim concludere Patres, nos fideles non solum consensu voluntatis & habitudine quadam (ut haeretici dicebant) uniri deitati Christi, sed etiam naturali ejus carni & corpori: & inde carnem nostram nutriri ad vitam aeternam.

15. Dicebant enim haeretici carnem Christi post resurrectionem non esse amplius necessariam, peracto jam in ea redemtionis mysterio: ac proinde cum nulli amplius sit nobis usui, ideo eam vel evanuisse, vel in deitatem mutatam esse.

16. Contra Cyrillus & alii Patres perpetuum esse illius usum demonstrarunt ex verbis Christi, inprimis *Johan* 6. Nisi manducaveritis carnem filii hominis, non habebitis vitam in vobis.

17. Christum igitur retinere suam naturalem carnem ejusque vim ac ceu imaginem imprimere carni nostrae, communicata nobis ejus sanctitate, qua fiamus caro de carne ejus & ossa ex ossibus ejus: nostram item suae per Spiritum Sanctum inserere & ita nostram vivificare per suam: nihil item nobis ad

ad salutem communicare a Patre, nisi per carnem Christi nobis vere & realiter communicatam; idque maxime ex mysterio Coenae Dominicae.

18. Sicut enim realiter & vere panis unitur nobis illum edentibus: sic etiam vere & reipsa nobis uniri carnem Christi illam manducantibus.

19. In modo tamen magnum est discrimen, quia cibus corporalis & ore corporali editur, & corporali ratione nobis unitur: sed spiritualem, *id est*, veram carnem Christi spiritualiter & edimus & nobis incorporamus, nosque illi adglutinamur, per fidem *scilicet* & per Spiritum Sanctum. Sic Patres docuerunt.

20. Ex iis tum sacrarum literarum locis atque similibus, tum Patrum testimoniis. liquere arbitror unionem nostri cum Christo & essentialem ac substantialem, & veram atque realem esse, ita ut vere fiamus concorpores ipsius: quia duo sunt in carnem unam, Christus sponsus & Ecclesia sponsa.

21. Quo etiam ex loco denuo refellitur commentum de invisibili & impalpabili carne Christi. Non enim Ecclesia fit unum cum hac carne, sed cum illa naturali, quae in coelo est. Vir adhaerebit uxori suae, & erunt duo in carnem unam, id est, Christus sua illa naturali carne adglutinatur Ecclesiae & singulorum fidelium carni, & ita e duobus fit una caro vi hujus conjugii. Non potest igitur caro sponsae sua substantia dissimilis esse carni sponsi sui, si sunt una caro.

22. At qualis similitudo esse potest inter carnem nostram visibilem & inter illam imaginariam carnem invisibilem?

Ergo ex eo etiam, quod unio nostri cum Christo est substantialis & realis, evincitur unionem nobis nullam esse, nec esse posse cum hac carne invisibili, sed tantum cum illa, quae nostrae similis natura & substantia, nostram quoque sibi similem fecit sanctitate & justitia.

Atque haec de quaestione tertia: sequitur quarta & ultima de modo, quo fit haec unio.

Quia haec unio fit ad praedicationem Evangelii, in Baptismate & in Coena Domini: ideo varie etiam ad quaestionem hanc responsum est. Omnes ad praedicationem Evangelii fieri per solam fidem, fidem, *inquam*, efficacem confitentur: neque etiam de modo, quo fit in Baptismate, multum disputatur: sed de modo, quo unimur carni Christi & caro Christi nobis in Coena, quanta sit altercatio inter eos, qui Christum profitentur, nemo est qui nesciat.

Pontificii volunt praeter fidem uniri etiam corporali & vere physico modo: quia ajunt, substantiam panis. mutari in substantiam corporis Christi, & ita, sicut accidentia panis & vini percipiuntur ore & trajiciuntur in ventriculum, sic etiam una cum illis percipi ore corporis ipsam veram corporis Christi substantiam.

Qui Lutherum sequuntur, eodem etiam modo percipi docent: quanquam enim non concedant μετουσίαν, defendunt tamen συνουσίαν. Itaque non possunt aliter docere, quam ore etiam corporis percipi: ac proinde hanc unionem corporaliter, *id est*, corporali modo fieri, id quod confirmare etiam nituntur, praeter alia argumenta, quibusdam Patrum dictis, sed contortis ac perperam intellectis: ut illo dicto Cyrilli in Johannem, de quo supra: quem secuti sunt & alii Patres: Christum habitare suo corpore in nobis, naturaliter, corpora-

poraliter, participatione naturali. Imo Ubiquitarii inde suam etiam Ubiquitatem probare conantur: Sed quam turpiter abutantur iis dictis inde liquet:

Primum, quia aperte & constanter docent Patres omnes, Christum secundum carnem in nobis non habitare, sed secundum suam deitatem: *id est*, non praesentia carnali, sed praesentia suae deitatis. Item, Per id, quod homo est, in coelo tantum esse; per id autem, quod Deus est, nobiscum esse in terris usque ad consummationem seculi. Et semper absentiae corporis Christi opponunt praesentiam Spiritus ipsius ac deitatis. Ista obviam occurrunt Patres legenti. Nunquam igitur intellexerunt carnem Christi hîc in terris naturaliter & corporaliter, *id est*, naturali & corporali modo, nobis uniri.

Deinde, loca Scripturae, quibus Patres illi utuntur ad suam locutionem de naturali unione cum Christo confirmandam, aperte docent, quo sensu Patres sic loquuti sunt. Loca sunt *Joh.* 6. Qui manducaverit meam carnem, &c. Ibi autem expresse Christus de modo per fidem egit, & carnalem manducationem damnavit.

Locus etiam est Joh. 15. Ego sum vitis &c. ibi itidem de modo per fidem.

Locus etiam 1. Cor. 10 de κοινωνίᾳ. Atque ibi docet Apostolus, eandem κοινωνίαν nos habere cum toto corpore Ecclesiae, quam etiam cum capite Christo. Certum autem est, nos non esse inter nos corporali modo unitos.

Tertio idem liquet: quia tam in Baptismate quam in Coena docent Patres nobis uniri Christum, eique nos incorporari.

Liquet autem ibi non fieri hanc unionem modo non corporali.

Denique ab illis, adversus quos sic scripserunt, idem liquido constat. Scribebant non adversus eos, qui sola fide Christum apprehendi & percipi docerent, sed adversus Eutychianos, qui carnem Christi post resurrectionem aut evanuisse aut a deitate absorptam fuisse contendebant, quod nulli jam illa nobis esset usui: eoque nos cum sola ejus deitate conjungi, & ea sola illum in nobis habitare dicebant. Contra Patres docuerunt Christum in nobis habitare, sed nexu Spiritus & fidei: caeteroqui totus Christus inhabitat. Eph. 3.

Quod igitur dixerint Christum in nobis naturaliter & corporaliter habitare: illud non ad modum quo, sed ad rem quae percipitur, & qua Christus in nobis habitat, referatur oportet: suo, *scilicet*, naturali & vero corpore.

Ad quaestionem igitur nostra haec esto θέσις.

Unio, qua nos nostra carne & anima cum carne Christi, adeoque cum Christo in unam carnem unimur & conglutinamur, fit per Spiritum Sanctum & fidem.

2. Ut hoc recte intelligatur revocandum est in memoriam, quod supra diximus de causa conjugii efficiente: diximus enim contrahi proprie ex consensu utriusque partis: conjugium autem diximus esse ipsam maris & foeminae conjunctionem, qua duo fiunt in unam carnem seu una caro. Christus suum consensum nobis efficaciter patefacit suum Spiritum in corda nostra infundendo. Per hunc enim efficit ut sentiamus eum revera velle, idque ex Patris etiam voluntate, nostrum esse sponsum, eoque caput & σωτῆρα nostrum.

3. Nos verò per fidem, in nobis a Spiritu Sancto excitatam, vicissim in hoc Christi conjugium consentimus.

4.

4. Ac sicut ille per Spiritus sui communicationem sese nobis unit, sic nos per fidem illi adglutinamur. Hoc igitur est, quod dixi, unionem hanc fieri per Spiritum (respectu Christi) & per fidem (respectu nostri).

5. De Spiritu ait Joan. in Epistola 1. cap. 4. Per hoc scimus Christum in nobis esse, ex Spiritu quem dedit nobis. Ergo per Spiritum suum Christus sese nobis adglutinat & in corda nostra insinuat: perque eundem Spiritum manifestaque Spiritus effecta nos cognoscimus illum in nobis esse & nos in sui κοινωνίαν assumsisse. Et *Rom.* 8. Qui non habet Spiritum Christi, hic non est ejus. Fimus igitur Christi, nempe sponsi, membra & caro de carne ejus, per Spiritum, quo sese nobis & nos sibi incorporat.

6. De fide ait Apostolus *Ephes.* 3. Christum habitare in cordibus nostris per fidem: Ergo etiam per fidem a nobis recipitur in corda nostra nosque illi unimur. Et *Joh.* 6. Qui edit carnem meam & bibit sanguinem meum, in me manet & ego in illo. Editur autem & bibitur per fidem, sicut ibidem explicat Christus, dicendo: Qui credit in me, non sitiet in aeternum. Christo igitur unimur per fidem.

7. Quare sive in verbo proponatur, sive in Baptismate, sive in Coena: Christus semper per Spiritum suum perque nostram fidem nobis unitur & nos ipsi.

8. De Baptismate sic ait Apostolus: Etenim per unum Spiritum, ἐν ἑνὶ πνεύματι, omnes nos in unum corpus baptizati sumus. 1. *Cor.* 12. Ergo Christo incorporamur in Baptismate, fimusque ejus membra vi Spiritus Sancti.

9. De Coena subdit ibidem, Et omnes (subaudi ἀπὸ τοῦ κοινοῦ, ἐν ἑνὶ πνεύματι) una potatione potati sumus in unum Spiritum. Quid sibi vult, in unum Spiritum? Id est, ut omnes, sicut unum corpus sumus in Christo, sic etiam uno eodemque Spiritu vivamus: Ergo vi ejusdem Spiritus Sancti bibimus in Coena sanguinem Christi, & cum illo in unum coalescimus, & Spiritu ipsius vivificamur.

10. Sicut enim una & eadem anima omnia membra corporis uniuntur cum capite & vivificantur: sic omnes fideles, licet in terra sint & caput in coelo, cum illo tamen reapse per unum & eundem Spiritum uniuntur, unitique manent & vivunt.

11. Neque aliter docuerunt Patres omnes: Augustinus tractatu 50. in *Joh. col.* 368. a. Audiant (*Judaei*) & teneant Christum, qui sedet ad dextram Patris in coelo. Respondent: Quem tenebo? Absentem? Quomodo in coelum manum mittam, ut ibi sedentem teneam? Fidem mitte & tenuisti. Parentes tui tenuerunt carne, tu tene corde: quoniam Christus absens etiam praesens est. Nisi praesens esset, a nobis teneri non posset. Explicat autem multis Augustinus Christum absentem esse carne, praesentem autem majestate.

12. Cum igitur luce meridiana clarius sit Spiritu & fide recipi a nobis Christum, carnem ejus & sanguinem, adeoque nos totos toti Christo adglutinari & unam fieri carnem, ita ut neque adversarii nostri hanc unionis rationem oppugnare audeant: nos hac contenti aliam non quaeremus: quia neque in Scripturis alia traditur, & haec unica ad salutem, sicut necessaria est, sic etiam omnium consensu satis est.

13. Ex quibus omnibus liquet unionem hanc, si res, quae uniuntur, & veritas

unionis spectentur, essentialem ac realem esse: Si verò modum quo fit consideremus, esse spiritualem.

14. Hinc etiam refellitur dogma illud impium de carne invisibili ubique praesente. In hunc enim finem hanc finxerunt carnem, ut possit a nobis ore etiam corporis percipi: sed hoc est supervacaneum. Cum enim illa vera & naturalis caro, quae in coelo est, verè a nobis percipiatur nobisque uniatur per Spiritum Christi, per fidem nostram, ut omnes fatentur: quorsum haec altera invisibilis & ubique praesens? Nempe ut ore etiam, *scilicet*, corporis percipi queat.

15. Imo verò ne ore quidem corporis percipi tota poterit ab uno fideli. Neque enim fidelis unus ubique est, ut totam hanc carnem ubique est, ut totam hanc carnem ubique praesentem devorare posset: Sed particula una ab uno & alia ab alio accipietur.

16. Eodem argumento refellitur opinio de transsubstantiatione & de συνουσίᾳ. Cum enim accipiatur Spiritu & fide, idque ad salutem, non solum in verbo Evangelii, sed etiam in Baptismate & in Coena: supervacanea est & μετουσία & συνουσία. Cur igitur turbant Ecclesias, & digladiantur de re ad salutem non necessaria?

Ac de tertio capite satis: in quo de causa formali hujus spiritualis conjugii hae quatuor quaestiones explicatae sunt: 1. Quaenam res uniantur. Secunda, cuinam rei prius uniamur, deitati Christi & per illam carni, an verò potius carni primum & per illam deitati. Tertia, qualis sit haec unio. Quarta, quomodo fiat.

IV.

CAUSAE FINALES SPIRITUALIS CONJUGII.

1. Tres esse diximus fines instituti carnalis matrimonii: *Unum*, ne homo solus esset, sed haberet adjutorium sibi simile & in felicem duceret vitam: *Alterum*, ut inde suscipere posset sobolem. *Tertium*, ut post peccatum vitari possint omnes vagae libidines & fornicationes.

2. Hosce omnes fines contemplari licet in conjugio spirituali inter Christum & Ecclesiam. Primus finis fuit, quia non fuit bonum neque Christo, ut esset solus sine Ecclesia, neque Ecclesiae, ut esset sola sine Christo: quemadmodum neque capiti expedit, ut sit sine corpore, neque corpori, ut sit absque capite.

3. Fuerat autem jam inde ab aeterno destinatus ad hoc Christus, ut esset caput Ecclesiae & illam regeret, vivificaret, servaret, cumque illa viveret in aeterna felicitate: & vicissim Ecclesia praedestinata fuit, ut esset corpus Christi, ab ipso regeretur, vivificaretur, aeternaque vita donaretur.

4. Ergo tum propter bonum Christi, quia hoc ad ejus gloriam pertinebat, ne solus iste homo viveret in coelo, tum propter bonum Ecclesiae, quia hoc erat illi ad aeternam salutem necessarium: Deus Pater creavit Ecclesiam e latere Christi in cruce dormientis, id est, mortui, eo sensu, quem initio hujus

Trac-

Tractationis explicavi, eamque dedit in matrimonium Filio: ut simul felicissimi in coelesti gloria aeterna viverent.

5. Pertinent huc quae Apostolus scribit 1. ad Corinth. 15. de resurrectione Christi & totius Ecclesiae per Christum, ad aeternam felicitatem. Postquam enim subjecta fuerint Christo omnia, tum subjicietur & ipse cum toto suo corpore, id est, cum Ecclesia sponsa sua, Patri, ut sit Deus omnia in omnibus.

6. Gloria igitur Christi & salus Ecclesiae fuit primus finis hujus conjugii. Et idcirco eam diligit & quotidie purgat & lavat, ut tandem eam sibi sistat gloriosam non habentem maculam aut rugam aut aliquid hujusmodi, sed tota sit sancta & inculpata: & ita ambo feliciter vivant in coelo.

7. Alter finis fuit & est, ut ex semine Christi sponsi, id est ex verbo & Spiritu, per ministerium atque adjutorium sponsae, numerosissima & fortissima proles generaretur, quae haeres esset regni coelorum.

8. Ii sunt omnes fideles, quatenus in utero Ecclesiae & per ejus ministerium ex semine spirituali & incorruptibili concipiuntur: & per lavacrum regenerationis & per renovationem Spiritus Sancti nascuntur filii Dei.

9. Neque enim hoc absurdum est, quod iidem fideles diversis respectibus & sponsa Christi vocentur & filii Dei, eoque & proles Christi atque Ecclesiae.

10. Quatenus quisque ex Spiritu Christi in Ecclesia & per ejus ministerium regeneratur, nasciturque filius Dei, eatenus proles est Christi & Ecclesiae. Quatenus verò per fidem adglutinatur Christo ad excipiendum illius spirituale semen, verbum ac Spiritum, & ad proferendos fructus bonorum operum, quibus alios Christo lucrifaciat, eatenus sponsa est.

11. Apostoli omnes & doctores ac pastores primum proles fuerunt Ecclesiae, quia per ministerium Ecclesiae nati sunt ex Deo, & filii Dei effecti: quatenus vero per ipsorum ministerium alii itidem renati sunt ex aqua & Spiritu Sancto, eatenus sponsae fuerunt Christi, & ceu matres aliorum fidelium: & ita se vocat ceu matrem Galatarum Apostolus, dicendo, Filioli, quos iterum parturio &c. & ad Cor. In Christo ego vos genui.

12. Ita tota Ecclesia, quatenus singuli fideles in ea & per ejus ministerium regenerantur, aluntur, reguntur, appellari solet mater nostra: unde & Apostolus ad Gal. de sublimi Hierosolyma, i. e. de Ecclesia, quae ceu de coelo venit, loquens ait, Quae est omnium nostrum mater, &c. Sic enim locum illum de Ecclesia non pauci interpretantur.

13. Liquet igitur absurdum non esse eosdem fideles, propter diversos respectus, & sponsam Christi appellari & prolem.

14. Quare etiam constat alterum finem hujus spiritualis conjugii esse, ut per ministerium sponsae spiritualis proles quotidie generetur in Ecclesia.

15. Quanquam est etiam aliud prolis genus, ad quod conjugium hoc institutum est: nempe proles bonorum operum. Ideo enim tanquam sponsa quisque adglutinatur Christo per fidem, & Christus cuique nostrum per suum Spiritum tanquam sponsus: ut excipientes spirituale illius semen prolem spiritualem edamus in lucem, hoc est, fructus Spiritus & bonorum operum proferamus.

16. Non enim vult verbum & gratiam suam in nobis Christus otiari, sed incremen-

mentum capere, & per bona opera foras ad gloriam Dei & aedificationem Ecclesiae proferri.

17. Quo pertinet & illud 2. *Cor.* 6. Obsecramus, ne gratiam Dei in vanum (seu frustra) receperitis: Nulla in re praebentes offensionem.

18. Tertius finis fuit & est, ut omnis fornicatio vitetur.

19. Est autem duplex fornicatio: una specialis, altera generalis. *Specialis* est omnis idololatria, fornicatio *scilicet* cum idolis & cum diabolis, de qua passim apud Prophetas.

20. *Generalis* est quodvis peccatum, quo deficimus a Deo & cum creaturis scortamur. De quo genere fornicationis Psal. 73. Perdidisti omnes, qui fornicantur abs te. Qui enim non persistunt in obedientia mandatorum Dei, sed depereunt creaturas, & Deo neglecto cor suum in illis collocant, illi dicuntur fornicari a Deo.

21. Utroque autem genere fornicationis peccant quicunque per veram fidem Christo incorporati non sunt.

22. Utrumque vero tollitur vera cum Christo sponso unione & sancta conglutinatione. Qui enim manet in Christo Spiritum semper ab illo haurit, quo retinetur ne serviat diabolo, peccato, & concupiscentiis ejus: sed ut solum Deum colat, ejusque voluntati faciendae studeat.

23. Quo pertinet illud Christi ad discipulos Joh. 15. Manete in me & ego in vobis. Sicut palmes non potest ferre fructum a semetipso, nisi manserit in vite: ita nec vos, nisi in me manseritis. Ego sum vitis & vos palmites: qui manet in me & in quo ego maneo, is fert fructum multum, quoniam sine me nihil potestis facere.

24. Ex hoc loco manifeste apparet unionem hanc cum Christo, seu conjugium hoc spirituale, in hunc finem institutum fuisse, ut omne fornicationis genus vitare & contrá fidem & obedientiam Deo servare possemus.

25. Ac certum est ita sese gerere omnes, qui verè hoc sancti conjugii vinculo Christo incorporati sunt. Reguntur enim a Spiritu Christi, ne ambulent secundum carnem, sed secundum Spiritum.

26. Quid igitur de illis sentiendum est, qui in omni fornicationis genere perpetuò vivunt? Sponsa Christi certe non sunt, eoque neque Ecclesia nec vera Ecclesiae membra.

Atque haec de causis finalibus.

V.

Sequitur quinto loco de officiis viri & uxoris, quibus tum matrimonium ipsum integrum illibatumque conservatur, tum conjuges feliciter inter se vivunt.

1. Diximus horum officiorum quaedam esse utriusque partis communia, quaedam cujusque propria.

2. Communia esse mutuam fidem mutuumque amorem.

3. Propria viri ad hoc caput contrahi, ut tanquam caput sapienter imperet, juste dominetur, uxorem regat, foveat, nutriat, tueatur, servet tanquam propriam carnem, multaque ei, tanquam infirmiori vasculo, condonet.

4.

4. Propria vero uxoris esse ut virum tanquam suum caput, dominum & servatorem metuat, revereatur, observet, subjecta ei maneat, ab eo ejusque ore pendeat, sinat se regi, ei non responset, sed simpliciter obediat in Domino, modesta, lenis & quieta: sic enim docet Apostolus, tum cap. 5. ad Ephes. tum 1. Tim. 2. tum etiam Petr. epist. 1. c. 3.

5. Ad Christum quod attinet, quid in eo desiderari potest officii, quod non praestiterit semperque praestet? Dilexit, inquit Apost. Ephes. 5. Ecclesiam, & seipsum tradidit pro ea, ut eam sanctificaret, mundans eam lavacro aquae in verbo, ut sisteret eam sibi gloriosam, non habentem maculam aut rugam, nec aliquid hujusmodi, sed ut sit sancta & immaculata Item, Is est, qui salutem dat corpori. Item, Nutrit & fovet eam, ut carnem suam. Fidem certe servat toti Ecclesiae & singulis veris ejus membris, etiamsi non omnes, qui in ea sunt, servent. Nunquid infidelitas eorum fidem Dei evacuavit? Rom. 3. Item, Si increduli sumus, ille tamen fidelis manet, negare seipsum non potest. 2. Timoth. 2. Quot & quanta nobis tanquam infirmioribus vasculis condonet, quis non quotidie cernat & sentiat? Facit igitur Christus semper officium boni & optimi mariti.

6. Caeterum de officiis Ecclesiae erga Christum, quaenam illa sint & an ea faciat, ut hoc recte intelligatur, priori loco distinguenda est Ecclesia, quae est sponsa Christi, ab adultera. Apostolus enim de priori tantum loquitur, non de altera, quia ait eam esse subjectam Christo.

7. A nomine igitur Ecclesiae excludimus reprobos omnes & hypocritas, qui sunt quidem in Ecclesia, sed de Ecclesia non sunt: qualiter & feces in corpore humano sunt, sed non sunt de corpore.

8. Vera itaque Ecclesia sponsa Christi est, duntaxat coetus electorum, in quo tamen hypocritae etiam multi reperiuntur.

9. Deinde hic coetus distinguendus est in eos, qui sunt in coelo, & in eos, qui sunt in terra: quorum illi vocari solent Ecclesia triumphans, isti Ecclesia militans: & illi sunt frumentum purum ab omnibus paleis repurgatum: isti autem frumentum sunt cum multis paleis mixtum.

10. Nomine autem palearum intelligo non solum hypocritas, qui inter electos mixti sunt, sed etiam reliquias peccatorum, a quibus nemo in hac carne vivens prorsus liberatus & repurgatus est.

11. Tertio igitur loco Ecclesia electorum in terris degens distinguenda est in carnem & in Spiritum. Nam quisque fidelis constat carne & Spiritu.

Haec est distinctio sponsae in suas partes. Et quidem una tantum & unum corpus: sed variis constat partibus & membris.

12. Quae itaque in coelo est pars, ea certe omnia facit officia, quae ibi fieri possunt & debent. Est enim vere & perfecte Christo capiti & sponso subjecta, ac proinde sunt ibi vere & perfecte duo in unam carnem, in summa pace & perfectissimo amore viventes: ô felices nuptias!

13. Obsecro autem, ut hîc etiam observentur, quae sit illa doctrina, qua nonnulli dicunt carnem Christi invisibilem esse & ubique praesentem. Ecclesia ac sponsa Christi, quae certe una tantum est, ea parte, qua in terris est, eidem sponso Christo eidemque corpori sponsi subjecta est, eoque fruitur: cui

cui etiam ea parte, qua in coelis, subjecta est, & quo fruitur etiam in coelo. Est enim unus tantum sponsus & una ejus caro, sicut etiam Ecclesia una.

Atqui Ecclesia, quatenus in coelo est, Christum habet, quoad ejus carnem & corpus, finitum, visibile, circumscriptum: & tali Christo talique corpori Christi subjecta est, & ideo etiam tali fruitur & non alio: id quod etiam adversarii concedunt, qui ajunt corpus Christi in coelo esse circumscriptive, seu Christum in coelo esse corpore visibili & circumscripto ejusdem symmetriae, cujus & nostra sunt corpora.

Adde, quod cùm innumerabiles sint Spiritus beatorum, eodem tamen & unico corpore Christi fruuntur, & quidem singuli toto. Ergo eadem Ecclesia, qua parte in terris est, eidem corpori Christi visibili & circumscripto subjecta est, eodemque fruitur, & non alio.

14. Certe negare non possunt, quin Ecclesia in terris fruatur per fidem corpore Christi circumscripto. Hoc autem nobis ad salutem in hoc mundo sufficere nemo est qui nesciat.

15. Diximus Ecclesiam, quatenus in coelo est, omnia quae fieri possunt officia, perfectissime ibi praestare: Sed quatenus in terris est, quomodo se gerit?

16. Apostolus de hac re quoque ait eam subjectam esse Christo: intellige, quoad Spiritum: sed quoad carnem saepe discedit a subjectione & obedientia. Mente quidem servio legi Dei (dicebat Apostolus) carne autem legi peccati. Rom. 7.

17. Verum quia praecipua sui parte subjecta manet, & quod reluctetur secundum carnem, illud sponsus condonat uxori, tanquam infirmiori vasculo, ut Petrus de omni bono marito erga uxorem suam loquitur: ideo vere tota dicitur esse subjecta, licet imperfecte, perfectissime in coelo subjicienda.

18. Ac proinde concludimus connubium hoc, de quo Apostolus loquitur, perpetuum esse, nunquam dissolvendum.

19. Non enim dissolvi potest matrimonium, nisi propter fornicationem seu propter adulterium. Ecclesia autem haec non fornicatur Spiritu, & dat etiam operam, ut ne carne quidem fornicetur: dicit enim cum Apostolis, Ad quem ibimus? verba aeternae vitae habes, ô Domine Jesu.

20. Deficit tamen saepenumero secundum carnem: sicut & Petrus, cùm Christum negavit: sed quia non defecit fides in corde, ideo excitata in eo resipiscentia veniam consecutus est a Christo sponso suo: cujus officium est diligere sponsam suam eamque sanctificare, mundando eam ab omni labe peccati.

21. Caeterum, quo clarius nos, qui adhuc versamur in carne, intelligamus, quid sit nostri officii erga sponsum nostrum, & illud facere studeamus: notandum est nomine subjectionis haec praecipua officia significari.

22. Si uxoris officium est curare, ut sit subjecta viro suo, sicut & corpus capiti: *primum* igitur fidem debemus sponso, qua credamus vere Christum nostrum esse sponsum, & nos ab ipso amari, ac quicquid promisit illud praestiturum. Nemo enim libenter manet subjectus ei, cui diffidit & a quo non credit se amari.

23.

23. *Deinde* debemus dilectionem summa cum reverentia conjunctam. Non enim ferre potest subjectionem qui non amat. Qui autem amat, is non gravatur subjici ei quem amat & reveretur.

24. *Tertio* debemus fidem conjugalem, qua *scilicet* sponsa obstrinxit se unico suo marito. Hoc enim in primis significatur nomine subjectionis. Non enim se subjicit alteri quam suo marito.

25. Sequitur autem hoc officium ex primo & secundo: Mulier enim, quae & persuasa est se amari a marito, & quae vicissim amat & observat maritum, ea facile servabit fidem datam, & subjecta manebit.

26 *Quarto* debemus in omnibus, quae sponsus mandat, obedientiam: audire ejus vocem eamque servare. Nam hoc quoque postulat vera subjectio.

27. Hoc explicat Petrus 1. 3. *Primum* ait, Mulieres subditae sint viris suis, &c. *Deinde* paulo post exemplo Sarae explicat in quo potissimum consistat haec subjectio, nempe in obedientia & reverentia erga maritum, dicendo: Sicut Sara obedivit Abrahae dominum eum vocans, &c.

28. Hinc sequitur humilitas animi, qua bona uxor non responsat viro, nec in illum cupit dominari aut illi temperare: sed potius sinit se ab eo regi & sibi imperari: & imperata libenter exsequitur.

29. Hoc etiam includit in se vera subjectio. Itaque Apostolus hoc explicans in 1. ad Tim. 2. ait, Mulier cum silentio discat in omni subjectione: Mulieri enim docere non permitto, neque autoritatem usurpare in viros, sed esse in silentio.

30. Hinc sequitur *sextum*, nempe perpetua poenitentia. Ut, si quid per infirmitatem aut ex ignorantia peccamus, statim cum summa animi demissione recurramus ad sponsum nostrum & deprecemur culpam. Hoc enim requirit vera subjectio, quae ex vera fide atque dilectione & ex animo Spirituque humili proficiscitur.

31. Si haec diligenter praestare studuerimus, sanctum hoc connubium nostra quoque ex parte cohonestabimus, & ut perpetuum sit efficiemus, quamque suave sit esse cum Christo reipsa experiemur.

32. Adde & hoc ad extremum, officium nostrum esse ut semen verbi Dei donaque Spiritus Sancti ne sinamus in nobis otiari: sed curemus pro sua quisque virili, ut quotidie novi Christo filii generentur per verbum & Spiritum.

CONSEQUENTIA CONNUBIUM SPIRITUALE.

Thesis I.

Quis verò ingentia bona, veras voluptates divinasque felicitates, quae spirituale hoc conjugium consequuntur, aut mente concipere aut verbis explicare queat?

2. Sunt enim ea & permulta propeque infinita, & revera maxima atque amplissima.

3. Nam sponsus Christus rerum omnium, quae in coelo & in terra sunt, autor & dominus est.

4.

4. Quaecunque autem sunt sponsi, ea omnia jure conjugii communia fiunt sponsae, atque inprimis domus cum tota supellectile & servitute, mensa & lectus: eos enim simul cohabitare & vitam traducere somno & quieti ita operam dare oportet, ut sine his perfectum conjugium esse non possit.

5. Si enim juxta proverbium, πάντα τὰ τῶν φίλων κοινὰ (usu nimirum, salva cujusque proprietate) quanto magis conjugatorum: quando ipsorum quoque corpora ita sunt communia, ut non amplius duo sed unum corpus unaque caro & sint & vere esse dicantur?

6. Sunt autem omnia sponsi bona duorum generum: alia ad vitam futuri seculi, alia ad praesentis spectantia.

7. Rursus, quae sunt praesentis seculi alia ad spiritualem alia ad corporalem seu ad humanam vitam pertinent.

8. Quae ad corporalem pertinent, ea sunt coeli elementa: omnia ex elementis composita, & quae ex iis colligi conficique possunt.

9. Ut vero prius de hoc altero secundi generis bonorum ordine dicam, omnia multis sane modis nostra sunt & vere nostra esse dicuntur.

10. Primum quidem, quia jus & dominium, quod Adamo ante peccatum in reliquas creaturas datum fuerat, illud nobis, qui facti sumus una caro cum Christo, in ipso Christo sponso & capite nostro restitutum est. Data est mihi, inquit, omnis potestas in coelo & in terra.

11. Deinde, quia in eodem Christo non solum jus in haec omnia, verum etiam perfectam & plenam rerum omnium possessionem habemus.

12. Christus enim sedet ad dexteram Patris; nos autem, inquit Apostolus, consedere fecit cum illo in coelestibus. Eph. 2. Ergo, si sponsus hujus inferioris quoque mundi dominus est, ipsa etiam sponsa ejusdem domina sit necesse est.

13. Item quia ad nostras (ut ita loquar) singulorum personas quod attinet, licet haec omnia simul bona actu & reipsa non semper singula possideamus, jus tamen, cum opus fuerit possidendi, habemus: ita ut quibuscunque rebus utimur, fruimur, illis semper bona conscientia tanquam revera nostris utamur, fruamur, & uti ac frui possimus: quod de impiis divitibus ac potentissimis etiam principibus vere dici non potest. Et huc spectat illud Apostoli, Omnia munda mundis: Infidelibus autem nihil est mundum, sed inquinata est illorum mens & conscientia. Tit. 1.

14. Nam quod non omnibus simul & semper actu fruamur, hoc ideo fit, quia non opus esse nobis neque expedire optime novit sapientissimus noster sponsus Dominus Jesus, qui suam carnem neque odit neque negligit, sed nutrit & fovet eam.

15 Adde, quia non solum jus bona haec possidendi in hoc seculo habemus, verum etiam quia reipsa possidemus cum volumus. Volumus autem, si vere sumus sponsa Christi, a nobis possideri quaecunque vult dilectissimus sponsus, & praeterea nihil.

16. Novimus vero sponsum ea tantummodo possideri a nobis velle, quae ipse nobis possidenda praebet, ea autem praebere cognoscitur, quae nobis sine dolo sine malis artibus obveniunt.

17. Quis autem dives, potens, beatus verius esse dici potest, quam qui quod vult potest & habet quod vult, suaque sorte contentus est? Huc spectat illud quod dixit Apostolus: Est autem quaestus magnus pietas cum animo sua sorte contento.

18. Denique, quoniam utut res hujus mundi immediate in nobis ipsis non possideamus: possidemus tamen in aliis, quatenus omnia nobis ex imperio sponsi ad vitam & salutem nostram promovendam serviunt.

19. Quo illud Apostoli non incongrue accommodari potest, Omnia vestra sunt, vos autem Christi, Christus autem Dei. 1. Cor. 3. Omnia enim ad vitam salutemque nostram non solum spiritualem & aeternam, verum etiam hujus praesentis seculi (prout cuique est statutum vivere) destinata sunt. Annon vero haec omnia in carnali connubio contemplari licet: ubi praesertim humilis sponsa & sui mariti observantissima est, & vicissim a praepotenti marito diligitur? Ac de his bonis satis.

De iis porro bonis, quae ad spiritualem vitam pertinent, horum communicatio ita se habet.

I.

In uno Christo mediatore, atque ideo in ipsius carne, collocavit atque firmavit omnia bona Deus, ita ut nisi e Christo, tanquam ex fonte, communicentur, eorum particeps fieri nemo potest.

2. Huc spectant omnes ferme scripturae, quae in solo Christo quaerendam esse salutem praedicant. 1 *Johannis* 5. Vitam nobis dedit Deus, & haec vita in Filio ejus est. Nomine autem vitae totam salutem nostram complexus est. Col. 1. In ipso (*scilicet* Christo) complacuit omnem plenitudinem inhabitare. Item *Joh.* Ecce agnus Dei, qui tollit peccata mundi; & alia hujus generis infinita, quibus evincitur in uno Filio Dei homine facto inesse omnes coelestium divinorumque bonorum thesauros, quemadmodum disertis verbis Apostolus ad Coloss. scriptum reliquit. Col. 2. 3.

3. Isti thesauri illis, *duntaxat*, vere communicantur, qui ita Christo uniti sunt, ut facti sint cum eo unum corpus & una caro.

4. Apostolus enim ait Christum esse eum, qui salutem dat corpori, nempe, toti Ecclesiae, quae est ejus corpus & caro, & singulis fidelibus, qui itidem cum Christo sunt una caro & ossa ex ossibus ejus. Ephes. 1.

5. Unio autem haec & incorporatio non nisi per ipsius Spiritum & nostram fidem fieri potest, quemadmodum passim Scripturae docent.

6. Ad totam igitur Ecclesiam, veram Christi sponsam eamque solam, & ad singulos, qui in ipsa sunt, fideles Christique Spiritu donatos vere haec thesaurorum Christi communicatio pertinet.

7. Communicatio autem haec bifariam fit, nempe per imputationem & per realem communicationem.

8. Cum enim Christus sponsus propter conjugium totus cum omnibus suis thesauris noster sit, thesauri autem ipsi infiniti cùm sint atque amplissimi, realiter in nobis ipsis contineri non possint: per imputationem ut nobis communicentur nostrique fiant necesse est. 9.

9. Istae porro duae communicandi tum alia bona, tum inprimis justitiam Christi, rationes ita inter se conjunctae sunt, tanquam causa & effectus: ut ab invicem non separentur, nec separari a nobis debeant, quemadmodum neque radius a sole neque sol a radio sejungi revera potest.

10. Cuicunque enim perfecta Christi justitia imputatur: hunc justitia quoque, quam inhaerentem vocant, reapse donari e Sacris Literis didicimus.

11. Quo illud Davidis spectat, Beati quorum remissae sunt iniquitates & quorum tecta sunt peccata. Beatus vir, cui non imputavit Dominus peccatum, nec est in spiritu ejus dolus.

12. Postrema enim particula inhaerentem justitiam significavit, prioribus autem imputatam: utramque verò simul conjunxit, ne alteram ab altera separari posse existimemus.

13. Nam in matrimoniali quoque negotio idem usu venire solet. Cuicunque enim contingit ut alicujus regis fiat sponsa & uxor, huic etiam sponsalia & regia ornamenta gestanda exhiberi solent, quibus & ab aliis mulieribus discerni & talis regis uxor esse luculenter cognosci queat.

14. Non enim quia regiis ornata est vestimentis pretiosisque lapillis, ideò uxor regis est: sed quia uxor regis est, ideò insignibus regiis ornata & praedita est: quibus cujusnam sit uxor luculenter omnibus appareat.

15. Hinc sequitur, ut quisnam vere coram Deo justus reputetur necne, non nisi ab inhaerente justitia verisque illius fructibus vere judicari certoque pronunciari queat.

16. De imputatione cumprimis locus est ad Rom. 5. insignis, Sicut per inobedientiam unius hominis (omnibus, qui ex Adamo per naturalem generationem nascuntur, imputatam) peccatores constituti sunt multi: ita per unius (*scilicet* hominis Christi) obedientiam (omnibus qui ex Christi Spiritu ἄνωθεν regenerantur, imputatam) justi constituentur multi, nempe omnes Electi.

17. Per obedientiam unius, inquit Apostolus, intellige totam. Duae autem sunt perfectae Christi obedientiae partes: una, qua obediens fuit in tota illa Lege perfectissime, non tam pro se privatim quam pro nobis omnibus communiter servanda, cui aeterna vita promissa fuerat: altera qua obediens pariter fuit in morte pro peccatis nostris, quibus aeterna mors debebatur, expiandis subeunda: Per utramque enim hujus obedientiae partem nos coram Deo justificari atque in aeternum servari intellexit Apostolus.

18. Obedientiam in morte consecuta est remissio peccatorum nostrorum, & ex consequenti perfecta a morte aeterna liberatio: obedientiam verò in Lege implenda perfecta itidem aeternae vitae possessio. Utraque enim obedientiae pars, quae a Christo realiter praestita est, nobis per imputationem communicatur, vereque nostra jure conjugii fit: quando Christus totus, quantus quantus est, nobiscum factus est una caro, & nos vicissim cum illo.

19. Ejusdem imputationis respectu Scripturae Apostolicae passim praedicant nos (tanquam membra) uná cum Christo (tanquam cum capite) jam crucifixos esse, mortuos esse, sepultos esse, a mortuis excitatos esse, in coelum ascendisse, in supercoelestibus cum illo considere, omni denique in eodem Christo benedictione spirituali, ut Apostolus loquitur, benedictos esse: nimirum non

non solum propter spem, verum etiam quod tales jam in coelo apud Deum esse in Christo capite reputemur.

20. Eodem spectat illud Apostoli, Christum factum esse nobis sapientiam, justitiam, sanctificationem, redemtionem, 2. Cor. 1. idque consentanee cum illo Jeremiae, Jehovam, nempe Christum, nostram esse justitiam.

21. Ad extremum, scripturae duo praeter alia nos per fidem in Christum consequi manifestissime docent, unum, ut nostra peccata nostraeque omnes injustitiae nobis non imputentur, eoque reatu aeternae mortis liberemur: alterum, ut contrá justitia Christi nobis imputetur, hoc est, ut propter justitiam Christi fide apprehensam, nostramque imputatione factam, justi coram Deo reputemur, eoque aeterna vita digni censeamur.

22. Eodem pertinet verbum imputandi, quo saepe Paulus utitur, cum agit de justificatione, dicens, iis qui in Christum credunt peccata non imputari, sed illorum potius fidem imputari ad justitiam. Rom. 4. v. 5. 6. 7. 8. &c.

23. Quid verô nomine fidei intellexit Apostolus? Non certe ipsam fidei nostrae actionem per sese, est enim & ipsa opus nostrum. Operibus autem nostris negat nos justificari: sed ipsam rem quam fides apprehendit, *hoc est*, ipsam Christi justitiam, ceu Christum ipsum intellexit Apostolus, qui nostra est justitia, ut etiam ante Jeremias praedicaverat, Jehova justitia nostra.

24. Duo itaque ad justificationem vitae necessario concurrunt, nempe condonatio injustitiae nostrae, seu remissio peccatorum nostrorum: & imputatio justitiae alienae, *hoc est* Christi per fidem apprehensi. Remissio quidem peccatorum nostrorum, nempe ne aeternae mortis rei inveniamur: imputatio verò justitiae Christi, ut aeterna vita digni censeri possimus.

25. His enim rebus, remissione nimirum peccatorum, eoque liberatione a morte aeterna, & perfectissimae justitiae (quae solius Christi est) gratuita imputatione, eoque aeternae vitae adjudicatione, constat vera Christianaque justificatio, quae ab Apostolo justificatio vitae appellatur. Nota nomen vitae, quia non solum a morte liberamur, sed ad vitam etiam justificamur.

26. Hinc liquet imputandi verbo in Sacris Literis utramque perfectae justificationis partem συνεκδοχικῶς significari: quod una sine altera consistere non possit, nimirum neque remissio peccatorum nostrorum sine imputatione justitiae Christi, neque imputatio justitiae sine gratuita remissione peccatorum; ut & absolutio a reatu aeternae mortis, & rursus assertio in haereditatem vitae aeternae, simul haberi queant

Atque haec de priori modo, quo omnes Christi thesauri, atque inprimis ipsius justitia, nobis communicantur, nempe per imputationem, satis.

II.

De posteriori autem modo, nempe per realem communicationem, prope infinita extant in Scripturis testimonia, ut longa probatione non sit opus, quale est illud apud Johannem, Spiritum dedit ei non ad mensuram: de plenitudine autem ejus nos omnes accepimus: Item, Qui facit justitiam, justus est; de inhaerente enim justitia loquitur Johannes. Quo & illud, Qui justus est, justificetur

cetur adhuc: recipit enim haec justitia incrementum. Item illud ad Philip. Precor ut charitas vestra adhuc magis abundet, & ut pergatis pleni fructibus justitiae.

2. Hanc enim inhaerentem justitiam idcirco nobis communicat sponsus noster Christus, ut perpetuo justos fructus nobis & proximis proferat.

3. His accedit aliud inaestimabile donum. Efficit enim Dominus Jesus sua erga nos gratia, ut quaecunque ex hac inhaerente justitia agimus, ea licet imperfecta sint opera, & carnis nostrae sordibus contaminata, Deo tamen grata sint atque accepta, maculis nostris omnibus pallio ipsius misericordiae & justitiae Christi conjectis, juxta illud, Beati, quorum tecta sunt peccata: Et, Nihil damnationis est iis, qui sunt in Christo Jesu, qui non secundum carnem ambulant sed secundum Spiritum.

4. Imo & multis & magnis opera ista sponsae imperfecta donis renumerare dignatur, juxta illud Apostoli, Pietas promissiones habet praesentis vitae pariter & futurae.

3. Quod vero in carne nostra ex Adamo innatum naturae vitium seu inhabitans peccatum ad finem usque vitae remanet, idque pro singulari sponsi nostri providentia, ad nostri humiliationem & ad perpetuam pugnam fideique exercitium: illud non solum non imputat ad condemnationem, verum etiam vi sui Spiritus nobis communicati indies paulatim minuit, enervat, infirmat, tollit, donec tandem penitus extinguat.

6. Huc spectat quod Apostolus ait, Christum suam Ecclesiam mundare & sanctificare, donec tandem sistat eam gloriosam in conspectu Dei nullam habentem maculam aut rugam.

7. Nec solum hoc facit pro sua gratia Christus, verùm etiam nos ipso sancto perpetuoque hujusce rei quamprimum complendae afficit desiderio, ut ad eum tandem perducamur statum, in quo peccare non possimus amplius. Atque huc spectat illud Apostoli: Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus? *Rom.* 7. Et illud ad Phil. Cupio dissolvi & esse cum Christo. *Phil.* 1. Et illa vox sponsae ad sponsum, Veni Domine Jesu, veni. *Apoc.* ult. Et denique quod nos in Dominica oratione quotidie precamur dicentes, Adveniat regnum tuum. Item, Libera nos a malo. *Matt.* 6.

8. Quid autem haec sibi volunt, nisi quod Ecclesia & singuli fideles donantur a Christo dono perseverantiae, in fide & amore Christi? Quo illud Apostoli, Quis me separabit a charitate Dei, quae est in Christo Jesu, Domino nostro? Rom. 8.

Atque haec de bonis, quae ex thesauris Christi ad spiritualem vereque felicem vitam hoc seculo traducendam reapse nobis communicantur, satis. Quae quam magna, quam multa, quam pretiosa sint, quis queat explicare?

III.

Sunt & alia dona Spiritus Sancti permulta in humana Christi natura non ad mensuram collocata, quae ita ad cujusque fidelis salutem promovendam necessaria sunt: veluti donum Prophetiae, linguarum, edendorum mira-

miraculorum, sanationum, & alia, de quibus in Sacris Literis abunde.

Haec etiam Ecclesiae sponsae a Christo sponso non denegantur: sed ea ideo non omnibus singulisve fidelibus, neque semper, neque aequaliter, sed tantummodo quibus vult, quando vult, & quantum vult, communicantur, quia aliter non expedit. De varietate donorum loquitur Apostolus 1. Cor. 12. Unicuique datur declaratio Spiritus ad utilitatem, &c. Haec efficit unus ille & idem Spiritus, distribuens privatim singulis sicut vult.

3. Nam in conjugio quoque carnali neque expedit, neque etiam aequum est, ut simpliciter quaecunque sponsus habet recondita, ea omnia realiter semper communicet uxori, sed ea, *duntaxat*, quae ad ipsius salutem, honorem & consolationem necessaria sunt. Satis verò debet esse sponsae, quod sciat ea etiam omnia sibi communicatum iri, cum fuerit necesse. Hoc enim perinde est, atque si reapse semper illa possideat.

4. Qualis verò, obsecro, & quantus est bonorum, ad vitam hujus praesentis seculi, non solum humanam verum etiam spiritualem & Christianam, pertinentium thesaurus, quae a Christo non solum imputatione, verum etiam reali dispensatione communicantur? Quid? quod omnia etiam mala, quae in hoc seculo nobis contingunt, ea in majus tandem bonum convertit, teste Apostolo, Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum. Rom. 8.

Exemplo nobis sunto (ut de aliis taceamus) Josephus & Christus. Ille quot, quales quantasque injurias, tum a suis tum ab alienis, perpessus est, idque propter pietatem, & quia singulariter Deo carus esse agnoscebatur? Irrisus fuit propter divina somnia, in cisternam conjectus, peregrinis venditus, in Ægyptum ductus, in carcerem inclusus, sed quid ad extremum? Omnia haec ad summam ipsius dignitatem ac gloriam singulari Dei beneficio cesserunt. Hic verò de se ipso dixit, Oportuit Christum pati & ita intrare in gloriam suam. Et (ut Paulus scribit) humiliavit semetipsum, factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis: propter quod & Deus exaltavit illum, & donavit illi nomen, quod est supra omne nomen, ut in nomine Jesu omne genu flectatur, &c. Denique, ut tota Ecclesia canit, passus, mortuus & sepultus est: & resurrexit, ascendit in coelum, sedet ad dextram Patris, &c.

5. Imo in ipsis etiam perferendis calamitatibus, persecutionibus, cruciatibus, morte denique ipsa, vi sui Spiritus semper nobis adest, fortes reddit, magnis & mirificis consolationibus afficit: ita ut non solum non sinat nos illis succumbere, verum etiam ut in pugna superiores effecti victoriam ad extremum reportemus.

6. Quo illud 2. Cor. 4. In omnibus premimur, at non coarctamur: haesitamus, at non prorsus haeremus: persecutionem patimur, sed non in ea deserimur, ac non perimus Item 1. *Cor.* 10. Fidelis Deus, non sinet vos tentari supra id quod potestis perferre: sed faciet cum tentatione exitum, nempe felicem. Item Rom. 5. Non solum autem hoc, sed & gloriamur in tribulationibus, scientes quod tribulatio patientiam operatur, &c. Item Act. 5. Ibant Apostoli gaudentes a conspectu Concilii, quod digni habiti sint pro nomine Jesu contumeliam pati.

7. Iis enim malis omnibus carni nostrae adversis, tanquam optimis medicamentis

mentis purgantibus omnes peccati reliquias, quae in finem usque mundi in nobis remanent, quotidie magis ac magis mortificat & purgat.

8. Denique, si calamitates nobis propter nostra peccata infliguntur, hoc fit ad nostri correctionem, ne cum hoc mundo damnemur, ut ad Cor. docet Apostolus 1. Cor. 11. Hoc autem singulare est sponsi erga nos beneficium. Si verò propter Christum & propter sanctum cum illo connubium sponso ipsi conformamur & ejus insignia gestamus: Quae verò sponsa sui sponsi principis aut regis insignia non libenter gestet, quando hoc maxime ad suam dignitatem & gloriam facit?

Quid vero de bonis, ad aeternam alterius seculi, beatamque vitam pertinentibus, dicam? Profecto ut eadem regia sponsi cum tota supellectille, ornatu, splendore, cum tota denique aula & famulatu communis sit sponsae, omnino necesse est. Hanc enim esse voluntatem sponsi sponsus ipse testificatus est, dicendo, Volo ut ubi ego sum, ibi sint & ipsi, illi nimirum fideles, ex quibus constat Ecclesia sponsa Christi. Joh. 17. Item, Iterum veniam ad vos & recipiam vos ad me. Item, Vado paratum vobis locum. Joh. 14.

Quae verò & qualia & quanta ibi sint bona nobis praeparata Apostolus dicit explicari nullo modo posse: Oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascenderunt, quae Deus praeparavit diligentibus se. 1. *Cor.* 2. Novimus autem certo nos, qui una caro facti sumus cum Christo, illa visuros, & vi istius sancti conjugii in aeternum possessuros, juxta illud Christi, Venite benedicti Patris mei, possidete regnum, quod vobis paratum est a constitutione mundi. Matth. 25.

Quare quisque nostrum cum Sancto Jobo ex vera, *videlicet*, fide dicat Job 19. Scio quod redemptor meus vivit, & in novissimo die de terra surrecturus sum, & in carne mea videbo Deum salvatorem meum, quem visurus sum ego ipse, & non alius, & oculi mei conspecturi sunt. Reposita est haec spes mea in sinu meo. Et cum tota Ecclesia Christi sponsa ad sponsum suspirantes & anhelantes toto pectore clamemus: Veni Domine Jesu, veni, & pro tuo immenso erga nos amore recipe nos in coelestem domum Patris tui. Cui sit honos, laus & gloria: Amen.

CAPUT VI.

Argumentum & summa.

In hoc capite primum pergit Œconomica praecepta explicare. Sicut enim supra declaravit, quae sint officia uxoris erga maritum & quae viri erga uxorem: Ita hîc docet quid debeant liberi parentibus, & vicissim parentes liberis: quid item servi dominis, & rursus quid domini servis. Deinde ad generalem adhortationem rediens hortatur omnes pios ad pugnam contra Satanam, capitalem humani generis hostem: ac quibus armis adversus illum totumque ejus exercitum pugnandum sit, docet. Postremo de se suoque statu ac conditione Ephesios monet: rogans, ut sicut pro omnibus Sanctis, sic etiam pro se preces ad Deum habeant, quo regnum Dei per se perque suum ministerium promoveatur.

Secatur erga hoc caput in tres partes.

Prima continetur 6 prioribus versibus.

Altera vers 10. usque ad 19.

Tertia a vers. 19. ad finem usque capitis.

Ad primam partem quod attinet, duo, ut dixi, tractat.

I. Quodnam sit officium liberorum erga parentes & vicissim parentum erga liberos, breviter quidem sed argumentose explicat. 2. Deinde eadem gravitate Apostolica de officio servorum erga dominos & dominorum erga servos disserit.

De primo sic ait, liberos cumprimis alloquens:

V. 1. Τέκνα ὑπακούετε τοῖς γονεῦσιν ὑμῶν ἐν κυρίῳ.

Τέκνα propriè significat natos seu genitos: & verum est correlativum dictionis γονεῦσιν. Natus enim refertur ad genitorem. Nomen filii latius extenditur, cùm etiam de illis, qui e nobis nati non sunt, accidatur. Propriè ergo & inprimis haec pertinent ad veros liberos verosque parentes: sed secundario ad omnes, qui filiorum loco habentur & educantur.

Illud ὑπακούετε propriè significat subaudire, seu obaudire & subauscultare, & est inferioris ad superiorem. Hoc demonstrat particula ὑπὸ. Ergo ὑπακούειν est hoc loco cum omni subjectione & reverentia, quae a parentibus nobis dicuntur, proponuntur, mandantur, ad ea aures inclinare, eaque attente & eo animo audire, ut quae nos parentes docent, ea discamus memoriaeque mandemus: quae arguunt, ea emendemus & evitemus: quae mandant, debita obedientia perficiamus. Hoc est ὑπακούειν τοῖς γονεῦσιν. Ita duo hoc verbum includit, primo internam animi erga parentes observantiam, reverentiam, & ad omnia, quae illis placent, perficienda promtitudinem: & deinde externam etiam talis animi testificationem & obedientiam. Nullius exemplo melius declarari potest, quam

quam exemplo Christi, qui de seipso dicebat se, quae placita sunt Patri, facere semper: & de quo Paulus ad Phil. 2. eum factum esse Patri obedientem usque ad mortem. Ita Apostolus hoc verbo declarat in quo potissimum consistat ille honor, de quo lex dicit, Honora patrem & matrem &c. nempe in vera voluntariaque obedientia.

Sed addit ἐν κυρίῳ. Bifariam exponunt Scholia ἐν κυρίῳ, τοῦτ᾽ ἐστὶ, κατὰ κύριον, ἐν οἷς μὴ βλάπτεται ἡ εὐσέβεια. Vult ergo ut obediamus parentibus nostris in omnibus (ut Col. 3. ait) seu per omnia, sed in Domino, hoc est, ita in omnibus, ut nihil contra Dominum admittamus. Sic ad 1. *Cor*. 7. Si nubere vult, nubat, sed in Domino, *id est*, secundum voluntatem Domini. Alii ἐν κυρίῳ, *id est*, propter Dominum, qui *scilicet* hoc constituit & mandavit, quique vos parentibus subjecit, ut obedire parentibus nihil aliud sit quam obedire Deo. Est enim Hebraismus, ἐν κυρίῳ, *id est*, διὰ τὸν κύριον. Ideo utramque interpretationem conjungo & amplector: & una pendet ab altera. Si enim propter Dominum obediendum est parentibus: Ergo nihil etiam admittes, quod sit contra Dominum: quia prima obedientia debetur Deo.

Sunt igitur hîc duo tacita argumenta, quibus liberi excitari debent ad obediendum parentibus: Unum est, quia Domino obediendum est, Dominus autem hanc erga parentes obedientiam & observantiam mandat. Ergo etiam si nulla esset alia causa, saltem propter Dominum sic mandantem obedire debent filii parentibus suis.

Alterum argumentum sumitur a voce γονεῦσι & a voce τέκνα. Debemus obedire parentibus, quia illi nos genuerunt, aluerunt, educarunt, nos amant, de nostra salute sunt solliciti. Ergo etiamsi Deus nihil hac de re praecepisset: ipsa tamen Natura flagitat, ut hunc honorem deferas parentibus tuis, a quibus habes quicquid es & habes. Omnia animalia idem faciunt. Jure ergo naturae & divino debent liberi obedire parentibus. Hoc est igitur quod subdit Apostolus, rationem reddens cur debeant hunc honorem parentibus liberi: τοῦτο γὰρ ἐστι δίκαιον. Justum est jure naturae, justum est jure divino. Ratio justi haec est, ut cuique detur quod suum est. Si justum est, ut obedias parentibus: Ergo haec illis obedientia debetur. Quare injustissimi sunt, qui parentibus debitum honorem non exhibent. Et usque adeo hoc est justum, sicut ait Apostolus, ut omnes Gentes etiam barbarae hoc non ignorarint, quemadmodum in libris profanis copiose est videre. Lex fuit apud Athenienses vere justissima, liberi parentes alant aut vinciantur. Exempla apud Valerium Max. & aliás extant quam plurima in hanc rem. Ergo huic rationi Apostolicae, τοῦτο γὰρ ἐστι δίκαιον, omnes Gentes subscribunt: bruta item animalia, ciconiae, elephanti & alia, quae a Natura dicta suo modo suos honerant parentes. Nihil igitur est justius, quam ut liberi suis obediant parentibus in Domino.

V. 2. Honora patrem tuum & matrem tuam, quod est praeceptum primum in (vel cum) promissione.

Dixerat obediendum esse parentibus in Domino, *id est*, propter Dominum, qui *scilicet* sic constituit, nimirum non solum in Natura, sed etiam expressa lege.

lege. Nunc igitur subdit praeceptum hoc, quod in Decalogo habetur. De quo praecepto non est cur multa hîc dicam. Tantum illud praetereundum non est, quod pro explicatione hujus praecepti habemus in Ecclesiastico, c. 3. ubi praeter alia sic habet vers. 9. in vulgata versione: In opere, sermone & omni patientia honora patrem tuum, ut superveniat tibi benedictio a Domino.

Consistit ergo iste honos primum in opere, *hoc est*, in ipsa obedientia, de qua hîc Apostolus; item in omni officiorum genere, quo nostram animi gratitudinem erga illos declarare possimus pro tot beneficiis, quae secundum Deum ab illis percipimus: *hoc est*, consistit (ut habet proverbium, in ἀντιπελαργεῖν) ut sicut illi nos genuerunt, foverunt, virtutibus ornandos & divitiis cumulandos pro sua virili curarunt: sic nos illos sanos vel aegrotos alamus, sustentemus, curemus, & mortuos cum honore sepeliamus: δεῖ τοὺς νεοτεροὺς τὸν πατέρα πάλιν τρέφειν.

Consistit secundo hic honos in sermone: *hoc est*, in hoc, ut de eis bene sentiamus, & honorifice loquamur, & abstineamus ab omnibus in illos contumeliis, convitiis. Sic lex habet, Qui male dixerit patri & matri, morte moriatur. Et *Prov.* 23. Audi patrem tuum, & ne contemnas cùm senuerit mater tua.

Tertio consistit in tolerandis illorum morbis, morositatibus, & aliis incommodis. Sem & Japhet exemplo nobis sunto, qui pudenda patris texuerunt, quae Cham irriserat. Sunt igitur ferendi parentes & tolerandi, etiamsi aliquando videantur nobis plus quam par sit morosi. In iis tribus consistit honos parentum: & quidem honorandi sunt tum vivi, tum etiam mortui.

Subdit etiam tertium argumentum a promissione ductum, dicendo: ἥτις ἐστι ἐντολὴ πρώτη ἐν ἐπαγγελίᾳ.

Quomodo dicit primum esse mandatum cum promissione? Ambrosius ait primum esse praeceptum secundae tabulae, & inter ea, quae debentur proximo. Chrysostomus esse primum non ordine sed cum promissione, quia est praeceptum praeceptivum, reliqua sunt prohibitiva. Sed vera est interpretatio, quod sit primum praeceptum cum promissione, nempe non universaliter ad omnia mandata pertinente, sed peculiariter huic praecepto addita: quo magis exstimularet liberos ad honorandum parentes. Liquet. In prima enim tabula dixit in universali, Faciens misericordiam in mille, &c. Non dixit, Faciens misericordiam in te: sed hîc ait, Ut bene sit tibi. Argumentum igitur tale est: Tanti facit Deus observationem hujus mandati, ut etiam huic soli & praeterea nulli adjecerit peculiarem promissionem. Ergo debetis, ô liberi, peculiariter etiam vos in hujus praecepti observationem ac studium incumbere. Quae verò est haec promissio? Subdit:

V. 3. Ut bene sit tibi, & sis longaevus super terram.

Est igitur argumentum 4. ab utili: quasi dicat, obedientia haec erga parentes tibi praecipitur in salutem tuam.

Duo sunt membra: primum est generale, ut bene sit tibi. Hoc sumtum est ex Deut. c. 5. Alterum est speciale: & sis longaevus super terram. Hoc sumtum est ex ipso praecepto Decalogi: sed quod ad solos videbatur pertinere

 Israeli-

Israelitas, ad omnes gentes extendit. Ibi enim Moses dixit, ut sis longaevus super terram, quam Dominus Deus dabit tibi in terra Chanaan. Hîc verò Apostolus ait simpliciter, ut sis longaevus super terram.

Discimus hinc obiter, quomodo tractandae sint scripturae Veteris Testamenti. Quae substantialia sunt, ad omnes fideles pertinent: quae accidentalia, ad solos Israelitas. Ergo in Novo cogitare debemus, haec accidentalia jam cessasse & substantialia manere. Sic de sanctificatione Sabbathi: sic de circumcisione, de sacrificiis, &c. Summa igitur promissionis est, quod qui honorant parentes, diu vivent super terram.

At non videtur semper impleri. Resp. Impletur vel simpliciter, vel commutatione hujus beneficii in majus. Quis verò conqueratur, si alicui non dem bacionem, quem promiseram, sed illum mutem in Coronatum? Sic Deus facit. In plerisque omnibus impletur ad literam: in aliis vita haec longaeva super hanc terram commutatur in aeternam in coelo.

Tacite verò hîc inducitur quintum argumentum ductum a maledictionibus in eos, qui non honorant parentes. Si enim benedicuntur, qui debito honore afficiunt parentes suos, & vita eis promittitur diuturna: Manent igitur graves maledictiones illos, qui non honorant: graviores eos, qui etiam contumeliis & ignominia afficiunt: gravissimae verò eos, qui parentes suos aut sua sententia injuste damnant, aut reipsa occidunt. Explicantur hae maledictiones tum a Mose, multis in locis, ut Exod. 21. Deut. 27. & alibi: tum a Salomone Prov. 30 & alibi; & confirmantur a Syracide, c. 3. Accedunt exempla infinita. Maledictus Cham, qui patrem irrisit, quia nudum vidit. Item Absalon debitam mercedem reportavit propter injurias factas parenti suo. 2. Sam. 18. Sed exemplum etiam illustre est in lib. Judicum, cap. 9. de Abimelech, qui, ut regnaret, occidit reliquos fratres, *id est*, legitimos filios Jerubaal, uno superstite, qui se absconderat, Jothamo, cum inde Abimelech natus esset ex concubina: & hac insigni injuria affecit patrem suum. Quem exitum habuerit, & quam misere mortuus fuerit propter hanc in patrem contumeliam, ipsa narrat historia: Et sic ad finem cap. legimus: Reddidit itaque Deus malum ipsi Abimelecho, quod fecerat patri suo interficiendo fratres suos. Injuriae enim, quas facit fratribus frater, parenti ipsi fiunt. Qui igitur cupiunt longaevi esse super terram & benedici a Domino iramque ejus evitare, debito honore & reverentia afficiant parentes suos. Haec quinque argumenta ab Apostolo allata observentur.

Aristoteles, praeter alios profanos scriptores de officiis liberorum, haec in summa scripta reliquit, partim in Ethicis, partim in Politicis & Œconomicis libris: quatuor praestanda esse liberis erga parentes, amorem seu observantiam, honorem & reverentiam, obedientiam, subsidium. Ac ratio, cur debent primo diligere parentes, affertur, quia sunt aliquid existens a parentibus. A parentibus enim secundum Deum habent esse, nutrimentum seu educationem, & eruditionem atque virtutes, tum morales tum διανοητικάς. Ratio vero, cur debeant illis honorem, est Naturae perfectio & eorum excellentia. Omnis enim honor in alicujus perfectioris excellentia habet fundamentum. Sunt autem parentes excellentiores & praestantiores filiis, primum aetate, secundo cognitione usuque rerum,

rerum, tertio regimine atque gubernatione, quarto beneficentia. Ubi etiam docet non eundem honorem omnibus esse exhibendum: quia alius debetur patri, alius matri, alius sapienti, alius principi, alius seni.

Rationem autem, cur debeatur parentibus obedientia, docet esse superioritatem & imperium, quod habent parentes in liberos. Est enim superiorum imperare, inferiorum obedire. Unde & appetitus sensitivi est obedire rationi, non contra. Ratio verò, cur quartum debeant parentibus, nempe subsidium, manifesta est: quia, *scilicet*, cùm a parentibus secundum Deum habeant & ut sint & ut bene sint, debent parentibus rependere quae possunt, quod hoc naturalis gratitudo postulet.

Ac de officiis liberorum erga parentes satis. Sequitur de officio parentum erga filios. Ait ergo Apostolus:

V. 4. Et (vos) *patres, ne provocetis ad iram liberos vestros: sed enutrite* (educate) *eos ἐν παιδίᾳ καὶ νουθεσίᾳ Θεοῦ.*

Duo sunt communia filiorum adversus parentes vitia, unum, quod non soleant illis obedire: alterum, quod etiam non exhibeant debitam reverentiam atque honorem, sed saepe contemnant: filii praesertim adultiores senes parentes. Haec vitia correxit superioribus versibus, dicendo: Filii obedite parentibus seu progenitoribus vestris. Et quidem hoc fecit, allato etiam in medium Dei mandato, Honora patrem tuum, &c.

Rursus duo etiam sunt praecipua parentum vitia, quibus peccant in liberos: nempe nimia severitas abususque patriae potestatis: & nimia indulgentia, eoque & officii negligentia. Aut enim verbis contumeliosis illos excipiunt, iniquis mandatis gravant, injustisque verberibus caedunt. Hoc est unum, abusus nimirum patriae potestatis. Alterum est, quod saepe in contrariam partem peccant, nimia *scilicet* indulgentia: negligunt enim liberorum vitia corrigere, bonos docere mores, & in timore Dei instituere. Haec igitur duo vitia parentum hoc versu corrigit. Primum corrigit dicendo, Patres nolite ad iracundiam provocare filios vestros. Alterum, dicendo, sed educate eos *ἐν παιδίᾳ καὶ νουθεσίᾳ τοῦ Θεοῦ.*

Ad primum quod attinet, perniciosissima res est, quod parentes ad iracundiam provocent liberos. Alienantur enim animi liberorum a parentibus, ut eos amare & revereri tanquam parentes non possint, sed tantum metuere ut tyrannos. Ita parentes plerumque in causa sunt, cur non amentur, non observentur, non honore afficiantur a suis liberis. Quibusnam vero rationibus parentes provocant liberos ad iram? Si abusi sua autoritate, ut ante diximus, aut iniquis praeceptis gravant, aut verbis contumeliosis excipiunt, aut injustis verberibus caedunt.

Exemplum insigne habemus 1 Sam. 20. Saul pater provocavit ad iram Jonatham filium suum, ita ut ille alienatus a patre e mensa iratus surrexerit atque ab eo discesserit. Quomodo ad hanc iram provocavit Saul pater? *primo* iniquo mandato. Mandabat enim, ut ad se adduceret Davidem, quod eum vellet occidere. Quid hoc mandato iniquius? Ut amicus amicum, innocens ac justus virum innocentem ac justum ad necem duceret? *Secundo* accesserunt verba con-

contumeliosa. Vocavit enim filium suum virum mulieris virum ad se rapientis, *id est*, filium impudentis scorti. *Tertio*, adjecit etiam sceleratum facinus: hastam enim in eum injecit, ut eum occideret. Iis omnibus modis pater provocavit filium suum ad iram, ut alienatus a patre discesserit. Cùm igitur sit res indignissima & perniciossima: merito Apostolus ait, Patres nolite ad iracundiam provocare filios vestros. Hoc enim nil aliud est, quam sua abutendo autoritate liberos totamque familiam perdere. Vult igitur Paulus, ut parentes ne nimium sint in liberos asperi, duri, saevi, agrestes, morosi: sed cum severitate objurgationum & castigationum conjungant etiam paternam clementiam, & filios in officio, bonitate potius & clementia, quam nimio metu retineant. Norunt hoc etiam Ethnici: quo pertinet illud Terentianum: Pudore & liberalitate liberos retinere satius esse credo, quam metu. Idem certe facit etiam Pater coelestis erga nos: Visitabo, inquit, in virga iniquitates eorum, & in verberibus peccata eorum: misericordiam autem meam non dispergam. Psal. 89. Discant igitur patres a Patre coelesti, quomodo debeant liberos suos salutariter regere.

Ad secundum quod attinet: Ne *scilicet* in contrariam etiam partem nimium peccent, nimirum nimia utendo indulgentia & lenitate, subdit:

Ἀλλ᾽ ἐκτρέφετε αὐτὰ ἐν παιδίᾳ καὶ νουθεσίᾳ Κυρίου.

Nomine παιδίας puerilem institutionem seu disciplinam intelligo, qua tum bonis moribus assuefiunt, tum in literis & artibus instituuntur.

Νουθεσία proprie significat admonitionem, non simpliciter, sed talem, qua in mentem pueri ponas & ingeras, quae sunt illi ad salutem necessaria.

Addit τοῦ Κυρίου quia vult Apostolus ut patres & matres ea cumprimis in teneras liberorum mentes crebris admonitionibus instillent, quae sunt Domini, *hoc est*, quae ad religionem, ad pietatem, cognitionemque Domini pertinent.

Tria igitur hîc praecipit parentibus, quae propria sunt parentum officia erga liberos suos. Primum, Ut liberos suos enutriant & educent quoad corpus, donec succrescant. Opponitur hoc illi verbo παροργίζετε. Quidam enim ita rigidi sunt parentes & ad iracundiam provocant liberos, ut eos & inique verberent ad necem usque, & pellant ex aedibus, nonnunquam etiam occidere velint, ut Saul suum Jonatham. Non sic, inquit Apostolus, sed educate eos, enutrite, servate in vivis. Sed neque hoc satis est, faciunt hoc & animalia bruta. Ideo subdit alterum officium, quod est, ut eos instituant tum in bonis moribus, tum in literis & artibus, prout talem aetatem decet. Hoc est enim educare ἐν παιδίᾳ. Παιδία haec respicit virtutes morales & διανοητικάς. Vult igitur, ut pullulantia eorum vitia corrigantur & quotidie succidantur, & in virtutibus bonisque moribus assuefiant, ac simul bonas literas & artes doceantur. Sed hoc etiam non sufficit Christianis parentibus: eadem enim etiam Ethnici faciunt, & communia sunt cum Philosophis, qui in hoc incubuerunt, ut mentes puerorum colerent virtutibus & scientiis. Subdit igitur id quod proprium est Christianorum, nempe ut pueri instituantur ἐν νουθεσίᾳ τοῦ Κυρίου, *id est*, in vera Dei cognitione, vera pietate, veraque religione, doctrinam coelestem in liberorum animos semper instillando.

Hoc quidem ponit tertio loco, sed est primum ac praecipuum officium parentum-

rentum piorum, quod praestare debent liberis suis. Et sic Deus mandaverat in lege suo populo, ut suos quisque liberos doceret mandata Dei, Deum timere & praecepta ejus servare, Deut. 6. Sic laudatur Abraham, quod liberis suis praecepturus esset, ut viam Domini custodirent, & facerent judicium & justitiam. Genes. 18. Sic laudat Apostolus Timotheum, quod ab infantia sua fuerit enutritus in verbo fidei & sanae doctrinae, 1. Timoth. 4. Sic faciebant prisci Christiani, ut in historia Eusebii lib. 2. cap. 7. ubi narrat Philonem solitum fuisse dicere, Christianos vocari cultores & cultrices, quòd animos suorum in vera pietate, summa diligentia colerent. Atque in hunc finem constituti fuerunt in Ecclesia Catechistae, ut quod neglectum fuerat a parentibus, illi instaurarent in pueris. Hoc igitur est primum ac praecipuum officium, quod curare debent parentes, ut *scilicet* sui liberi enutriantur ἐν νουθεσίᾳ τοῦ Κυρίου.

Alterum, ut etiam enutriantur ἐν παιδίᾳ, in disciplina, quae pueris convenit & necessaria est, *hoc est*, ut assuefiant vitandis vitiis & sequendis virtutibus, bonisque moribus imbuantur, & in bonis literis atque artibus eorum animi excolantur. Nam ut communi fertur proverbio,

Quo semel est imbuta recens servabit odorem
Testa diu.

In hunc finem studendum, ut caveantur mala consortia. Corrumpunt enim bonos mores ὁμίλιαι κακαὶ.

Tertium illud quod est cum animalibus commune, non ita urgetur in Scripturis, sicut alia duo priora: quia nemo est, qui non curet enutriendos liberos suos. Haec est Apostoli doctrina de officio parentum erga filios. Ab hac non dissentiunt Ethnici.

Multa Aristoteles minime pugnantia cum iis, quae tradit Apostolus de officio parentum erga liberos, scripta reliquit in suis Politicis & Œconomicis. In Politicis ait, Patris dominium in filios esse simile dominio Regis in subditos. Ut igitur Rex dominatur ex amore in subditos (alioquin enim esset Tyrannus, non Rex) & ut excellens potentia benefaciendi regnat semper benefaciendo: Sic patrem facere debere erga liberos. Ex amore ergo omnia debent parentes agere erga filios: item tota sua uti potentia & authoritate in eorum salutem. Hoc in genere & paucis verbis docuit Apostolus dicendo, Patres nolite provocare &c. nempe ad illorum perniciem: sed educate, *scilicet*, ad eorum salutem.

Deinde ad specialia officia descendens, partim in Politicis, 7. & 8. partim in Œconomicis, docet officium parentum esse, ut haec tria serventur erga liberos: *primum*, quod proprie ad viros uxores ducturos spectat, curare debent, ut ex optima uxore optimos suscipiant liberos. Multum enim interest, ex quibus quisque parentibus natus sit. Facit injuriam futuris liberis, qui impiam, qui malam, qui male educatam ducit uxorem. Tales enim fere solent etiam esse liberi. Ergo qui nascituros amat liberos, curam inprimis adhibeat in deligenda ducendaque uxore. Sed de hoc nihil agit Apostolus.

Alterum, id quod proprie ad corpus pertinet infantium, curare debent parentes, ut corpora liberorum bene nutriantur, cibis *scilicet* illi aetati convenientibus & vestimentis: ludis etiam & moribus exerceantur ad valetudinem

&

& robur comparandum accommodatis. Hoc congruit cum illo Apostoli verbo ἐκτρέφετε.

Tertium respicit educationem in moribus, & hoc attinet ad animum. Curare igitur debent pater & mater, ut liberi in bonis moribus instituantur inque liberalibus artibus atque scientiis Ad hoc obtinendum tradit has regulas Aristoteles.

1. Usque ad septimum annum ne sinantur vel foras multum exire, vel domi cum famulis & ancillis versari. Ex liberalibus enim ingenia fiunt servilia & corrumpuntur.

2. Ne domi etiam audiant & videant aliquid turpe vel obscoenum. Iis enim afficitur cor: sic autem affectum talia meditabitur & operabitur

3. Ne etiam picturas & imagines & repraesentationes rerum obscoenarum videant. Tam enim ex iis afficiuntur, quam ex verbis & exemplis aliorum hominum.

4. Ut exacto septennio liberalibus disciplinis instituantur. Polit. 8. Quatuor autem artes liberales proponit, in quibus debeant sese exercere pueri usque ad 12. annum: literariam, ut est grammatica: figurativam, pingendi nimirum, & quoquo modo figuras faciendi: gymnasticam & musicam.

5. Est, ut parentes praebeant se exempla virtutum omnisque pietatis & honestatis liberis suis. Totum hoc congruit cum illo Apostoli, ἐν παιδίᾳ.

Sed illud omittit Aristoteles, καὶ ἐν νουθεσίᾳ τοῦ Κυρίου, quod tamen praecipuum est, quia ignoravit Sacras literas.

Haec adjicere libuit, tum ut melius intelligerentur officia parentum erga liberos, tum ut videremus doctrinam, quam hîc tradit Apostolus, doctrinam esse cum Natura consentaneam, quando etiam eadem fere noverunt & docuerunt Philosophi. Multi Ethnici scripserunt de educandis liberis, sed libri Plutarchi mihi prae aliis placent.

Sequuntur praecepta de officio servorum erga dominos, & dominorum erga servos.

V. 5. Οἱ δοῦλοι ὑπακούετε τοῖς Κυρίοις κατὰ σάρκα: *cum timore ac tremore,* ἐν ἁπλότητι *in* (pro cum) *simplicitate cordis vestri, tanquam Christo.*

Posteaquam correxit Apostolus *primum* quidem statum conjugalem, docens quae sint officia uxorum erga suos maritos, & virorum erga suas uxores; & *deinde* statum filiorum & parentum, docens quid filii parentibus, & vicissim quid filiis debeant parentes: Nunc transit ad *tertium* statum, qui & ipse in Ecclesia Ephesina corrigendus erat, ad statum, inquam, servorum & dominorum. Nam *primum* multi servi, quia videbant se Christianos factos & libertate Christiana donatos, putabant se libertate etiam politica omnino donatos esse a Christo: ac proinde hac falsa opinione seducti aut nolebant amplius suis dominis servire, aut si coacti serviebant, male, aegre & non bona fide serviebant. Rursus multi ex dominis suo in servos abutebantur imperio non agnoscentes illos pro fratribus, sed eadem erga illos, qua etiam erga eos, qui Christiani non erant, severitate, minis & verberibus utentes. Utrosque igitur cor-

corrigit. Ac *primum* de officio servorum agit, *deinde* de officio dominorum erga servos.

Tria autem sunt praecipua capita, quae hîc tradit de servis. *Primum* docet, etsi per Christum donati sunt libertate Christiana, quae libertas est spiritualis & conscientiae: eos tamen non esse exemtos a servitute politica, quam dominis suis carnalibus debebant & adhuc debent. Hoc primum docet, cum eos, licet Christianos effectos, vocat tamen servos, dicendo, Servi, οἱ δοῦλοι.

Deinde cùm subdit mandatum, dicendo ὑπακούετε, obedite, τοῖς κυρίοις κατὰ σάρκα. Ita docet Christum non venisse, ut status politicos aut tolleret aut mutaret aut confunderet. Hoc est primum.

Secundo loco docet, quo modo debeant se gerere in sua servitute. Quinque autem conditiones ponit, quae ad verum & Christianum serviendi modum pertinent. Singula explicabimus suo loco.

Postremo, non contentus docuisse & adhuc serviendum esse & quomodo servire debeant: interseruit etiam & adjecit rationes ac stimulos, quibus eos excitaret ad libenter serviendum. Tres autem sunt praecipuae.

Prima sumta est a mandato, quia *scilicet* Dominus sic constituit, ergo propter Dominum Dominique mandatum servire debent, & quidem fideliter ac libenter.

Altera sumitur ab authoritate, quia *scilicet* hanc obedientiam non hominibus sed Domino praestant. Cogitent igitur se non hominibus sed Christo servire.

Tertia sumitur a promissione: quia *scilicet* Dominus non defraudabit eos vera mercede. Haec est summa eorum, quae tradit de servis. Ad primum igitur quod attinet, sic ait:

Servi obedite, ὑπακούετε, dominis κατὰ σάρκα.

Primum, non ait Fratres, licet revera fratres essent in domino, sed Servi. Docet igitur eos, licet facti sint liberi in Conscientia, a conditione tamen politicae servitutis nondum esse liberatos. 2. Non ait, Servi nolite esse servi, sed contra ait, servite *scilicet* adhuc Dominis (*scilicet* vestris) κατὰ σάρκα, qui sunt Domini vestri, non secundum Spiritum, sed κατὰ σάρκα. Et cùm dicit κατὰ σάρκα, docet temporarios esse & non aeternos dominos. Κατὰ σάρκα (ajunt Scholia) τούτ᾽ ἐστὶ τοῖς προσκαίροις. Petrus in prima epistola ait etiam δυσκόλοις & morosis dominis serviendum esse. Et Paulus ad Cor. Servus vocatus es, non sit tibi curae Apostolica igitur doctrina est, per Christum & per Evangelium non tolli, nec mutari, nec confundi status politicos. Confirmabit hoc, cùm etiam alloquetur dominos. Non enim dicit, Domini, nolite amplius dominari in servos factos jam Christianos, sed tantum praescribit modum, quo debeant se gerere erga servos. Ita apparet anabaptistas & libertinos turpiter errare, cùm propter Evangelium putant se non amplius teneri inservire suis dominis & magistratibus: quid aliud agunt, nisi quod barbaram ἀναρχίαν inducunt contra doctrinam Apostolicam? Quasi verò libertas Christiana sit manumissio, non solum a spirituali, sed etiam a civili servitute. Paulus Onesimum, quem fecerat Christianum, non retinuit apud se Romae, sed remisit ad suum dominum Philemonem, a quo aufugerat, ut ei denuo inserviret. Doctrina igitur anabaptistica pugnat hac etiam in parte cum Apostolica.

No-

Notandum vero, licet aliud genus servorum fuerit, de quo hîc scripsit ad Ephes. (erant enim servi vel manucapti in bello, unde mancipia, & ita servati, unde servi appellantur, vel etiam pretio empti) tamen doctrina haec ad omne genus servorum pertinet. Atque haec de primo.

Ad *secundum* quod attinet, quomodo servire debeant servi Christiani facti hominibus: modus hic in quinque rebus consistit, juxta praesentem Apostoli doctrinam: una est, ut servi non agnoscant suos dominos pro dominis in suas conscientias jus aliquod habentibus, sed tantum in corpus & in res externas. (Unum tantum habemus dominum, qui jus habet in animam & in spiritum nostrum). Ideo dixit τοῖς κυρίοις non simpliciter, sed κατὰ σάρκα: quasi dicat, non autem κατὰ το πνεῦμα. Etsi igitur externa servitute & politica servire debent, ne sinant tamen quoad conscientiam se fieri servos hominum, ut est ad Gal. 5.

Hîc duo extrema vitia in servis observanda sunt Quidam neque secundum carnem dominos ullos agnoscunt, nec eis servire volunt usi hoc argumento: Isti domini aut pii sunt sicut & nos, aut impii. Si pii, debet esse aequalitas inter nos, quia omnes fratres sumus. Si impii, indignum est ut pius serviat impio. Primo membro utuntur Anabaptistae, ultimo utebantur Judaei. Sed contra Apostoli volunt, ut dominis nostris, sive impii sunt sive pii, serviamus: ratio est, Christus non aufert suo Evangelio has politicas servitutes. Alii in contrarium peccant: ita sese subjiciunt suis dominis, ut etiam sinant illos dominari in suas conscientias: Contra hos agit ad Galatas, Nolite fieri servi hominum. Mediam igitur viam teneant Christiani servi, serviant dominis suis, qui sunt secundum carnem domini: sed non sinant illos in suas conscientias dominari. Haec est *prima* conditio, quae in vera & Christiana servitute requiritur: nempe, ut dominos tuos secundum carnem, non autem secundum spiritum, agnoscas esse dominos tuos.

Secunda est, ut serviant cum timore & tremore. Prima dictio significat reverentiam, sicut & de timore, quo uxor timere debet maritum, supra dictum est ad finem cap. 5. Debet igitur obedientia ac servitus servorum cum debita reverentia esse conjuncta. Haec debetur officio, quia *scilicet* sunt domini. Altera dictio significat metum plagarum. Hoc proprium est servorum. Vult igitur Apostolus ut servi metuant etiam iram & potestatem, quam sui domini in ipsos habent. De hoc timore etiam *Rom.* 13. loquitur, cum ait, Vis non timere potestatem? benefac. Quod si male feceris, time. Non enim sine causa gladium portat. Hic timor debetur gladio, quem a domino acceptum gestant.

Utrumque igitur conjungit Apostolus in servo Christiano timorem, *id est.* reverentiam & tremorem: quia utrumque requiritur. Ita servire cum timore & tremore est cum reverentia erga dominos omnia, quae agenda sunt, tanta cum sollicitudine agere, ut metuas, ne quid forte eorum a te omittatur, quae facienda sunt, aut fiat, quod omittendum est: idque tum propter reverentiam, quam debes tuo domino: tum etiam ne illum adversus te provoces, qui jus habet in corpus tuum & in carnem tuam. Quia igitur aliud imperium concessit Deus dominis in servos, quam viris in uxores: ideo etiam alius timor convenit servis, alius uxoribus. Uxor timeat virum, inquit Apostolus, timore,

scilicet

scilicet reverentiae: servi serviant dominis non solum cum timore, *id est*, ad eorum praesentiam & nutum tremendo propter poenam, quam suo jure infligere suis possunt servis: qua de re Ecclesiastici 33. Jugum & lorum cervicem subigunt: ita nervus & tormenta servum malitiosum.

Tertia conditio est, ut serviant ἐν ἁπλότητι τῆς καρδίας αὐτῶν, *id est*, ut excluso omni dolo & hypocrisi simpliciter & ex animo dominis suis obediant & serviant. Ἔνεστι γὰρ (inquiunt Scholia) καὶ μετὰ φόβου καὶ τρόμου δουλεύειν, ἀλλ᾽ οὐκ ἐξ εὐνοίας, ἀλλὰ κακούργως. Simplicitas cordis, ἁπλότης τῆς καρδίας, est sinceritas atque candor mentis. Hîc apparet hoc vere vitium esse servorum, ut non agant candide & sincere cum suis dominis, sed plerumque dolose, fraudulenter, duplici corde & simulate. Vitium hoc abesse vult Apostolus a servis Christianis. Ideo ait, Obedite ἐν ἁπλότητι τῆς καρδίας ὑμῶν. Vult igitur Apostolus, ut ne aliud sit in corde, aliud in obedientia & servitute externa, *id est*, ne fallant dominos suos ulla ratione, sed sincere agant.

Quarta est, ut serviant τοῖς Κυρίοις κατὰ σάρκα, non tanquam hominibus sed tanquam Christo.

Haec particula duo complectitur, 1. causam cur debeant servi, licet Christiani, libenter, ex animo & sincere ac fideliter servire dominis carnalibus, quanquam impiis & δυσκόλοις: nempe non propter ipsos, sed propter Christum, qui hoc vult & mandat. Ita respondet tacite ad argumentum, quo multi utebantur: Nos sumus pii Christiani, domini nostri sunt impii, cur ergo illis inserviamus? Respondet Apostolus, Debetis illis inservire non tanquam hominibus, aut etiam impiis dominis, sed tanquam Christo, *id est*, propter Christum, qui hoc vobis mandat.

2. Eadem particula docet modum, quo debeant servire, nempe tanquam Christo: hoc est ita ut semper oculos mentis intendant in Christum, cum suis serviunt dominis, ac proinde nihil agant in ea obedientia & servitute, quod sit contra Christum. Semper enim serviendum est inprimis Christo primario & absoluto domino: deinde hominibus propter Christum, & sicut Christus praecepit. Ergo servire hominibus, tanquam Christo, est primum propter Christum qui hoc mandat: deinde est servire sicut etiam Christo serviendum est, cum timore, id est reverentia & tremore, ex simplicitate cordis, sine fraude & dolo, non ad oculum servientes, sed ut servi Dei, sicut sequitur.

Ad summam, Apostolus hac particula voluit docere servis in sua servitute oculos semper intendendos esse in Christum & in ejus mandatum, ut *scilicet* serviant dominis carnalibus & propter Christum, & fideliter ac sincere, sicut Christo ipsi & sicut Christus per Apostolum mandat: ita ut in gratiam dominorum carnalium nil agant contra Christum.

Quinta subjicitur conditio, quae ad explicationem superiorum etiam pertinet; ea est, ut servi Christiani serviant dominis carnalibus, non ad oculum, ut placeant tantum hominibus, quibus serviunt, sed ut tanquam servi Christi facere studeant voluntatem Dei, idque ex animo & benevolentia tanquam Domino, & non ut hominibus servientes. Hoc est quod subdit:

V.

V. 6. Μὴ εἰς ὀφθαλμοδουλείαν ὡς ἀνθρωπάρεσκοι, ἀλλ' ὡς δοῦλοι Χριστοῦ, ποιοῦντες τὸ θέλημα τοῦ θεοῦ ἐκ ψυχῆς. Item, (ut sequitur vers. 7).

V. 7. Μετ' εὐνοίας δουλεύοντες ὡς τῷ Κυρίῳ, καὶ οὐκ ἀνθρώποις.

Syriacus sic habet hos duos versos:

6. *Non ad aspectum oculorum, quasi ut filiis hominis*, id est, *hominibus placentes, sed tanquam servi Christi, qui faciunt voluntatem Dei.*

7. *Et servite eis ex toto animo vestro in charitate, tanquam domino vestro, & non tanquam filiis hominis*, id est, *hominibus.*

Haec omnia ita *quintam* conditionem continent, ut etiam ad explicationem superiorum pertineant, quid *scilicet* sit servire dominis carnalibus, tanquam Christo, cum timore & tremore, in simplicitate cordis.

Quinta igitur conditio est, ut servi Christiani serviant dominis suis sine ulla ὀφθαλμοδουλείᾳ, quasi nil aliud spectantes, quam ut suis dominis, cùm praesentes sint, placeant: id quod proprium est adulatorum & fere aulicorum: sed potius serviant tanquam servi Christi, quorum proprium est in omnibus suis actionibus curare ut faciant voluntatem domini, idque ex animo. Cum vera igitur & sincera benevolentia, non autem adulatoria, serviant dominis suis, ut domino placeant, non ut hominibus tantum.

Haec est resolutio & sensus hujus contextus, quemadmodum & Syriacus vertit ac construit. Nunc percurro verba Apostoli.

Ὀφθαλμοδουλεία est vitium, quo quis alicui ad ejus oculum servit, *id est*, ut ei praesenti tantum & intuenti placeat. Hoc vitium, ut modo dixi, proprium est adulatorum. Proinde ista verba, μὴ κατ' ὀφθαλμοδουλείαν ὡς ἀνθρωπάρεσκοι, sunt conjungenda: quia iis exprimitur, quid sit ὀφθαλμοδουλεύειν. Quae vero sequuntur hoc vitium corrigunt, cùm ait, ἀλλ' ὡς δοῦλοι Χριστοῦ. Habent haec omnia ἀντίθεσιν quandam, quasi dicat Apostolus, *primo*, Servi adultores, qui ad oculum serviunt, serviunt ut servi hominum, sed vos debetis vestris dominis servire, non ut hominum sed ut Christi servi.

Secundo, Illi serviunt ὡς ἀνθρωπάρεσκοι, ut hominibus placeant: vos illis debetis inservire, non ut illis placeatis, sed ut voluntatem Dei faciatis, ὡς ποιοῦντες τὸ θέλημα τοῦ θεοῦ.

Tertio, Illi serviunt non sincere, sed dolose & adultorie: vos debetis servire ἐκ τῆς ψυχῆς, ex animo

Quarto, Illi serviunt non ex amore erga illos, sed ex φιλαυτίᾳ: vos debetis ἐκ τῆς εὐνοίας.

Denique, Illi serviunt ut hominibus: vos autem debetis ut domino, non ut hominibus, δουλεύοντες τῷ Κυρίῳ. καὶ οὐκ ἀνθρώποις.

Hae sunt conditiones, quae requiruntur ad hoc, ut servitus, qua servi serviunt suis dominis κατὰ σάρκα, sit verè Christiana servitus. Atque hae quinque conditiones seu virtutes quinque vitiis opponuntur, quae ferè in servis impiis regnare solent.

Primum vitium est, quod multi putant suos dominos esse absolutos dominos, qui non solum in corpus & in bona externa jus habeant, sed etiam in animos: ac proinde se teneri in omnibus simpliciter eis obedire. Pugnat hoc

hoc vitium cum fide, qua credere debent solum Christum habere hoc plenum jus. Contra igitur Apostolus ait homines esse dominos, *duntaxat*, κατὰ σάρκα: ac proinde neque eis esse obediendum, nisi κατὰ σάρκα, *id est*, in iis tantum, quae ad carnem & res externas attinent. Atque ita illud κατὰ σάρκα & ad dominos referri debet & ad servitutem, *id est*, ad ea, in quibus serviendum est dominis κατὰ σάρκα. Sunt domini tantùm κατὰ σάρκα: est igitur etiam illis serviendum in iis, *duntaxat*, quae sunt κατὰ σάρκα. Illi enim non habent jus, nisi εἰς σάρκα *Matt*. 10. Nolite timere (simpliciter) eos, qui occidunt corpus.

Alterum vitium est, quod servi ferè non verè timent, *id est*, non reverentur suos dominos, & alii etiam non tremunt ad illorum praesentiam, etiamsi simulent revereri & tremere, sed potius in animo contemnunt dominos & eorum gladium rident. Contra hoc vitium ait Apostolus: servite μετὰ φόβου καὶ τρόμου.

Tertium vitium est, quod servi fere solent dominos suos defraudare, dolose cum illis agere, sine candore, sine veritate: externe aliud simulantes & aliud interim in animo cogitantes. Contra hoc vitium fraudis, doli & insinceritatis, ait Apostolus: servite ἐν ἁπλότητι τῆς καρδίας ὑμῶν.

Quartum vitium est impietas, quod *scilicet* serviunt suis dominis, non quia Christus sic praecipit, sicut deberent, sed tanquam absolutis dominis: ac proinde neque etiam verentur ea suorum dominorum exequi mandata, quae sunt contra Christum. Hunc enim non curant, sed tantum suos dominos. Contra hoc vitium ait Apostolus, Servite dominis vestris, non tanquam hominibus, sed tanquam Christo: ac proinde nihil admittite contra Christum.

Quintum est adulatio, quod *scilicet* ad oculos serviunt, gratiam *scilicet* dominorum suorum, dum praesentes sunt, captantes, sed illis absentibus eorum res & negotia non admodum curantes. Horum servorum exemplum habemus in Evangelio de famulo, qui absente domino dicebat conservis, edamus & bibamus, &c. Contra hoc vitium ait Apostolus μὴ κατ᾽ ὀφθαλμοδουλείαν ὡς ἀνθρωπάρεσκοι, *scilicet* obedite, ἀλλ᾽ ὡς δοῦλοι Χριστοῦ.

Nunc tenemus, quomodo servi Christiani servire debeant suis dominis κατὰ σάρκα, sive sint domini impii, sive pii: quae vitia sint illis fugienda, & quae virtutes sequendae in sua servitute. Pertinet haec doctrina ad omnes, quia nemo est, qui non habeat aliquem dominum, cui inservire debeat.

Atque haec de secundo capite. Sequitur tertium de causis & rationibus, quibus ceu stimulis excitari debent servi tum ad hoc, ut non dedignentur servire suis dominis etiam si impii sint, tum ad hoc, ut serviant eo modo, quem Apostolus descripsit.

Prima causa & ratio, seu argumentum primum ducitur a mandato & voluntate Christi, primarii & absoluti Domini nostri. Christus enim suo Evangelio non vult ordines & status politicos non pugnantes cum jure Naturae turbari, mutari, tolli: sed vult ut quisque in sua legitima maneat vocatione. Quo spectat quod, cum populus vellet eum creare regem, noluit Joh. 6. Item, Quod dixit, date quae sunt Caesaris Caesari. Matt. 22. Item, illis duobus fratribus, qui volebant, ut ipse divideret inter eos haereditatem: Quis (*inquit*) constituit me judicem inter vos? *Luc*. 12. Ergo debent Christiani servi suis dominis servire fideliter & sincere, quia haec est voluntas Christi.

Hanc

Hanc rationem primo ibi habemus, ubi ait, Servite dominis κατὰ σάρκα ὡς τῷ Χριστῷ, tanquam Christo ipsi, quia *scilicet* ipse hoc vult & mandat. Ex qua locutione colligimus illos non servire Christo, qui faciunt ea quae Christus non praecipit nec vult: sicut contra illi dicuntur servire Christo, qui ipsis etiam hominibus ea praestant, quae Christus jussit & vult praestari. Servi serviunt Christo, qui juxta voluntatem Christi inserviunt dominis carnalibus. Eandem primam rationem habemus ibi, cum ait, Obedite dominis κατὰ σάρκα ὡς δοῦλοι, non dicit hominum, sed τοῦ Χριστοῦ. Quasi dicat, Vos non pudeat appellari δούλους τοῦ Χριστοῦ. imo gloriamini & merito hoc nomine: Ergo non debetis gravari servire hominibus & servi etiam illorum vocari. Quid ita? Quia Christus, cujus estis servi, hoc a vobis postulat vobisque mandat. Est igitur optima consequentia, Vos estis servi Christi: Ergo debetis juxta ipsius voluntatem dominis etiam κατὰ σάρκα obedire, quia hoc faciendo obeditis ipsi Christo. Hoc idem argumentum inde colligimus, ubi ait, ποιοῦντες τὸ θέλημα τοῦ θεοῦ, quasi dicat, Si obeditis dominis κατὰ σάρκα: eo modo, quem descripsi, vos facitis voluntatem Dei. Ergo debetis obedire. Ex quo sequitur illos non posse vere vocari servos Christi, qui non ejus faciunt voluntatem. Sic Christus discipulis: In hoc cognoscent homines, quod discipuli mei sitis, si feceritis quae Ego praecipio vobis. Johan. 15. Hoc est primum argumentum, quo quisque in sua vocatione uti debet ad se exstimulandum, ut suum diligenter faciat officium: quia, *scilicet*, haec est voluntas Christi, cujus sumus servi.

Alterum ducitur ab authoritate ejus, cui proprie servimus, seu a dignitate hujus servitutis. Putant servi Christi rem esse indignam, ut pii serviant impiis, item ut sint etiam mancipia piorum, cum sint fratres in Christo. At (inquit Apostolus) cum servitis hominibus juxta voluntatem Christi, vos non servitis hominibus, sed Christo ipsi, & non estis servi hominum, sed Christi. Est igitur res dignissima servire dominis κατὰ σάρκα, juxta voluntatem Christi. Quare dignitas hujus servitutis retinere vos debet in officio: tantum abest, ut debeatis dedignare servire dominis vestris κατὰ σάρκα. Hanc rationem ibi habemus, ubi ait, Obedite dominis κατὰ σάρκα ὡς τῷ Χριστῷ. Item, ubi ait ὡς δοῦλοι Χριστοῦ. Item, ubi ait, ποιοῦντες τὸ θέλημα τοῦ θεοῦ. Quasi dicat, Non enim facitis voluntatem hominum, cum eis obeditis, sed Dei. Item ubi dicit, δουλεύοντες τῷ κυρίῳ, καὶ οὐκ ἀνθρώποις. Haec omnia dicta concludunt, cum obedimus & servimus hominibus juxta voluntatem Dei & Christi, nos non servire hominibus, sed ipsi cumprimis Christo: ac proinde hanc nostram servitutem non esse rem Christiano homine indignam, sed dignissimam. Quare persistendum in ea esse, donec Dominus ad aliam conditionem & statum nos vocet.

Tertium argumentum ducitur a promissione justae mercedis: Proprium servorum est exspectare & accipere mercedem a dominis suis laborum suorum & sui servitii. Illi servi tempore Pauli, quia erant mancipia, non accipiebant mercedem a dominis suis. Quicquid enim erant κατὰ σάρκα, erant suorum dominorum. Videbatur ergo illis durum, quod non solum non acciperent mercedem, sed forte etiam, quod male ab illis exciperentur & verbis & factis, sicut

sicut liquet ex iis, quae mox subjicit de dominis, dicendo, Et vos domini eadem facite illis, remittentes minas. Apostolus igitur eos ad pergendum in sua vocatione & servitute hortatur proposita illis mercede, quam ille, cui cumprimis inserviunt, nempe Christus certo repensurus est: ut hoc sit argumentum: Dum servitis dominis vestris κατὰ σάρκα, vos magis inservitis Christo quam hominibus. Hoc ante declaratum est. Ergo licet domini κατὰ σάρκα nullam vobis mercedem exhibeant, sed potius tanquam iniqui vos indigne tractent: tamen non debetis abjicere istam vestram conditionem, quia Christus, qui justissimus & liberalissimus est dominus, amplissimam vobis mercedem rependet. Hoc igitur est quod subdit:

V. 8. Εἰδότες ὅτι ὃ ἐάν τι ἕκαστος ποιήσῃ ἀγαθὸν, τοῦτο κομιεῖται παρὰ τοῦ κυρίου, εἴτε δοῦλος εἴτε ἐλεύθερος.

Propositio est generalis, quam vult omnibus notam esse, imo tanquam certum axioma in Ecclesia omnibus proponit. Ideo ait εἰδότες. Sequitur necessaria illatio. Ergo tam vos servi, si bene vos gesseritis in vestra servitute, quam liberi in sua libera vocatione, accipietis promissam a domino mercedem.

Dicit ἀπὸ τοῦ κυρίου (*id est* Christo) non ἀπὸ τῶν κυρίων, nempe κατὰ σάρκα, quia vult mentes piorum servorum pendere a Christo inque eum intentas esse, sicut in officio servitutis praestando, sic etiam in mercede pro suis laboribus expectanda. Ideò sicut dixerat, ὑπακούετε ὡς τῷ Χριστῷ: Item ὡς δοῦλοι τοῦ Χριστοῦ: Item ποιοῦντες τὸ θέλημα τοῦ θεοῦ (non autem hominum). Item, δουλεύοντες τῷ κυρίῳ καὶ οὐκ ἀνθρώποις: sic etiam hîc ait, quisque accipiet quod fecerit boni operis non ab hominibus seu a dominis, sed παρὰ τοῦ κυρίου.

Confirmat hic locus doctrinam de mercede bonorum operum, non quae propter dignitatem aut meritum bonorum operum nobis debeatur, sed quae ex Dei liberalitate rependi solet bonis operibus & ipsa consequi. Quod enim non ex debito detur sed ex gratia praeter alia testimonia locus apud Lucam cap. 17. manifeste evincit. Cum feceritis haec omnia (*omnia inquit*) dicite: servi inutiles sumus: fecimus enim quod debueramus facere. Quis autem est qui omnia faciat ut debet? Quod igitur quis recipiat a domino mercedem bonorum operum, hoc ex gratia Dei procedit, non ex merito & dignitate operum nostrorum. Quare hunc etiam & alia similia loca torquent Mercenarii ad stabiliendam suam de meritis doctrinam. At hoc & aliis similibus locis hoc tantum voluit ostendere Spiritus Sanctus per Apostolos, opera nostra bona, a quocunque ea fiant, sive a liberis sive a servis & in vilissimo statu positis, placere Deo. Unde probat? Inde sanè, quia Deus ipse rependit mercedem, *id est*, benedictionem aliquam, tum in hoc seculo tum maxime in altero; confirmatur hinc non posse merita statui, quia neque hîc neque alibi locorum in Sacris Literis ullum verbum habetur vel merendi vel debiti.

Ait hîc κομιεῖται, sed non addit, ex debito vel pro meritis suis. Ubique autem Scriptura praedicat, quicquid accipimus a Domino, per gratiam ejus nos accipere. In Decalogo ait, se facturum misericordiam (*nota illud misericordiam*) iis, qui se diligunt & servant sua mandata. Ergo etiam perfecte, *id est*, ex

ex toto corde & animo (ut lex postulat) diligentibus Deum & mandata ejus omnia servantibus, quicquid rependitur, ex misericordia & gratia rependitur, non ex debito.

At Apostolus ait εἰδότες: Vult igitur, ut quicunque bene operatur, is sciat se a Deo fructum sui operis reportaturum. Respondeo Quis inficietur? At quorsum vult hoc a nobis sciri, nisi ut speremus nos illum fructum reportaturos, quem promisit? Resp. Hoc etiam nemo negat. Haec enim spes non pugnat cum pietate Christiana, nec cum doctrina de gratia: alioquin Apostolus summus praedicator gratiae non dixisset ad Tim. Bonum certamen certavi: de reliquo reposita est mihi corona justitiae, quam reddet mihi Dominus. 2. Tim. 4. Sed nunquid quia sperare hanc a Domino debemus, ideò licitum est fiduciam ullam in operibus nostris tanquam meritis collocare? Nequaquam, quia hanc semper damnant Sacrae Literae, & in solo Deo & confidere & sperare nos jubent. Quorsum igitur haec spes mercedis? Non eo certè spectat, ut alamus in mentibus nostris fiduciam meritorum: sed ut tantum sciamus, quicquid boni juxta voluntatem Dei facimus, illud Deo gratum esse, & nos reipsa tandem sensuros, quam illi gratum fuerit. Ergo iste Apostoli locus nihil juvat homines mercenarios: imo contra refellit eorum doctrinam.

Dixerat prius: δοῦλοι, obedite dominis ut servi Christi, facientes voluntatem Domini. Postea subjecit, Hoc scientes & quod, &c. Argumentum igitur primum: Sicut servis illis hominum, *id est*, mancipiis nihil debebant domini propter ipsorum servitia: multo minus dominus & animi & corporis quidpiam nobis daturus est ex debito, sed omnia ex gratia. Ergo nomen *Servi* excludit merita, juxta dictum Christi: Cum feceritis omnia, dicite, servi inutiles sumus.

Dixit, Facientes voluntatem Domini. Igitur illis tantum, qui, faciunt voluntatem, Dominus rependet & ad eos tantum haec promissio pertinet. Atqui voluntas Domini est, ut bene operantes mercedem operum expectemus a sola Dei gratia & liberalitate: cum feceritis, *inquit*, haec omnia, dicite (in cordibus vestris, & ita sentite quia ita se res habet), dicite, inquam, servi inutiles sumus. Qui ergo secus faciunt, ii certe non faciunt voluntatem Domini: & per consequens ii mercedem aeternae gloriae non accipient. Quare locus iste tantum abest, ut stabiliat fiduciam meritorum, ut eam penitus evertat.

Summa igitur est, servos debere dominis suis carnalibus, *id est*, externis & qui jus tantum habent in carnem & in carnalia, obedire & inservire, & quidem ut dominis κατὰ σάρκα, sic etiam κατὰ σάρκα obedire: id est, *primum* non contra dominum, sed in domino & secundum voluntatem domini. *Deinde*, in timore & tremore, *id est*, diligenter tum propter reverentiam quam illis debent, tum etiam propter iram & gladium eorum, quos metuere debent. *Tertio*, in simplicitate cordis, *id est*, fideliter, sine dolo & fraude. *Quarto*, non ad oculum & tantum ut illis placeant servientes, sed ut placeant Christo. *Quinto*, eoque ex animo & libenter & ex benevolentia erga illos, non ex suo commodo.

Causae cur servire & hoc modo servire debeant, sunt: *Prima*, quia haec est voluntas Dei: *Secunda*, quia est servitus Christiano homine digna, servitur enim Christo. *Tertia*, quia mercedem a Domino accipient. Cum igitur haec faciunt, cogitent se facere voluntatem Dei, & faciant etiam propter voluntatem

tem Dei: ac proinde mercedem etiam exspectent a Deo & non ab hominibus, idque per ejus gratiam, non pro suis meritis.

Sequitur de officio dominorum erga servos.

V. 9. *Et vos* domini τὰ αὐτα ποιεῖτε πρὸς αὐτοὺς (δούλους) *remittentes minas* (τὴν ἀπειλήν) *scientes quod & vester ipsorum Dominus est in Coelis, &* προσωποληψία *non est apud illum.*

Syriac. *Etiam vos Domini ita facite servis: remittite illis delicta, quia nostis, quod Dominus quoque vester est in Coelis, & acceptio personarum* (vultus) *non est apud eum.*

Illud, ὅτι καὶ ὑμῶν αὐτῶν ὁ κύριος, Chrysostomus legit interjecto καὶ, hoc modo: ὅτι καὶ ὑμῶν καὶ αὐτῶν (*scilicet* servorum) κύριος in Coelis est. Et sic etiam legit Ambrosius & Hieronymus & Vulgata editio.

Illud τὰ αὐτὰ ποιεῖτε non refertur ad ὑπακούετε & δουλεύοντες, quasi & ipsi domini debeant obedire & servire suis servis: sed refertur ad ea aequitatis capita, quae communia sunt dominis cum servis in Christo: nempe, ut sicut servi debent obedire & servire dominis, ἐν ἁπλότητι τῆς καρδίας, ποιοῦντες τὸ θέλημα τοῦ θεοῦ, ἐκ ψυχῆς, μετ᾽ εὐνοίας: sic etiam domini eadem ratione sese gerant in suo officio & imperio erga servos: hoc est, ipsi quoque domini debent cum simplicitate cordis, ex animo & cum benevolentia, tanquam non cum hominibus sed cum Christo agentes, se gerere erga servos spectantes & ipsi voluntatem Dei tanquam servi Christi. Idcirco bene Syriacus pro τὰ αὐτὰ, habet *Sic, ita*, Et vos domini ita facite.

Τὰ αὐτὰ ergo non specie sed genere, servato jure analogo & proprio cujusque officio. Officium servorum proprium est obedire & servire: proprium etiam dominorum officium est imperare: haec immutari non debent, quia sunt cujusque propria & diversae officiorum species: sed agere cum simplicitate cordis, ex animo & cum benevolentia, tanquam servos Christi, facientes voluntatem Dei, haec sunt communia dominis cum servis in Christo. Proinde de iis, quae sunt communia, intelligitur illud τὰ αὐτὰ: non autem de illis, quibus differunt domini a servis: ut sint τὰ αὐτὰ, non specie sed genere, secundum cujusque conditionem & vocationem.

Illud nomen προσώπον in προσωποληψίᾳ, non significat substantiam ipsius hominis, sed qualitatem: ut quod homo sit vel nobilis vel ignobilis, dives vel pauper, dominus vel servus, Judaeus vel Graecus. Est autem nomen προσωποληψίας nomen forense, & de judicibus proprie praedicatur quod apud illos sit vel non sit προσωποληψία. Quicquid igitur judex in judicando praeter causae veritatem spectat, illud vocatur τὸ πρόσωπον, & ipse vocatur προσωπολήπτης. Atque haec de verbis, quae opus habebant explicatione in hoc versu. Nunc ad rem ipsam venio.

Duo habet membra iste versus: in primo continetur admonitio ad dominos. Docet enim Apostolus, quid eorum sit officii, & quomodo se debeant gerere erga servos suos. In altero modestam addit comminationem, qua frenet illorum superbiam & iniquum imperium.

De primo ait, Et vos domini eadem facite erga illos: *id est,* sicut servos monui

monui, ut vobis obediant, non cum fraude & dolo, non negligenter, non ad oculum, non ex malo animo, sed fideliter, in simplicitate cordis, ex animo & benevolentia: sic vos moneo, ut eis imperetis non tyrannice, sed eadem aequitate & pietate, qua & ipsi vobis debent obedire: Utrique spectantes voluntatem Dei & quod servi estis omnes ejusdem Jesu Christi. Atque haec est admonitio generalis, de modo quo se debent domini gerere erga suos servos.

Subdit specialem: Remittentes minas.

Supra vidimus ex verbis Apostoli quaenam vitia regnare soleant in servis: hîc etiam videmus quid potissimum vitii regnare soleat in dominis. Qui imperium habent in alios, ii semper spirare minas: ac nisi statim fiat quod jubent, illas re ipsa perficere solent. Hoc est ingenium nostrae superbae carnis. Apostolus igitur monet dominos, ut remittant minas. Non prohibet simpliciter, ne unquam minentur. Quid ita? quia minae suum habent usum, ut *scilicet* subditi ad obedientiam excitentur. Etiam Dominus minatur nobis filiis in eundem finem, ut *scilicet* nos in officio contineat: imo nullae leges sunt, quae non habeant adjunctas comminationes, quia sic postulat nostra caro, ut timore perculsa retineatur in officio. Haec igitur causa est cur non dicat Apostolus: abstinentes a minis, sed tantum remittentes minas. Quid verò est Remittere minas? Ista remissio respicit & tempus & modum & ipsarum exsecutionem. Vitiosum est perpetuo minari: magis item vitiosum est nimium & graviora & clamosius minari, quam par sit. Vitiosissimum verò, quae minatus es, si non usque adeo bene & perfecte, ut volebas, tibi obtemperatum est, velle perficere. Vult igitur Apostolus, ut domini neque tam saepe neque tam gravia, ut multi solent, minentur, praesertim ubi res leves mandantur: & neque quoties minimum quid peccatur, illas exsecutioni mandent: sed remittant eas, & quoad tempus, & quoad modum, & quoad exsecutionem, cum accedit resipiscentia & obedientia, licet non usque adeo perfecta. Nam Deus quoque idem facit pro sua clementia. Est enim magna virtus remissio minarum, quia a misericordia, a clementia & prudentia proficiscitur: ac cum laude fit remittentis & saepe cum utilitate ejus, cui fit remissio. Hoc igitur est, quod sibi vult Apostolus, cùm ait, Remittentes minas.

Ex hoc primo membro hanc colligimus doctrinam: Qua ratione volumus nobiscum ab aliis agi, eadem & nos cum aliis agamus: servato cujusque officio & gradu. Volumus nobis a famulis inserviri fideliter, promte & ex animo & benevolentia. Nos igitur etiam in imperando eadem erga illos humanitate & aequitate utamur. Hoc est, eadem facite erga illos. Et Christus: Quaecunque vultis ut faciant vobis homines, & vos facite illis. Item, sicut cupimus, ut Deus nobis remittat minas, & quidem poenitentibus remittit: sic nos remittamus aliis, cum videmus eos resipiscentia donatos.

Sequitur alterum membrum hujus versus.

Scientes quod vester ipsorum Dominus in coelis est, & (quod) personae acceptio non est apud eum.

Reprimit supercilium iniquis dominis, qui putant sibi nihil non in servos licere, quia domini sunt, illi verò servi: quasi verò non & ipsi dominum se potentiorem habeant supra se, a quo possint castigari.

Duo

Duo epitheta dat Domino dominorum omnium Christo: Unum quod sit potentissimus, est enim in Coelis: unde iram suam solet revelare super homines in terram: Alterum, quod sit justus & quod rectè judicet, nec sinat se corrumpi ullis personarum respectibus. Nulla est enim προσωποληψία apud eum. Perinde igitur est, ac si dixisset: Nisi eadem feceritis erga servos vestros, & nisi remiseritis minas: Dominus certé omnium dominorum vos ulciscetur, & minas non remittet. Est enim & potentissimus & justissimus. Sed melius hanc communicationem expressit, dicendo, Scientes quod, &c.

ALTERA PARS

Cap. VI.

V. 10. Τὸ λοιπὸν, *&c. Quod superest, fratres mei, &c.*

Hactenus ab initio 4. cap. ubi de vita & moribus Christianis agere coepit, docuit primum in genere, quomodo debeamus vivere, tum inter nos fideles, in vera *scilicet* unitate, pace & concordia, tum cum illis, qui alieni sunt a pietate Christiana. Deinde speciatim de officiis oeconomicis disseruit, quomodo uxores erga viros & viri erga uxores, quomodo filii erga parentes & parentes erga liberos, quomodo servi erga dominos & domini erga servos se gerere debeant. Nunc redit ad generalem admonitionem. Hortatur enim in genere Christianos omnes ad constantiam in pietate Christiana, & ad vigilantiam pugnamque contra hostes.

Duo autem sunt praecipua, quae facit in hoc contextu: primum docet omnino necessarium esse, ut armatura Dei, *id est* armis spiritualibus bene instructi fortes simus & constantes in pugna adversus nostros hostes. Ratio a potentia & calliditate & malitia hostium nostrorum sumitur: quod *scilicet* nobis non sit lucta adversus carnem & sanguinem tantum, sed adversus Diabolos omnes, qui nos circumstant & obsident ab omni parte, cum sint in hoc aëre. Deinde quae sit ista πανοπλία Dei per partes explicat. His armis si bene fuerimus muniti, fore ut simus victores contra hostes nostros utut potentissimos non obscure significat. De primo sic ait:

V. 10. Τὸ λοιπὸν, *quod reliquum est, fratres mei, sitis fortes in Domino & in potentia roboris ejus.*

Duo docet: Primum, cum hactenus & de fide & de vita Christiana ac de singulorum ferè statuum officiis abunde disseruerit: jam nihil aliud sibi restare, quam ut nos ad constantiam & fortitudinem contra hostes hortetur & animet. Hanc vim habet illa particula Τὸ λοιπὸν, fratres mei, δυναμοῦσθε, corroboremini sitisque fortes: nempe adversus hostes, qui nunc magis quam unquam insurgent adversus nos.

Ac revera ita se res habet: cum Ecclesiae sunt bene in doctrina coelesti & in disciplina de moribus vitaque Christiana institutae, tunc magis quam unquam

 metu-

metuendum est ab hostibus: ac proinde magis etiam danda est opera, ut vigilemus, excubias agamus, & simus fortes. Christus haec antea indicavit parabola quadam de semine. Cum ager est bene cultus, & multum habet boni tritici, tunc supervenit hostis, qui superseminat zizania. Ecclesiae a Paulo plantatae & optime institutae in Galatia, Corinthi, Ephesi & alibi, manifestissime hoc confirmant. Statim enim superingressi sunt varii haeretici & seductores, qui eas turbarunt. De Ecclesiis in Germania non est quod dicam, vel in genere, vel in specie: quotidie idem experimur. Videmus ergo quam necessaria sit haec Apostoli exhortatio, τὸ λοιπὸν, fratres mei, ἐνδυναμοῦσθε. Sed qua ratione poterimus fieri ita fortes adversus nostros hostes, ut eos superemus? Subdit igitur *alterum* Apostolus & ait:

Ἐν Κυρίῳ, καὶ ἐν τῷ κράτει τῆς ἰσχύος αὐτοῦ.

Dicit *primum* ἐν Κυρίῳ, *deinde* ἐν τῷ κράτει τῆς ἰσχύος αὐτοῦ. Perinde igitur est, ac si dixisset, extra Christum nunquam poterimus esse fortes contra hos potentissimos hostes: Quare necesse est ut in Christo maneamus, nempe per fidem. Si verò in Christo maneamus, ex virtute roboris illius nos quoque fiemus fortes: & ita, sicut ille vicit mundum, sic nos quoque vincemus. Ergo ἐνδυναμοῦσθε ἐν Κυρίῳ καὶ ἐν τῷ κράτει τῆς ἰσχύος αὐτου. Docet ergo, extra Christum qui sunt, eos esse supra modum imbecillos ad resistendum hostibus nostris: sed qui in Christo per fidem, eos participes fieri roboris illius, eoque posse reprimere hostes & servari. Hoc & Johannes docuit dicendo, 1 *Joh.* 5. Haec est victoria, quae vincit mundum, fides nostra: id est, fides, qua manemus in Christo, dat robur Christi, ejusque nos facit participes, quo possimus vincere mundum. Sic Paulus, Omnia possum in eo, qui me confortat, Christus. Recte ergo Apostolus praemisit τὸν Κύριον, deinde subjunxit καὶ ἐν τῷ κράτει, quia oportet manere in Christo per fidem, & tum communicata ejus potentia nos quoque fimus fortes ad resistendum hostibus.

Quod vero ait ἐν τῷ κράτει, & postea τῆς ἰσχύος αὐτοῦ, unum nomen se habet loco radicis, alterum loco fructus: sicut & in moralibus aliud est habitus, ἕξις, qui in animo residet, aliud ἐνέργεια, quae aliis communicatur. Sic diversum est id quod in Christo est, ἰσχὺς: & aliud quod nobis inde communicatur roboris, κράτος. Ideo dixit, nos corroborari ἐν κράτει τῆς ἰσχύος αὐτοῦ, id est, per κράτος, potentiam roboris & virium ipsius. Sequitur

V. 11. *Induite* πανοπλίαν (totam armaturam) *Dei, ut possitis stare adversus insultus Diaboli.*

Conclusio est, cum non possitis tot tantisque hostibus resistere, nisi corroborati in Christo per fidem, roboris ejus fiatis participes. Oportet igitur si velitis stare adversus insultus Diaboli, ut potentia virtutis ejus sitis optime muniti. Hanc munitionem vocat πανοπλίαν, metaphora sumta a militibus, qui tum dicuntur esse fortes, cum muniti sunt omni armorum genere, quae ad bellum requiruntur.

Cae-

Caeterum haec armatura tota spiritualis est. non carnalis, ut ad 2. *Cor.* 10. ait: Arma militiae nostrae non sunt carnalia sed spiritualia, potentia apud Deum.

Ideo vocavit πανοπλίαν τοῦ Θεοῦ: τοῦ Θεοῦ, quia divina & spiritualis est: τοῦ Θεοῦ etiam, quia a Deo est & donatur. Et tunc πανοπλία nobis est, cum sumus toti ab omni parte muniti, ut mox describet Apostolus. Etsi verò donatur a Deo, interim nostram requirit Deus operam, qua illum recipiamus eamque nos induamus. Non enim sumus trunci. Ideò ait, Induite πανοπλίαν.

Nomen πανοπλίας complectitur omnia arma militaria, quae duum sunt generum, alia ad nos defendendos, alia ad hostes feriendos. Thorax, galea sunt ad nos tuendos: sed gladius, lancea ad alios offendendos inventa sunt. Haec postea describet: in praesentia tantum hac voce πανοπλίας omnia complectitur & indicat arma militaria.

Quod verò ait, ut possitis stare adversus insidias &c. significat, si talibus armis spiritualibus, quae mox describet, fuerimus muniti, nos fore victores. Hoc est enim stare, *scilicet* in pugna ad finem usque, id est, ad victoriam. Deinde, quod dicit insidias Diaboli, docet, Diabolum duplici ratione repugnare contra nos, aliquando aperto marte, aliquando ex insidiis. Aperto marte pugnat, cum per Antichristum, tyrannos, apertos haereticos nos adoritur. Ex insidiis autem, cùm per hypocritas, qui sub praetextu sanctitatis & pietatis falsa dogmata spargunt & seducunt simpliciores. Atque adversus hos opus est majori πανοπλίᾳ, quam adversus primos.

V. 12. *Quoniam non est nobis lucta adversus carnem & sanguinem, sed adversus principatus, adversus potestates, adversus mundi dominos, rectores tenebrarum seculi hujus, adversus spirituales pravitates in Coelestibus.*

Illud ὅτι, αἰτιολογία est, cur debeamus sumere totam πανοπλίαν Dei, id est, bene nos ab omni parte munire: quia, *inquit*, non est nobis pugnandum cum carne & sanguine (*id est* cum hominibus) sed adversus principes, &c. Quasi dicat, hostes, adversus quos nobis pugnandum est, non sunt homines imbecilli, caro & sanguis, sed sunt potentissimi. Sunt enim principatus, potestates, domini mundi hujus, rectores tenebrarum seculi hujus. Sunt etiam pravissimi & astutissimi: sunt enim πνευματίκαι πονηρίαι: & sunt in Coelestibus, id est, in toto hoc aëre, & a nobis non videntur, quia sunt πνευματικαὶ πονηρίαι, ideò possunt nos ab omni parte aggredi. Ergo necesse est, simus undequaque muniti & armati πανοπλίᾳ, scilicet Dei. Nam quia sunt πνευματίκαι πονηρίαι, bellum etiam, quod nobis cum illis est, spirituale est, eoque periculosius. Quare opus etiam est armis non carnalibus, sed spiritualibus. Sumite ergo armaturam Dei.

Nomine Carnis & Sanguinis quidam intelligunt tantum homines, ut sit ἀντίθεσις inter homunciones & Diabolos. Quidam complectuntur etiam nos ipsos, *id est*, nostram concupiscentiam. Nam etiam adversus hanc nobis semper pugnandum est. Sed quomodo igitur negat nobis esse luctam adversus carnem & sanguinem, sed adversus principatus & potestates, *id est*, Diabolos? Respondeo: Non simpliciter negat, sed ipsum totius belli authorem indicat. Satan

Satan enim excitat tyrannos & haereticos. Idem inflammat concupiscentiam nostram.

Sensus igitur est: Non est nobis simpliciter lucta adversus homines & adversus carnem nostram, quae pugna videri posset tolerabilis: sed est pugna adversus omnium horum malorum authorem, Diabolum, totumque ejus exercitum, principatus, potestates. Perinde autem est, ac si diceret, hostes nostri non sunt gregarii milites, sed omnes sunt principes, potestates, milites veterani, centuriones, rectores mundi, *id est*, qui omnes impios regunt, & eos adversus nos excitant.

Quidam putant Apostolum iis usum fuisse nominibus, non quod voluerit statuere varios Daemoniorum ordines, sed varias eorum vices indicare. Alii, quod etiam varios ordines: verum non ex sua, sed ex recepta Judaeorum & Gentilium quoque sententia. Ita etiam quod ait, eos esse in Coelis, non ex sua sed aliorum sententia dixisse. Ego salvo aliorum judicio credo, sicut inter bonos Angelos, sic etiam inter Diabolos aliquos esse ordines. De bonis aliás diximus in hac Epist. cap. 1. Alii enim vocantur Cherubini, alii Seraphini, alii Angeli, alii Archangeli: & sic etiam Bucerus in cap. 1. ubi de Angelis loquens Apostolus nominat principatus ac potestates: Mirum igitur non est, quod etiam inter daemones sint gradus & ordines, quorum principes & caput Satan appellari solet.

Domini mundi κοσμοκράτορες vocantur, & Rectores tenebrarum hujus seculi, quia regunt impios, eosque excitant adversus nos. Nomine enim Mundi & tenebrarum hujus seculi hos homines, satellites Diaboli, intelligit. Atque haec est conclusio, quam repetit.

V. 13. Quapropter assumite τὴν πανοπλίαν τοῦ Θεοῦ, *ut possitis consistere* ἀντιστῆναι *in die malo & omnibus* (rebus) *confectis stare:* id est, *expugnatis hostibus stare tanquam triumphatores.*

Diem malum quidam intelligunt totum tempus hujus vitae, quo pugnandum est usque ad mortem: quod tempus ideo malum vocatur, non quod per se tale sit, sed quia incommodum est, & multa mala secum adferat. Malum ergo, *id est*, periculosum & plenum difficultatum. Alii tempus illud praecipuum, quo Deus permittit Diabolum quasi solutum grassari & Ecclesiam turbare per tyrannos, per haereticos, tam occultos & hypocritas quam manifestos. Jobo omnes dies fuerunt aliquo modo mali, quia nullus fuit sine aliqua molestia: sed κατ' ἐξοχὴν ille fuit dies malus, cum Satan permissus fuit a Deo illum aggredi in bonis externis in filiis & in suo etiam corpore. Apostolis quoque κατ' ἐξοχὴν dies malus fuit tempus illud, quo capto & crucifixo Christo cribrati fuerunt a Satana. Ecclesia nunquam caruit aut caret incommodis toto eodem tempore, quo in terris degit: sed tum dies ejus fuerunt & sunt mali, cùm per tyrannos, per Antichristum, per haereticos fuit supra modum afflicta. Quemadmodum & nunc vere dies mali sunt, cùm ab omni parte misera Ecclesia turbatur intus & foris. Etsi igitur totum tempus, quo pugnandum est in terris, dies mali vocari possunt: speciatim tamen Scriptura solet diem

ma-

malum κατ᾽ ἐξοχὴν appellare tempus, illud, quo Satan maxime saevit & maxime ingruunt pericula. Sic *Psal.* In die mala liberabit eum Dominus. Sic supra cap. 5. Redimentes tempus, quoniam dies mali sunt.

V. 14. *State igitur circumcinctis lumbis veritate & induti thorace justitiae.*

Dixerat Apostolus, sumite πανοπλίαν τοῦ θεοῦ, nunc quae sit haec πανοπλία per partes declarat. Duo autem armorum genera explicat, quae cuique militi adversus hostem necessaria sunt: alia quibus ad nostri defensionem, alia quibus ad feriendum & depellendum hostem opus est.

De primo genere ait vers. 14, 15, 16 & partim 17, de altero vers. 17 & 18. Armat autem totum hominem Apostolus a capite usque ad pedes: quo totus ab omni parte munitus nihil ab hoste offendi possit. Ac hujus generis arma enumerat quinque: baltheum, thoracem, calceos, scutum & galeam. Incipit autem a lumbis, qui muniuntur baltheo & a pectore tanquam principibus partibus, in quibus vita & vires hominis consistunt, & quas etiam cumprimis hostes petere solent. Proinde milites etiam solent inprimis munire has partes, in quibus vires & vita degunt. Ait ergo:

State igitur circumcinctis lumbis veritate.

Tria hîc requirit. *Primo*, ut quisque in sua se contineat statione seu vocatione, nec cedat hosti versis tergis. Hoc docet, dicendo: State ergo. Est autem duplex vocatio, una generalis, qua omnes in Ecclesiam militantem, *id est*, ad hunc exercitum militum Christianorum, sub auspiciis & vexillo Christi vocati sumus. Altera specialis, qua cuique in Ecclesia certa statio certumque munus assignatum est, quemadmodum etiam fit in exercitu militari. Omnes debent cumprimis in exercitu sese continere, & deinde in sua quisque statione privata. Primum igitur postulat, ut quisque in Ecclesia se contineat, nec discedat ab exercitu. Nam si discedat actum est, sicut qui declinat ab exercitu mox occiditur aut ab hostibus aut a suis jussu imperatoris.

Secundo, Exigit ut in sua etiam quisque statione se contineat. Nihil perniciosius in exercitu, quam ἀταξία. Quisque ergo sese contineat constanter in Ecclesia, & deinde in sua quisque conditione, ad quam pecülariter vocatus est: nec cedat Diabolo, qui utrumque summa diligentia quaerit. Hoc igitur est στῆτε. Multis exemplis confirmare possem haec, sed non est necesse.

Tertio, Vigilantia quoque hoc verbo significatur. Est haec necessaria & opponitur securitati. Sic 1. *Pet.* 5. sobrii estote & vigilate, quia adversarius vester circumit tanquam leo rugiens, quaerens quem devoret. Ergo cuique in sua statione vigilandum est, ne Diabolus nos incautos opprimat.

Caeterum, ut possimus stare in pugna & tandem vincere, haec requiruntur. 1. Constantia in doctrina seu in veritate. Hic est baltheus ille, de quo Apostolus, quo nimirum lumbi muniuntur, in quibus vires militis insunt. Lumbi enim sunt ceu fundamentum, quo inferiores & superiores partes corporis nituntur & sustentantur. Proinde necesse est ut in illis, qui ad pugnam ituri sunt, forti cingulo constringantur. Cingulum hoc aut baltheus cingulum erat latum, quo ilia

ilia & magna pars ventris tegebantur: cingulum, inquam, punctis & laminis vel aeneis vel ferreis aut argenteis munitum. Qui non sunt baltheo bene constricti, sed laxos habent renes, facile defatigantur, praesertim in pugna, & stare non possunt. Baltheus hic est veritas.

Quidam intelligunt hoc nomine sinceritatem, & referunt ad veritatem cum proximo servandam, sicut supra cap. 4. ut opponatur mendacio, cujus pater est Diabolus. Volunt igitur hanc esse primam partem τῆς πανοπλίας: nempe, ut primo loco, sicut Diabolus semper mentitur & mendacio omnes seducit, ut Gen. 3. liquet in exemplo Evae: sic contra nos studeamus veritati & sinceritati servandae cum proximo nostro.

Sed magis placet prior interpretatio, ut pro veritate verbi Dei & sacrarum literarum accipiatur. Nam adversus hostem Diabolum hoc inprimis est necessarium, ut contineamus nos in veritate religionis, seu in vera religione, quam tradunt Sacrae Literae. Nam hoc etiam est primum, quod Satan quaerit nobis eripere, veritas *scilicet* doctrinae, & contra persuadere nobis mendacia falsamque doctrinam. Si hoc impetret Satan, victor est & in omnia flagitia facile homines pertrahit.

Prima igitur pars πανοπλίας τοῦ Θεοῦ est baltheus veritatis doctrinae, supra quam fundata est Ecclesia. Quo illud pertinet Apostoli, Ecclesia est columna & fundamentum veritatis. Sic etiam 1. ad Timoth. 1. Retine fidem, id est, veritatem doctrinae, qua nititur fides: postea sequitur: & bonam conscientiam, quae est altera pars πανοπλίας. Hanc alteram partem hîc vocat loricam seu thoracem justitiae. Congruit cum hoc dicto Apostoli illud etiam Christi, *Luc.* 12. Sint lumbi vestri praecincti (*scilicet* cingulo veritatis) & lucernae ardentes in manibus vestris. Hae lucernae ardentes sunt boni mores, sanctitas vitae, opera justitiae, eoque bona conscientia.

Altera igitur pars πανοπλίας, postquam animus munitus est veritate doctrinae, est thorax justitiae bonaeque conscientiae, hoc est, studium sanctae vitae. Ut enim thorax munit pectus militis: sic studium justitiae & sanctitatis animum Christiani hominis conservat ac munit adversus Diabolum, ne suis telis penetret ad cor ipsum. Accipiunt quidem & ipsi sancti vulnera, labuntur & peccant: sed non ex corde peccant aut ex animo: Juxta illud, Qui natus est ex Deo non peccat. 1. *Joh.* 2. Quid ita? Quia munitum est cor studio sanctitatis bonaque conscientia. David, qui primo munitum habebat animum cognitione veritatis, & qui deinde studebat justitiae justitiaeque operibus, lapsus est & quidem saepe ac turpiter, telis Diaboli vulneratus: sed tela illa non penetrarunt usque ad cor, manserunt in carne. Quid ita? quia thorace hoc justitiae munitum habebat pectus animi & spiritus. Hoc illud: Lex tua in medio cordis mei. Item: Legem tuam quaesivi semper. Item: Meditabar in mandatis tuis. Hoc igitur studium sanctitatis & servandae legis est thorax ille justitiae, de quo hîc Apostolus.

Tertia pars πανοπλίας subditur & est, post retentam veritatem doctrinae & post studium justitiae, animi promptitudo ad Evangelii tum confessionem, tum si voceris praedicationem quocunque contingat te proficisci. Haec animi promptitudo necessaria est in hac pugna. Sic Petrus 1. Pet. 3. Parati

(in-

(inquit) reddere rationem fidei. Non enim erubescere debemus Evangelium. Ait ergo:

V. 15. *Calceati pedes in praeparatione Evangelii pacis.*

Syriac. *Et calceati in pedibus vestris praeparationem Evangelii pacis.* Idem sensus.

Beza, *Calceati pedibus praeparatione Evangelii pacis.*

Illud ἐν ἑτοιμασίᾳ significat quonam calceorum genere debeamus esse calceati: ait ἐν ἑτοιμασίᾳ τοῦ εὐαγγελίου, id est, per promptitudinem seu promptitudine Evangelii, *scilicet* confitendi, & si ad hoc voceris, praedicandi. Haec promptitudo est necessaria. *Rom.* 14. Corde enim creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem. Sic prima interpretatio Scholiorum, sic Hieronymus. Alii aliter interpretantur: sed illa locutio, calceatos habere pedes ad Evangelium, de illis, qui illud praedicant, proprie accipitur, ut *Rom.* 10. Quam speciosi pedes Evangelizantium pacem. Sed quia hoc non est omnium, verum eorum qui vocati mittuntur ad ministerium: ideò de libera confessione & de animo ad praedicandum etiam, si voceris, promptitudine interpretor, quod est omnium piorum commune. Evangelium vero pacis vocatur, quia praedicat reconciliationem cum Deo per Christum factam. Adde quod nomine etiam pacis omnis felicitas omniaque bona intelliguntur. Evangelium autem omnia bona adfert & annuntiat.

Metaphora igitur talis est: Qui ad bellum accedunt, bonos calceos & ocreas induunt, illisque muniunt & pedes & tibias adversus omnes injurias vel aëris & pluviae, vel hostium, ut sint promptiores ad pugnam: Sic Christianus miles debet animi sui pedes his spiritualibus calceis munire, nempe promptitudine ubique locorum confitendi, atque etiam si vocetur a Deo, praedicandi omnibus Evangelium pacis. Eo libentius hanc amplector, quia idem docet Petrus, 1. *Pet.* 3, 15. ἕτοιμοι (inquit) parati ad respondendum cuilibet petenti rationem ejus, quae in vobis est, spei.

V. 16. *Super omnia* ἐπὶ πᾶσιν (Beza, insuper) *assumentes* (id est, assumpto scuto fidei) *quo possitis omnia maligni tela ignita extinguere.*

Haec est *quarta* pars πανοπλίας. In bello necessarium est scutum, quo totum corpus, prout tela jaciuntur, ab omni parte tegitur. Hoc enim excipiuntur omnes ictus & omnia tela, si quis bene illo sciat uti. In pugna spirituali pernecessarium est scutum fidei, *id est*, fiduciae in Christum. In quem verò finem? Apostolus ait: Quo possitis omnia illius maligni (*id est*, Diaboli) tela ignita extinguere.

Cum ait ignita tela, alludit ad antiquum morem, quo milites tela veneno infecta jaciebant in hostem: iis corpora vulneratorum inflammabantur, ut non facile porro possent curari. Tela Diaboli sunt tentationes omnes, quibus ad peccata varia nos impellere conatur: de quibus in precatione Dominica: Ne nos inducas in tentationem, sed libera nos a malo. Ignita dicuntur, quia exi-

exitiosa sunt, si admittantur, facile accendunt cor ad infinita peccata, ita ut porro facile curari non possis. Unum enim peccatum accendit cor ad aliud: ut ebrietas ad lasciviam: lascivia ad homicidia, sicut contigit David, qui propter Bethsabam curavit interficiendum maritum. Sunt ergo verè ignita tela Diaboli: Sed extinguuntur fide in Christum. 1. *Pet.* 5. cui resistite fortes in fide. 1. *Joh.* 5. Haec est victoria, quae vincit mundum, fides nostra.

Hinc videmus undenam iste fervor tum libidinum, avaritiae, vindictae, tum etiam persequendi veritatem Evangelii, in hominibus: Ab istis nimirum ignitis telis Satanae. Inde verò apparet tales, qui superantur a Satana, non esse praeditos fide: quia hac illa extinguerent tela. Est enim fides idonea ad omnia tentationum genera vitanda, omniaque tela Diaboli utut inflammatissima extinguenda.

Sequitur *quinta* pars πανοπλίας.

V. 17. *Galeamque salutis assumite.*

Galea salutis, τοῦ σωτηρίου, vocatur per metonymiam, quia salutem adfert seu salutaris est. Tuetur enim caput. Quae verò sit haec spiritualis galea Apostolus docet 1. Thess. 5. ubi eam vocat spem. Et pro galea *(inquit)* spem salutis assumite. Diabolus ad extremum eó omnia dirigit, ut nos adducat in desperationem, & tunc certe actum est. Vult igitur Apostolus, ut sicut in bello pugnaque carnali milites tegunt caput galea: sic nos muniamus animum & cor nostrum adversus omnes insultus Diaboli spe certa salutis aeternae, nobis per Christum gratis sine meritis nostris partae. Ac certum est nullum esse tentationis genus, quod superari non possit, retenta certa spe futurae salutis. Ideò *Rom.* 8. Spe *(inquit)* salvi facti sumus. Qui desperant de victoria, non amplius pugnant sed se dedunt hosti. Qui sperant victoriam strenue & fortiter pugnant. Ergo necessaria est haec galea, *id est*, spes certa salutis. Haec sunt arma, quibus nos vult esse munitos ad sustinendos omnes hostium impetus nosque defendendos.

Subjicit *sextam* partem πανοπλίας. Haec continet arma, quibus ferire possimus hostem & a nobis depellere: uti sunt gladii, lanceae, bombardae, jacula. Sed uno nomine gladii contentus Apostolus ait:

Et gladium Spiritus, quod est verbum Dei.

Gladium Spiritus vocat, quia est spiritualis & ab ore Domini; & congruit, quia hostis etiam est spiritus, & ipsum bellum spirituale. Vult igitur, simus instructi verbo Dei & testimoniis Scripturarum, quo possimus depellere a nobis Diabolum. Quomodo utendum sit hoc gladio docet Christus suo exemplo, Matth. 4. Sic nobis utendum est.

Primo, cum tentat ad superbiam, avaritiam, libidines, objiciamus legem legisque maledictiones. Contra superbiam: Deus superbis resistit. Contra avariatiam: Avarus non habet haereditatem in regno Christi. Contra adulteria: Adulteri non ingrediuntur in regnum Dei.

Deinde cum tentat ad haereses, ut exempli causa, Christus non est ille Deus verus, nos objiciamus, Hic est verus Deus, 1. Joh. 5. Item, Solo Christi san-

sanguine non servamur, Sanguis ejus emundat nos ab omni peccato. Joh. 1. Non sola fide, sed operibus nos justificari: Qui credit in me, habet vitam aeternam. Christus propter unionem personalem est suo corpore ubique. Contra Angeli ajunt, Surrexit, non est hîc. Item, Ascendit in coelum & inde iterum tandem venturus est. Corpus Christi est in pane realiter. Contra, non dixit, corpus meum est in pane, sed: hoc, *id est* panis est corpus meum.

V. 18. *Per omnem obsecrationem & supplicationem orantes omni tempore, in Spiritu: & in hoc ipsum invigilantes cum omni sedulitate & supplicatione pro omnibus sanctis.*

Haec est pars *septima* divinae πανοπλίας: assidua & ardens ad Deum supplicatio, ut nobis & sanctis omnibus in hac contra Diabolum pugna adsit, opemque ferat. Hoc armaturae genere & nos tuemur adversus hostem, & illum ferimus atque a nobis depellimus: ideo omnium est optimum armorum genus. Ultimo autem loco ideo hanc partem explicavit, quia nisi Deus & Imperator noster Christus a nobis rogatus adsit, reliqua arma parum prosunt. Postquam igitur Christianus miles omni ex parte armatus est, vult Apostolus ut conversus ad Imperatorem, suam agnoscens imbecillitatem, supplex auxilium petat, non semel, sed quoties necessitas postulat, postulat autem semper: nec frigide & labiis tantum, sed in spiritu ardenti: ned languide & quasi nihil hostem metuens, sed summo studio in hoc precandi officium invigilans: & quidem ut precetur non tam pro se, quam pro tota Ecclesia seu pro toto exercitu, omnibusque & singulis sanctis, *id est*, militibus hujus exercitus Christiani. Haec summa hujus versus & admonitionis.

Sunt hîc observandae conditiones aliquot verae orationis.

1. Prima: προσευχὴ est adoratio ipsa, qua quis sese coram Deo humilians atque demittens, aliquid ab eo petit.

Δέησις est ipsa petitio, qua quis suam agnoscens indigentiam auxilium & opem petit. In vera igitur oratione requiruntur haec duo cumprimis: *Primo*, Ut quis agnoscat majestatem, bonitatem & omnipotentiam Christi & Dei: ac proinde sese illi subjiciens, eum ut suum unicum Deum & servatorem & auxiliatorem adoret & obsecret. *Deinde*, ut agnoscat se ipsum suamque indigentiam, sicque supplex opem auxiliumque petat. Hanc vim habent duae illae simul conjunctae conditiones, προσευχὴ καὶ δέησις. Atque haec est prima conditio verae orationis. Subdit secundam.

2. Ἐν παντὶ καιρῷ, in omni opportunitate. Non enim ait Ἐν παντι χρονῷ, sed καιρῷ, quasi dicat, quoties occasio necessitatis & ingruentium malorum postulat, orate. Vult igitur Apostolus, ut simulac sentimus nos egere auxilio & in aliquo versari discrimine, statim ad Christum recurramus. Quando autem non egemus Dei auxilio? Ergo verum est quod Christus dixit, Oportet semper orare & non deficere, *Luc.* 18. Non praescribit igitur Apostolus certum orandi tempus: sed vult ut omni tempore, cum videmus nobis aliquid mali ab hostibus imminere, ad Deum confugiamus & oremus. Non enim hîc loquitur de ordi-

ordinariis Ecclesiae & singularum familiarum precibus, sed de liberis orationibus, quibus quisque tenetur invocare Deum seorsum in die tribulationis juxta illud Psalmi 50. In die tribulationis invocabis me.

3. *Tertia* conditio subditur, ἐν πνεύματι. Scholia, id est μὴ ἐν βαττολογίαις. Ergo oratio in Spiritu opponitur ei, quae tantum fit labiis, veluti erat populi Judaici, de quo Jesaias, cap. 29. Populus hic labiis me honorat: cor autem eorum longe est a me. Quare stare in Spiritu est orare mente attenta, nempe fideli, mente intelligente, mente divinas promissiones apprehendente, totaque in Deum attenta: quod fieri non potest nisi per Spiritum Sanctum Ideo est verè oratio in Spiritu, nempe & nostro, quo oramus, & Spiritu Sancto per quem oramus, & per quem mens nostra purificata in Deum tendit.

D. Ambrosius egregie explicat, quid sid orare in Spiritu, dicendo: Si recte conversemur, Spiritus Sanctus manet in nobis, & quod postulamus possumus impetrare. Hoc est ergo in Spiritu semper orare, munda conscientia & fide integra precem ad Deum dirigere. In carne enim orat, qui polluta mente precatur. Haec ille.

Significare igitur voluit Apostolus precationem, quae fit *duntaxat* verbis, sine motu in Deum mundae mentis & sine fide, nullius esse momenti in conspectu Dei, qui cùm sit Spiritus, in Spiritu etiam vult adorari & in veritate, *id est*, sincere ac sine hypocrisi. Est enim Spiritus anima orationis, sicut & Anima forma & vita est corporis. Corpus sine anima putidum est cadaver: oratio sine Spiritu & mente in Deum per fidem perque Spiritum Sanctum sublevata foetet in conspectu Dei.

Quarta conditio, Καὶ εἰς αὐτὸ τοῦτο ἀγρυπνοῦντες ἐν πάσῃ προσκαοτερήσει. Requirit igitur fervorem, vigilantiam & constantiam in oratione, *hoe est*, ut ne simus languidi, segnes, neve fracti labore ab illa cessemus: sed ut constantes in ea perseveremus, neve securi dormiamus, sed vigilemus. Sic Christus discipulis, Matth. 26. Vigilate & orate, ne intretis in tentationem, Et Christus ipse hoc suo exemplo docuit, cum oravit Patrem in horto: vigilabat enim cum alii dormirent: & tertio rediit ad preces, & sedulo oravit Patrem. Hanc constantiam, vigilantiam ac sedulitatem significavit Apostolus his verbis, in hoc invigilantes (in hoc, *id est*, studium precationis) cum omni sedulitate.

Debet oratio nostra esse non tantum pro nobis nostrisque necessitatibus, sed etiam pro aliis, praesertim pro fratribus sanctis, *id est*, tota Ecclesia: *hoc est*, debet fieri non solum ex fide in Deum, sed etiam ex charitate in proximum. Fides fideique effecta expressa sunt superioribus verbis, quibus docuit qualis esse debeat Christiani militis oratio. Omnino enim illae 4 conditiones a fide proficiscuntur.

5, *Quinta* igitur, id est charitas exprimitur cum ait καὶ δεήσει περὶ πάντων τῶν ἁγίων. Primo ait, pro sanctis. De quibusnam vero loquitur sanctis? Non certe de illis, qui sunt in Coelo. Non enim opus est illis precibus nostris, sed de iis, qui militant in terra. Cùm vero etiam illi qui orare jubentur sint sancti, efficitur debere fideles pro se invicem orare Deum. Quantum autem ponderis habeant hae preces, dici non potest. Si enim oratio justi assidua (ut ait Jacobus

bus cap. 5) multum valet apud Deum: quanto magis orationes fidelium omnium pro se invicem, apud eundem Patrem, per eundem Jesum Christum? Secundo ait, πάντων pro omnibus sanctis. Nemo igitur est tam perfectus, qui non opus habeat aliorum precibus. Nam Paulus pro se quoque, ut sequitur, vult rogari. Oratio igitur & ex fide & ex charitate fieri debet. Atque haec de secunda parte hujus capitis.

TERTIA PARS.

In qua Apostolus de se ipso deque suo statu & necessitate, & in quem finem miserit ad Ephesios Tychicum, disserit: & valedicto claudit epistolam.

V. 19. Et pro me (scilicet orantes) *ut mihi detur sermo in apertione oris mei, cum* παῤῥησίᾳ: *ut notum faciam mysterium Evangelii.*

V. 20. Cujus causa legatione fungor in catena ut in eo libere loquar, sicut oportet me loqui.

His duobus versibus, qui sejungi non debent, primum monet Ephesios, ut pro se etiam orent. Nam se etiam inter illos sanctos connumerari vult, pro quibus dixit orandum esse Deum. Dubium non est, quin ipse quoque Apostolus vicissim pro Ephesiis orarit. Docet igitur tam populum debere orare pro suo Episcopo, quam Episcopus orat pro populo. Quare si Episcopus (ut dicebat Parmenianus) est mediator inter plebem & inter Deum, quia orat & intercedit pro plebe: eadem ratione etiam plebs mediator fuerit inter Deum, quia orat pro Episcopo, sicut & pro Apostolo rogabant Ephesii.

Hanc doctrinam Parmeniani refellit hic locus Pauli, cùm ait, Orantes & pro me. Hac de re legatur Augustinus, qui & hoc loco utitur & aliis similibus ad refutandam haeresin Parmeniani, de Episcopo mediatore inter Deum & inter plebem: & confirmat unum tantum esse mediatorem etiam intercessionis apud Deum, Jesum Christum: legatur, inquam, August. *primum* Tom. 9. in epistolam priorem Joan. Tract. 1. *Deinde* Tom. 7. contra Epist. Parmen. lib. 2. cap. 8.

Postquam jussit orari etiam pro se, Apostolus subdit, quaenam velit pro se peti a Domino. Tria sunt, quae omnia ad suam conditionem ac vocationem pertinere putabat, erantque illi necessaria. 2. Ut mihi (*inquit*) detur sermo in apertione oris mei, cum fiducia seu παῤῥησίᾳ. Παῤῥησία est facultas & donum libere & cum fiducia veritatem loquendi ac confitendi.

Dari vero sermonem in apertione oris cum παῤῥησίᾳ, nil aliud est quam aperiri tibi os a Domino, inque illud sermonem ipsius infundi, donata animi constantia donoque παῤῥησίας, quo possit doctrinam Evangelii coram toto mundo intrepide confiteri. Tria enim haec simul conjunguntur, dare sermonem, aperiri os, & donari παῤῥησίαν. Dominus igitur est, qui non solum in animum infundit verbum suum, sed etiam aperit os ad loquendum, & in illud suum imponit sermonem, datque παῤῥησίαν ad intrepide & constanti animo confitendam veritatem. Ape-

Aperire autem os est libere, clare, sonore, perspicue loqui, nec intra dentes & labia continere verbum, sed foras clare proferre. Excludit igitur haec locutio metum omnem, dissimulationem omnem, omnem denique cavillationem. Quare confessio fidei & doctrinae Evangelii debet esse aperta, perspicua, libera. Atque hoc, quod hîc petit Apostolus sibi dari, necessarium est cuivis Christiano, sed inprimis ministris & doctoribus. Damnantur hîc Anabaptistae, qui verbum vocale respuunt. Item Libertini & Nicodemitae, qui ajunt satis esse, si corde credas, de apertione oris non solliciti. Alterum quod ad suam vocationem pertinere putabat, & quod sibi dari rogabat Apostolus, fuit hoc quod sequitur:

Ut patefaciam *(inquit)* mysterium Evangelii, cujus causa legatione fungor in catena.

Duo hîc facit: 1. aliud donum sibi a Deo impetrari petit precibus fidelium. Hoc autem ut proprium doctorum & pastorum, sicut *primum* fuit omnium fidelium commune. Commune est libere, sonore, intrepide, ore aperto veritatem confiteri; sed proprium doctorum est, ita perspicue docere Evangelium & ejus mysteria praedicare, ut ea aliis ad ipsorum salutem faciant. Ideo ait, ut patefaciam mysterium Evangelii. Quod ergo quis perspicue doceat, & Scripturas luculenter explicet, mysteriumque Evangelii patefaciat, singulare Dei donum est, pro quo dono & doctores ipsi & auditores orare debent. Hoc est unum.

Deinde causam explicat, cur hoc diligenter petat, quia, inquit, legatione fungor Apostolica, hujus rei causa nempe Evangelii praedicandi & patefaciendi. Officium igitur meum hoc postulat, ut tale habeam donum. Accedit, quod sum in catena propter hanc legationem. Haec res duo habet incommoda, tum quod foras exire ad praedicandum non possum: tum quod carni meae terrorem incutere potest, ut neque praesentibus audeam libere loqui, & mysterium ipsum Evangelii patefacere. Multi enim prae metu praedicant quidem Evangelium, sed non patefaciunt clare & perspicue ejus mysteria. Ergo mihi necessariae sunt vestrae Preces, quibus a Domino impetretis, ut libere possim mysterium Evangelii ad aliorum salutem patefacere.

Observanda vero hîc est conditio eorum, qui libere praedicant Evangelium: carceres, catenae, exilia non desunt nec deerunt omni tempore.

Subdit *tertium*. Ut in eo mysterio Evangelii patefaciendo παῤῥησιάσωμαι ὡς δεῖ με λαλῆσαι.

Παῤῥησιάζειν est non tantum libere loqui, sed etiam libere & confidenter agere quidvis. Petit igitur hoc etiam donum, ut in praedicando Evangelio, sicut libere loqui, sic etiam alia omnia, quae ad idem propagandum & patefaciendum pertinent, libere & confidenter agere queat. Veluti est arguere peccata & idololatrias mundi, sicut tunc Romanorum, apud quos captivus detinebatur Veluti etiam est depellere calumnias, quibus Ecclesiae Christi traducuntur inter Gentes & Infideles, patrociniumque illarum libere & confidenter suscipere: sicut fecit Petrus in Actis, c. 2, cum adversus Judaeos causam omnium discipulorum suscepit, quod non essent ebrii, ut Judaei calumniabantur, sed pleni Spiritu Sancto. Sicut & Justinus & Tertullianus apo-

apologeticos libellos scripserunt & exhibuerunt Imperatoribus. Multaque alia praeter praedicationem Evangelii agenda sunt pastoribus: ad quae opus certe habent hac altera specie παῤῥησίας. Est igitur haec etiam parrhesia, agendi *scilicet* omnia libere, necessaria pastoribus. Quod vero hîc petit sibi dari, Lucas in Actis docet ei datum fuisse. Sic enim scribit Actorum ultimo, dicendo, Mansit autem biennio toto in suo conductu: & suscipiebat omnes, qui ingrediebantur ad ipsum, praedicans regnum Dei, & docens, quae sunt de Domino Jesu Christo, cum omni fiducia sine prohibitione. Haec Lucas.

Ex quo sequitur, eorum quae habemus donorum Dei semper confirmationem & incrementum petendum esse a Domino.

Hactenus de iis, quae sibi Apostolus a Domino per preces Ecclesiae Ephesinae impetrari cupiebat, constantiam *scilicet* in libera fidei & doctrinae coelestis confessione coram toto mundo intrepide edenda: gratiam item, qua libere mysterium Evangelii patefacere omnibus posset: denique donum omnia, quae ad suum officium pertinebant, libere & confidenter agendi: Nunc in quem finem miserit ad eos Tychicum explicat.

V. 21. *Ut autem sciatis & vos* τὰ κατ᾽ ἐμὲ (res meas) *quid agam, de omnibus certiores vos reddet Tychicus, dilectus frater et fidus minister in Domino.*

V. 22. *Quem misi ad vos in hoc ipsum, ut cognosceretis de rebus nostris & consolaretur corda vestra..*

Apparet cum ex tota epistola, tum maxime ex hoc loco, quid post captum & vinctum Romae Apostolum partim contigerit Ecclesiae Ephesinae & aliis in Oriente Ecclesiis ut Phil. Coloss. Thess. partim illis metuerit Apostolus ipse. Primum, sicut praedixerat Episcopis & Presbyteris Ecclesiae Ephesinae, *Act.* 20. Surrexerunt inter eos nonnulli seductores, qui, captata occasione ex vinculis Pauli, coeperunt ejus doctrinam improbare de salute per solam fidem in Christum certo impetranda sine operibus legis. Proinde cum fide in Christum praedicabant conjungendam etiam esse legis Mosaicae observationem: atque hi fuerunt ex Judaismo.

Alii ex Gentilitate partim redierunt ad nonnullos mores Gentilitios, partim suadebant aliis eos mores aut non esse peccata, aut non esse gravia peccata: ut erat scortatio, avaritia, compotationes & ebrietates, scurrilia verba & similia: & ita partim doctrina Evangelii coepit corrumpi, partim boni & Christiani mores labefactari.

Apostolus igitur partim haec audiens, partim graviora metuens, officium fecit boni Apostoli. Scripsit enim literas ad illas Ecclesias, & cum per alios, tum etiam per hunc Tychicum fidum Christi ministrum, eas perferendas curavit: ut illas Ecclesias in doctrina *primum* Evangelii adversus seductores Judaeos: *deinde* in doctrina etiam de vita Christiana adversus morum corruptores confirmaret. Utrumque hoc officium praestitit Ephesiis tota hac Epistola usque ad vers. 21. hujus postremi capitis. Nam quae etiam scripsit de pugna adversus Satanam totumque ejus exercitum huc pertinent.

Respi-

Respiciebat enim in hos seductores: non quatenus erant caro & sanguis, sed quatenus erant Satanae organa. Haec sunt duo praecipua capita totius Epistolae: confirmatio *scilicet* in doctrinae puritate, & in studio sanctae vitae bonorumque morum.

Tertio loco veri fideles partim erant afflicti propter Apostoli sui captivitatem & in carcere atque adeo in catenis detentionem: partim angebantur animi, quod ignorarent, quomodo aut cum illo ageretur aut se gereret. Utrique huic incommodo & malo ut mederetur, misit ad eos Tychicum, qui coram fratres totamque Ecclesiam confirmaret & consolaretur: & quo loco essent res Pauli, & quomodo se gereret, narraret. Hoc igitur est quod jam subjicit iis duobus versibus.

Duas assignat causas, cur Tychicum ad eos miserit: unam, ut per eum certiores fierent de suo statu: alteram, ut corda eorum afflicta consolaretur. Tertiam causam tacet hîc, sed eam expressit in Epistola ad Coloss. c. ultimo, nempe ut, quid ipsi quoque agerent, Tychicus cognosceret, & posteà ad Apostolum referret. Fuit hoc officium veri amici, imò optimi patris erga suos filiolos. Nunc tenemus omnes causas, propter quas & hanc scripserit epistolam ad Ephes. & ad eos miserit Tychicum. Ait ergo:

Ut autem sciatis & vos τὰ κατ᾽ ἐμὲ: quasi dicat, quid mecum agatur, τὶ πράσσω, quid agam: de omnibus vos certiores reddet Tychicus, dilectus frater & fidus minister in Domino.

Illud καὶ ὑμεῖς significat se curasse, ut aliae Ecclesiae de suo statu certiores fierent. Ut igitur & ipsi etiam Ephesii idem intelligerent se misisse Tychicum.

Τὰ κατ᾽ ἐμὲ, καὶ τὶ πράσσω, duo sunt diversa; primum significat, quomodo secum ageretur & tractaretur in carcere a Romanis: alterum significat, quomodo ipse se gereret in illa captivitate, carcere, catena.

A Romanis, si carcerem excipias et catenam, satis humaniter tractabatur: sinebant enim ad eum venire & cum eo loqui quicumque vellent: id quod certe jam non fit nec permittitur. Nostri crudeliores sunt & inhumaniores Nerone. Hoc igitur ut intelligerent Ephesii, faciebat ad leniendum illis dolorem, & ad aliquam consolationem capiendam. Ipse vero Apostolus gerebat se constanter, excipiens eos omnes, qui ad se veniebant & eos docens de regno Dei & Christi. Hoc etiam multum adferre poterat fratribus consolationis, & eos confirmare in fide. Utrumque describit Lucas in Actis, c. ultimo, duobus ultimis versibus, dicendo: Mansit autem Paulus biennium totum in suo conductu: & accipiebat omnes qui ingrediebantur ad ipsum, praedicans regnum Dei, ac docens, quae erant de Domino Jesu, cum omni libertate loquendi, nemine prohibente. Nostri obstruunt ora fidelibus, injectis etiam lupatis, ne possint confiteri Christum.

Duos porro titulos dat Apostolus huic nuncio Tychico, unum, quod sit frater, nempe in Domino isque dilectus: alterum, quod sit fidus minister in Domino. Commendat ergo illum cum a pietate, quia frater in Domino: tum a fide in officio faciendo, quia fidus minister est in Domino.

Tychicus iste fuit Asiaticus: & inter comites connumeratur, qui Paulum ex

Asia

Asia in Syriam comitati sunt, ut est Act. 20. Is Paulum praedicantem, quocunque ibat, cum aliis secutus est: & tandem captum etiam Romae non deseruit, cùm alii nonnulli eum deseruissent, sicut videre est 2 Timoth. 4. Non immerito igitur hunc vocat fidum ministrum: Ministrum Pauli, quia ei administrabat etiam in carcere: Ministrum etiam Christi, quia praedicabat Evangelium: ideò ad Coloss. cap. ultimo vocat eum non solum fratrem dilectum & fidum ministrum, sed etiam conservum in Domino.

V. 23. Pax fratribus & charitas cum fide a *Deo Patre & Domino Jesu.*
V. 24. Gratia sit cum omnibus diligentibus Dominum nostrum Jesum Christum, cum incorruptibilitate, ἐν ἀφθαρσίᾳ.

Sicut introduxit hanc epistolam precatione gratiae & pacis: sic etiam eam eadem precatione concludit: ut hinc discamus semper nobis precandam esse fidelibus omnibus gratiam & pacem, in finem usque: quando in harum rerum consecutione summa Evangelii totaque nostra felicitas consistit. Faxit Deus, ut omnes Ecclesiae, quae Christum profitentur, hanc gratiam & pacem consecutae, sublatis omnibus dissidiis, amicitiam & concordiam inter se colant, ad proximi aedificationem, & gloriam Domini nostri Jesu Christi. Amen.

FINIS.